




# **Iacobi Sadoleti episcopi Carpentoractis in Pavli epistolam ad Romanos commentariorvm libri tres.**

<https://hdl.handle.net/1874/399864>





**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

K 106

Pl. I N° 13



Madoleca pighina


25.

K















Universiteitsbibliotheek

Utrecht



~~N. 25 B.~~

N. 26. V.

~~~~~




IACOBI SADOLETI  
EPISCOPI CAR  
PENTORACTIS IN PAV  
LI EPISTOLAM AD ROMA  
NOS COMMENTARIO  
RVM LIBRI  
TRES.



AD LECTOREM.

Exeunt iterum à nobis, Lector, Iacobi Sadoleti Commentarij, multa diligentia ab autore nunc demum recogniti, & locis quàm plurimis ab eodem tum aucti, tum immutati. Tu uiri tam integri, & religiosi, tam sanctis religiosisque lucubrationibus frui, & nostram tibi deditam operam atque laborem ama.

VIRTUTE DVCE,



COMITE FORTVNA.

*Ex Donatione mibi à Burchel.*

SEBASTIANVS GRYPHIVS  
GERMANVS EXCVDE  
BAT LVGDVNI,  
ANNO  
M. D. XXXVI.





JACOBUS ADOLFUS  
DE BRUGGHE  
PENSOR ET INVENIT  
DE BRUGGHE  
F. V. M. 1781

Handwritten text, likely a title or description, mostly illegible due to fading and bleed-through.

COMITE FORLANV

ADVA 41 V 111

SECRETARIUS GYRIVS  
GERMANVS EXGABE  
PAT FACDARI  
ANNO  
M. D. C. LXXV





# AD FRANCISCVM

GALLIAE REGEM CHRISTIANIS-

SIMVM IACOBI SADOLETI EPISCOPI

Carpentoraëctis de dedicatione commentariorum

in Paulum epistola.



QVOD uirorum bonorum semper esse du-  
xi, eorumq; qui Dei ueri colentes, & Chris-  
tianaë religionis studiosi essent, ut cum eam  
ipsam religionem nostra hac ætate nouis  
quotidie seditionibus agitaram, & multitu-  
dine oppugnantium uehementer laboran-  
tem cernerent, pro sua parte quisque ad  
ferendam opem concurrerent: Idem ego  
quoque Rex omnium maxime ac Christia-  
nissime FRANCISCÆ pro mea facultate  
iamdudum facere meditatus, sæpe ea de  
cogitatione uarijs rationibus depulsus sum. Nam nunc me ingenij mei par-  
uitas, interdum tanta ista temporum perturbatio dehortata est: nonnun-  
quam etiam ille metus, illaq; suspicio animum meum retardauit, quod in-  
telligebam, id quod uideram iam accidisse permultis, quodcunq; ego scri-  
psissem, quamuis id pie ac religiose scriptum esset, non eos solum, qui pa-  
lãm sunt aduersarij, nam hi quidem minus pertimescendi sunt, sed socios  
etiam mecum eiusdem & uoluntatis & sententiæ maleuolos aliquos inter-  
pretes meis scriptis non defuturos, quo non leuiter uitio nostra ætas infe-  
cta est. Postremo in tanto numero eorum, qui aut scripserunt antiquitus,  
aut quotidie scribunt, partim sanctissimorum hominum ac doctissimorum,  
partim calliditate magis, & uersutia quadam, quam pietate uera Christiana  
scripta tractantium (nam qui apertam impietatem præferunt, eos in do-  
ctorum numero non duco) existimaui meum nomen neque adepturum au-  
thoritatem inter tot egregios, neque habiturum pondus ad reprimendum  
insolentes. Quod primum illud insignem quandam, & omni florentem  
orationis copia doctrinam postulat, quam ego in me esse non agnosco. Pos-  
terius autem sine priore nullius omnino ad coërcendum & comprimend-  
um momenti est. Sed etsi tot causis, & tanquam obicibus à scribendo sæ-  
pe iam deterritus: tamen reputans identidem ipse mecum omnia à nobis  
prorsus deberi Deo, cuius coelestibus diuinis que beneficijs non solum  
cum humano genere communiter, uerum priuatim ego etiam, & proprie  
multis magnis que sæpius affectus sum, nihil sum ratus ualere apud ani-  
mum meum oportere, quod me ab exercendæ pietatis studio retraheret.  
Etenim si ingenium præcipuè à nobis Deus requireret, petere id uideretur,  
A 2 quod



quod nō est nostrum: quicquid enim ualemus ingenio nostrum unusquisq; ab Deo totum obtinemus, nullaq; nostræ in ea re quidem existunt partes. Verum ille à nobis non tam ingenium, quàm uoluntatem bonam postulat, quæ aliqua ex parte est etiam nostra: hac enim & pietatem sanctitatem que sponte colimus, & per hanc ad Deum, ipsius iuuante gratia, proxime nos adiungimus: cuius nostræ Deo uoluntatis oblatio cum libera nobis sit, cum aliàs semper, tum hoc tempore potissimum in honorem illa & cultum eiusdem Dei à nobis adhibenda est: temporum autem perturbatio ea ipsa est, quæ hoc maxime exigat, ut in hanc curam, & studium iuuandæ religionis totos nos dedamus. Moueri porro obtrectationibus maleuolorum, infirmioris animi est, quàm ut uideatur uirtus Christiana, & erga proximum charitas id posse concedere. Quod uero tam multi ipsdem de rebus & scripserint olim, & quotidie scribant, deterrere nos non debet. Siquidem neque ij, qui ante nos extiterunt, fuere ipsi deterriti. Quæ propter cum iustiores multò, & grauiores causæ sint agendi mihi aliquid quàm cessandi, non dubitauit ad extremum ea, quæ intra domesticos parietes multis diurnis, nocturnisq; lucubrationibus, multa cura, uigiliisq; elaborata mihi essent, quæ quidem ad aperiendum fidei CHRISTI mysterium, & ad doctrinam beatæ uitæ pertinerent, in uulgus publiceq; proferre, tua præsertim secundum Deum præstantissime Rex uirtute, sapientia, autoritateq; confisus. Etenim tu cum eis maioribus sis ortus, qui omnia sibi pro fidei ac religionis tutela, ac propugnatione, & facienda semper, & subeunda esse duxerunt, ad hanc illorum præclarissimam mentem, cum cæteris ipse rebus quamplurimis, tum occasionibus temporum superior accessisti: fuerint licet graues sæpe antea motus, & multorum dissensionibus infesta tempora, uirtusq; maiorum tuorum in illis tum temporibus spectata atque eminens: nunquam tamen neque tantum extitit in Christiana fide dissidium, quantum hodie extat, nec tanta uirtute animiq; magnitudine obuiam itum est, quanta tu maximarum nunc nationum, quæ sub ditione tua sunt, & pericula eiusmodi propulsas, & mederis incommodis. Nec uero solum autoritate, & imperio, & magnitudine potestatis Christianæ fidei consulis & religioni: sed comitate etiam & hortationibus tuis facis, ut nos qui leniorem illam uiam docendi scribendiq; sequimur, tua libentius causa ad hæc studia nosmet conuertamus. Meministi enim profecto, & quo tempore primum fratris mei filium officij ad te causa salutatam misi, & postea cum bis, Lugduni primò, mox Auenione eodem egomet munere apud te functus sum, mihi omnia mea studia tibi deferenti, te fuisse autorem, ut in his potissimum insisterem argumentis & literis, quæ Christianæ rei possent esse utiles: meq; opus, quod in Pauli epistolam ad Romanos in manibus tunc habebam, ocyus ut absoluerem, etiam hortatum esse. Quod feci sane accurate quoad potui, confectumq; librum & absolutum tuo nomini Rex fortissime inscripsi, ac dicaui: non id quidem spectans, ut ex illo quidquam in tuam laudem redundet, siquidem neq; ex flammulis quæ è  
lychnis



lychnis prælucescunt, Solis lumen fit clarius : sed ut mea scripta, quod suis opibus ipsa non queunt, tui nominis gloria opinionibus legentium melius commendentur, sintque ad conferendas in mentibus hominum pias & sanctas rationes efficaciora. Nam quo illa splendidiore titulo, aut qua grauiore ornari autoritate possunt, quam eius Regis, in quo amplitudo maximæ potestatis magnitudini animi nequit esse par; qui altitudinem fortunæ suæ, humanitatis & liberalitatis laude superauit; cui tot & tanta adsunt à Deo bona; & quæ præterea ipso eodem adiuuante Deo sibi comparauit, plurimarum artium rerumque scientia, multarum etiam usus in maximis rebus & suscipiendis & administrandis animus, consilium, comitas, eloquentia. Quæ insuper omnia cunctarum domina uirtutum pietate erga Deum religio necque exornantur : quam nos in te diuinam imprimis eximiamque uirtutem FRANCISCE Rex spectantes ac uenerantes, cum hæc tibi nunc damus, quæ adhuc nobis effecta sunt, tum alia quoque, si uita suppeditauerit, sumus daturi, ad hunc eundem religionis honorem & defensionem Christianæ ueritatis pertinentia. Quandoquidem necque mihi quicquam magis conandum & contendendum est, necque tibi præstandum, atque efficiendum, quam ut incolumis cultus præpotentis Dei, & quæ sine eo cultu consistare rite non potest, iustitia, continentia, pietas, hominum mentibus & studijs iam propè dimissa restituantur. Quod Dei primum ope, tuaque deinde Christianissime Rex uirtute aliquando factum iri sperare iure omnes & possumus, & debemus.







7

IA SADOLETI EPI  
SCOPI CARPENTORACTIS IN  
PAULI EPISTOLAM AD ROMA  
NOS COMMENTARIORVM  
LIBER PRIMVS.



A E P E mihi cogitanti de Christianae fidei pri-  
 mordijs, & ipso ortu religionis nostrae, quae à cru-  
 ce, & morte, & ab eis denique inijtis profecta, quae  
 maxime contraria, plurimumque repugnantia hu-  
 manis studijs, & opinionibus sunt, in eam nihilo-  
 minus creuit amplitudinem, ut cunctum ferme  
 terrarum orbem quodam tempore ad cultum sui,  
 uenerationemque conuerterit: cum uis ipsa caelestis  
 numinis & bonitas praepotentis Dei uersatur an-  
 te oculos, quae hoc maxime mirabili, imprimisque  
 insolito genere se ostendendi patere uoluit: tum  
 uero duas reperio uirtutes, humilitatem animi  
 uidelicet, alteramque charitatem, quarum neutri-  
 us uim cognouit antiquitas, huius praecleari ope-  
 ris & institutrices initio fuisse, & ad hoc tempus esse conseruatrices. Atque harum qui-  
 dem, quas dicimus uirtutum, & quibus laudem, ac decus & constituta, & auctae Chri-  
 stianae religionis ascribimus, hoc & ignorata apud ueteres, & nobis, qui ad ueram  
 Dei cognitionem accessimus, facilis, & prompta fuit indagatio, quod illi ea, quae ge-  
 rebant, quaeque meditabantur, omnia ad opes sibi comparandas, ad cupiditatem, ad digni-  
 tatem, ad potentiam suam reuocabant, studiumque omne suum in eis cogitationibus  
 ponebant, per quas & ualere opibus praeter ceteros, & excellere industria prudentiaque  
 existimarentur. Nos uero Doctoris nostri CHRISTI exemplo, monitisque edocti,  
 in humilitate animi magnitudinem nostram, & in procuratione aliorum utilitatis  
 posthabita nostra omnem spem adipiscendae felicitatis posuimus. Ac nequis sacrae  
 rum imperitus rerum forte miretur, qui stent ista simul, possintque in unum cohaerere,  
 magnificari in humilitate uidelicet, & in neglectu priorum commodorum beatum  
 esse, cum haec pugnare potius, & inter se esse aduersaria uideantur, is conuertat ani-  
 mum ad ea intuenda, quae in Christo IESU domino nostro incredibili modo facta  
 sunt: desinet mirari profectio hanc congruere in membris discrepantiam, cum in ca-  
 pite ipso tantam rerum omnium maxime contrariarum concordiam inter se, consensio-  
 nemque aspexerit. Etenim si quod maxime diuersum, & remotum sit in oppositione  
 attendimus, quid est à terra, quam caelum disiunctius? & quam ab homine Deus? si  
 quod infestum inter se & inimicum, qui pote est mortem cum uita conuenire, gloriam  
 cum dedecore, infirmitatem cum potentia? Quae tamen in illo sic omnia coierunt,  
 ut ad ea bona, quae is & summa, & immortalia est adeptus, ab his extremis, & contra-  
 rijs malis fuerit gradus, uel potius ex istis illa extiterunt. Neque ipse in se tantum  
 haec, quae suapte natura sunt disparata, coniunxit: sed eadem quoque in nobis uoluit  
 coniungi, ut cum ipsius ingressi uestigijs institissemus eadem adepti bona, nouique ci-  
 ues, & incolae caeli effecti, terram in medio astrorum collocaremus. Sed quoniam de  
 his aliud ad dicendum dabitur tempus, satis de eis sit in praesentia dictum. Ad illas  
 deinceps ueniamus uirtutes, quarum modo à nobis facta mentio est. Etsi enim hoc tem-  
 pore non ad nostrum scribimus arbitrium, sed in aliorum diuinitus scripta commen-  
 tamur: tamen de eis aliqua praefari uirtutibus, quae praecunt nobis, & magistres sunt ad  
 beatam uitam non cognitione solum, atque scientia, uerum etiam usu, & fructu com-  
 prendendam, non nihil ad id quidem, quod instituiamus, pertinet. Ac humilitatis quae-  
 dem hoc



dem hoc primum & præcipuum donum est quòd diuinarum notitiam rerum absq̃ ea habere non possumus. Credere enim est necesse eum, qui ad eas uelit intelligentia penetrare. At nemo id facile agit, qui sit sibi ipse confidens. Porro ceteræ artes & scientiæ istud ipsum postulant, ut qui ad eas ingressurus sit, callido is sit ingenio, atq̃ magno, nulliq̃ rei facile assentiatur, sed certam rationem in omnibus, argumentationemq̃ requirat. Nostra uero hæc, quæ sola ueram in se continet sapientiæ facultatem, sacrarum rerum, literarumq̃ cognitio, tametsi ea summis, atq̃ altissimis diuinorum consiliorum mysterijs referta est, nullis tamen ingenijs, nisi credulis, atq̃ simplicibus percipiendam se præbet, genereq̃ nouo instituendi, & docendi prius persuasos uult esse sectatores sui, quàm aliquid illis ipsa persuadeat: prius ut credant, quàm doceantur; prius ut ament, quàm nouerint planè, quid illud sit, quod ante omnia illis est amandum. Eadem quoq̃ elatos animos, & appetentes gloriæ imprimis aspernatur, & repellit. Astutiam, audaciam, confidentiam ne intuetur quidem. Simpliciter amat, huic sese dat: hanc benignissime complectitur. Humilitatem ipsam, & puros, credulosq̃ bonarum mentium cogitatus adhibet libenter ad secreta sapientiæ suæ, omnesq̃ illis thesauros suos ostendit, atque offert. Ad quos qui illo fidei, & humilitatis aditu intrare meruerunt, ò semper illam quidem eximiam ac præstantem, sed nunc in hac ratione benigne faciendi singularem profectò, & inauditam Dei beneuolentiam erga nos, ac uere in omni genere infinitam bonitatem, quantum illic cœlestium diuitiarum, atq̃ opum: quantum ad explendos animos lætitiæ, summæq̃ iucunditatis abundat, & affluit: ut cetera tunc omnia pro nihilo sunt: ut quæ ad humanam pertinent sapientiam, leuia cuncta, inaniaq̃ ducuntur: Iacent tum reliquæ artes omnes, ac scientiæ, atq̃ hæc una in pretio sola est: una contentos animos facit, compotesq̃ summi gaudij, & omnium bonorum copia redundantes: quam tamen, ut diximus, assequi nemo potest, qui non per fidei ianuam ab ipsa humilitate animi fuerit intromissus. Recte enim Propheta: Nisi credideritis, non intelligetis, inquit. Et dominus I E S U S fidem ubiq̃, & ante omnia exposcens, regnum cœli, illi imprimis propositum, & potestatem rerum mirabilium datam esse prædicabat. Atque hanc fidem, simplicitatemq̃ mentium optimarum Christiani propriam nominis, quæ ab humilitate animi, tanquam à semine, radicibusq̃ profecta, in arborem amplam cœlestis sapientiæ adolescit, atq̃ uberes demum fructus beatæ uitæ fert, Charitas est, quæ præcipue continet: Charitas fidem alit, eademq̃ spem auget, & cum hoc mortali corpore dimisso ad alteram illam uitam cœlestem & immortalem nobis est trãseundum: hæc una fidelis semper nobis est, & perpetua comes; deductrix nostri in hac uita, consors, & congratulatrix in altera. Cuius contra omnem ueterum seculorum sententiam proprium hoc munus, atque officium est, ut de aliorum salute, commodisq̃ sollicita, nihil de se sanè magnopere commoueat. Fraternali enim ea habet cum omnibus fidelibus constitutam necessitudinem. Quandoquidem cuncti ex eodem Deo patre profecti, ab eodem domino I E S U Christo è seruitute redempti, spiritus sancti eiusdem halitu regimur, ac sustinemur. Ex quo corpus unum totius ecclesiæ cõpactum, conflatumq̃ est, uno patre, uno capite, spiritu quoq̃ uno, sed pluribus tanq̃ membris distinctum, atque ornatum. Quo qui in corpore uolunt coniuncti esse, eodemq̃ unà cum cæteris C H R I S T I spiritu uiuere, habeant illi charitatem, atque exerceant, necesse est: omnesq̃ curas suas foras tendant, nihil omnino ad sese, sed ad proximum omnia, & ad Deum referentes. Hoc enim uinculum est, hæc firma conuexio Christianæ societatis, in qua uniuersa tanquam in corpore suo Dei habitat spiritus, easq̃ in nobis procreat uirtutes, quæ maxime præclaræ, imprimisq̃ admirabiles, ut in genus, & nomen summi Dei adoptemur, efficiunt. Quæ cum ita sint, cum tantus sit fidei, atq̃ humilitati apud Deum honos, tanta fraternæ cum omnibus conuexionis uis, ut omnis beatæ uitæ & cognoscendæ ratio, & adipiscendæ spes nobis potissimum in his posita, & constituta sit, quid est de hoc nouo hæreticorum genere nobis dicendum: qui subito exorti non unam partem aliquam, sed corpus totum ecclesiæ suis dissensionibus lacerare nituntur: qui à maledicentiâ primo, & odio quorundam hominum ad inimicitias progressi, in eis sese finibus tenere non potuerunt,

longi



longiusq; impetu iracundiæ prouecti, cum leges multas salutariter latas, moresq; optime ab ecclesia constitutos, tum uero non pauca fidei CHRISTI firmamenta conuellere penitus, & disijcere sunt conati. Quorum utinam cordibus Christianæ spiritum humilitatis aliquando immittat Deus, ut reminiscantur, & intelligant, non se hac ratione fraternæ charitatæ consulere, neq; hoc ex Deo esse, ut pax atq; concordia in ecclesia perturbetur, unitasq; scindatur; Sed illud uere diuinum, & uere Christianum existere, amare proximum, tueri consensionem, morem maiorum, tot præsertim seculis inueteratum in ecclesia, sanctum & salutarem ducere, eumq; cum fide, & cum humilitate custodire. Nam quod isti, & ab eis qui sunt, cum maxime omnia misceant, atq; confundant, libertatem sese Christianam aiunt repetere, quæ sit hominum traditionibus (sic enim appellant) plurimisq; impositis oneribus oppressa, atq; erepta, perspicuum est cognitu, non hoc esse, dare operam, ut spiritus liber sit, sed ut peccato seruiat; Caro autem in omnem licentiam sit soluta, & libera. Neq; adeo illi sic se obscure gerunt, ut coniecturam eorū animi & uoluntatis difficilem habeamus. Qui (omitto enim in præsentia, quæ faciunt, & fecerunt) hanc certè palàm introducere sententiam, beatam uitam non operationibus bonis, sed sola fide erga deum expetendam esse, perinde ac fidem in se uelit Deus non integritatis, omniscq; uirtutis, sed in temperantiæ, & uitiorum esse conciliatricem. Quod si isti aut eccellente doctrina, aut nouo aliquo dubitandi genere prauas opiniones in Dei populo intulissent, esset nobis quoq; accuratius fortasse aduersus illos disputandum, ipsiq; & monendi, & rogandi, ut dimissa contentione pugnandi, parcerent Christianæ unitati, ne ue suam primum, deinde aliorum etiam salutem perditum ire contenderent. Cum uero nihil attulerint de suo, sed præteritorum temporum erroribus acruatis, atq; collectis uersos repente in ecclesia Dei renouauerint, quid attinet monere uelle non ignorantes ista omnia conuicta iandiu, & damnata esse? Atq; utinam tamen moneri se paterentur, piãq; humilitatem ad audiendum, & æquitatem animi afferrent ad cognoscendum; neq; rationibus rectis, & exemplis, autoritatibusq; sanctissimorum hominum tam pertinaces animos suos opponerent. Qui si aut iram aliquam suam exaturare, aut studio certandi obniti concupierunt, tot postea concitatis in populo Dei seditionibus, tot cladibus illatis, tot detrimentis inuectis, pateat eos tandem aliquando expletos esse, remittant aliquid pertinaciæ, ad Deum interdum respiciant, illamq; eius admirabilem cogitent charitatē, qua adductus ipse cum filium suum in mortem propter salutem hostium, & inimicorum suorum tradiderit, non decet nos profectò illius sanctam fidem nomenq; professos, fratres, & proximos nostros in hostium numero ducere. Sed de his uideat, illisq; consulat, & provideat misericors Deus. Nobis quidem quod in illis pro Christiana charitate grauiter dolendum est, in his Galliæ populis, & nationibus, in quibus me quoq; Deus, tale nihil merentē, in numero tamen episcoporum uoluit esse, uehementer etiam atq; etiam est lætandum, quod ipsorum quidem hominum probitate etiam & religione, sed Christianissimæ regis nostri Francisci imprimis uirtute, & uigilantia ne parua quidem contagio illius tanti erroris in his regionibus potuit adhærescere. Cui quidem regi nil causæ est profectò, quin debitum laudis testimonium præbeamus. Et si enim ab illo longissime disiuncti, ad aulae curas, atq; negotia ne aspiramus quidem, illius tamen ad nos quoq; beneficia perueniunt; quæ hoc mihi maiora & chariora sunt, quod non peculiaria mihi ipsi, sed omnibus Galliæ populis mecum sunt communia. Pacem enim ab eo & ocium, & legum obseruantiam, & æquitatem iuris obtinemus, quodq; cæterorū omnium summum est, integram, atq; inuiolatā in CHRISTI fide religionem. Ad reliquas enim ipse animi uirtutes, quæ in illo plurimæ sunt, & præstantissimæ, hanc quoq; cæterarum longe principem uirtutum tanquam fastigium appositam esse uoluit, ut perpetuam sibi propugnationem susciperet pro CHRISTI honore, & nomine, aduersus homines eos, qui omnia sancta & recta peruertere nituntur. Ac bellicos quidē illius labores, grauesq; pugnas, in quibus uaria interdum fortuna, semper autem inuicta animi illius uirtus extitit, laudabunt alij, qui ista magis extollunt, & admirantur. Nos ne in his quidem commemorandis insistemus, quæ præclara in eo, & uere re-



gia inesse cernimus, ut bonitatem illius, ut iustitiam, ut liberalitatem, ut magnitudinem animi pluribus uerbis prosequamur. Illa mihi & prædicanda de eo, & in cælum ferenda essent, quæ ad Dei omnipotentis in illo cultum, & ad honorem religionis pertinent, si par nostra maximi Regis laudibus esse posset oratio. Attamen ne aut summi Dei beneficium non agnouisse, qui talem nobis præposuit regem, aut regis ipsius merita, & laudes silentio obtexisse, & propterea in utroque ingrati esse uideamur, utque animus regis sua sponte in Deum, & in religionem propensus, nostra etiam prædicatione ad pietatis studium magis accendatur: Dicimus illius studio, & pietate, & sapientia esse factum, ut in tanto, & tam diffuso regno, tot populis, tot provincijs, tanta hominum celebritate frequentibus, nusquam aut hæreticæ impietatis labes existeret, aut subito exorta, & conspecta uindicaretur. Fuit hoc toti Galliæ salutare, Deo imprimis gratum, Regi ipsi gloriosum. Quid? in maxima nuper fame, cum sterilitate, & inopia frugum cuncta laboraret Gallia, nec inuenirent homines, pauperesque præsertim, quibus uitæ suæ subsidijs opitularentur, non ne patefecit penitus Rex omnis fontes bonitatis & liberalitatis suæ: pietateque erga Deum, & in pauperes misericordia adductus permulta hominum millia complureis mensibus aluit: cura, & prouidentia non absistens, quoad nouis frugibus uberior annus, copiam passim frumenti cœpit suppeditare. Nam quod ipse & artium optimarum eximius amator est, filiosque ad eadē studia præclarissima erudit tali patre dignissimos, & tanto regno: quodque doctores earum ipsarum artium, & sacrarum præcipue literarum conquirunt undique, magnisque propositis præmijs erudienda iuuentuti in amplissimis regni sui urbibus præficit, quibus nam ista quæso laudibus, qua uerborum uis, aut orationis copia dignè possunt extolli: Nempe hæc magna sunt hæc immortalia, hæc diuina, quæ omnem laudem uincunt, quæ regem ipsum faciunt eminentius etiā in uirtute, quàm in fortuna esse magnum: ut cuncti iure, ac merito gloriemur, quod in potestate, & in imperio maximo, maiorem tamen regem ipso regno habeamus. Verum ut conuertar ad Germaniæ principes, si qui sunt (sunt autem nonnulli, qui huic perniciosæ, & pestilentissimæ sectæ aut aperte faueant, aut occultius animos subministrēt, tantamque Germanico nomini ac nationi fortissimæ & nobilissimæ, quod in ipsis est, inurant maculā) cur hi quæso talibus exemplis, cur ueterum doctorum sanctissimorum hominum uita atque doctrina: cur Imperatoris sui CAROLI optime de Deo, & de fide catholica sentientis authoritate, perpetuo quoque ritu consentientis ecclesiæ non mouentur: ut reflectant animos ad cōsiderationem sui, pristinaeque suæ, & maiorum suorum religionis, quæ una recta, puraque est, uelint esse memores. An hoc sibi & laudi, & salutis magis fore existimant, si pro Christianis Lutherani appellentur? Quāquam his nos quidem, cuiuscemodi illi sunt, & quoquo modo de re Christiana meriti, placatum tamen Deum, & propitium precamur, atque ut ipse eis reuocatis ad intuentum lumen ueritatis suæ, sanguinem, & mortem filij sui, quæ pro cunctis suscepta est, ualere ipsis etiā uelit ad expiationem peccatorum. De qua CHRISTI morte, totoque illo redemptionis humanæ, & diuini consilij ad salutem nostram mysterio, etsi fides iandiu, certaque persuasio in Christiano nomine suscepta est, tamen quoniam eius fructum isti nunc labefactare cōtendunt, & sanctissimis, antiquissimisque doctoribus, qui de hac re lucidius, copiosiusque scripsere, nimis certe insolenter & superbe repudiatis, ad illos se recipiunt, qui propter altitudinem sententiarum, arcanaque Dei consiliorum prescius, & difficilior sunt locuti, quod ipsi in illis latebrarum perfugia sibi quærere, illorumque uerba ad suos sensus contorquere possint, uisum nobis fuit faciendū, ut beati Pauli apostoli epistolam ad Romanos, cuius isti in abstrusis abditiisque sensibus suæ imprimis malitiæ latibula constituunt, quantum nobis à Deo fuerit datum, accurate exponeremus, quæ tota omnibus diuinitatis cognitionibus ita referta est, ut uix ad eam intelligendam mentibus humanis aditus esse uideatur. Ita ad ostendendum crucis mysterium efficax, ut quicumque eam recte perceperit, amplius, ut nobis uideatur, de fide catholica non possit dubitare. Verum hæc nostra expositio non noua commentatio, sed ueteris sermonis commemoratio recens fuerit, quem habuimus inter nos, cū Romæ etiam tum essem, ego & Iulius Sadoletus frater, qui Græce, Latineque doctissimus, atque

in omni



in omni artium optimarum, præsertimque philosophiæ cognitione non æqualibus suis solum, sed etiam maioribus natu longe præstans, multa quoque de sacris literis conferre sæpenumero mecum, & uel percontari de me, uel etiam differere ipse subtilius solebat. Dabimus hoc charissimi, atque optimi fratris nomini, ac memoriæ, ut Christianæ pietatis mysteria, quibus ille maxime semper deditus fuit, & summi doctoris cunctarum gentium scripta, atque doctrinas, quarum altissima est explicatio, cum eo communicemus. Nec, si dialogorum morem fuerimus imitati, idcirco minus omnes sententias, uerbaque persequemur. Quin aptius hoc quoque, & commodius uideri poterit, si alternis, diuisisque personis suo quidque loco & interrogabitur opportune, ubi erit aliquid dubitandum, & respondebitur. Sed ut ad rem, & ad propositum ueniamus; Cum olim Romæ diebus festis Pentecostes in hortis meis essem, quos in Quirinali colle, ad altam semitam, satis amcenos, uberesque habebam, cumque iam diei, & temporis calor increbresceret, confedi forte sub umbra quadam, uolumen Pauli epistolarum Græcum in manibus habens, eramque in eo legendo saneque attentus, cum inopinatus accessit ad me Iulius frater, & continuo salute data acceptaque, NON TV, inquit, mi frater unquam ne ociosis quidem, festisque diebus in ocio esse potes; etsi hoc tibi puto optatum & suauis esse ocium, siquid legas, aut scribas, quando te ferè omne tempus principis & curiæ negotiis tribuere necesse est, in quo uideo sæpe quam sis maximis occupationibus districtus. Sed nunc quidem quem hunc authorē in manibus habeas, nisi molestum est, scire sanè aueo. Facile id quidem, inquam est, Pauli enim legebam epistolas, & nosti tu quidem iam pridem animum meum, quãtopereque cupiam me ex ijs ipsis, quas narras, occupationibus exoluere, in ociumque referre, ut in literis assiduus sim, & Deo aliquando, cui maxime debeo, soli seruiam. Sed hanc meam cupiditatem sic huius doctoris sanctissimi scripta incendunt, ut nulla alia re iam acquiescere animus meus possit. Caue enim mi frater putes hac lectione quicquam fieri posse diuinius. Assentior, inquit, neque id mirum duco, quippe non humana ista huius maximi Apostoli, sed diuinitus inspirata, atque infusa est sapientia, quam ego quoque cœpi degustare, uerosque in ea intelligere beatæ uitæ repositos esse fructus, etsi meum studium aliquantum scriptorū difficultas & interpretum nonnunquam turba retardat. Atqui mi frater, quod hæc degustes, inquam, uel quod in omni genere potius literarum summo studio uerere, planè mihi exploratum est; uideo enim maciem, damnumque tui corporis. Itaque in metum interdum adducor, ne minus accurate ualeitudini tuæ consulas, quam tatis opus sit, & quam ego uelim; quod sanè facere debes mi optime frater, & saluum te nobis diutius conseruare, quando nostra omnis, totiusque familiæ nostræ spes, in te uno præcipue, & in tua expectatissima uirtute, ac dignitate posita est. Tum ille, Mortis nostræ, & uitæ, inquit, unus est dominus & moderator præpotēs Deus, cuius ego uoluntati totum me addixi. Neque uero uideo quid tantum intersit inter uiuere, & mori, dum utrunque recte fiat. Interea quidem dum in his locis dego, uitam illam conabor imitari, quæ in cœlo uere plena, & uere perfectæ est, ut exercitatione mentis potius, quam sensibus oblectandis uiuam, quando & immortalitatem illam spero consequi, quam Deus fidelibus suis proposuit, nec id tamen meritorum meorum fiducia, sed Dei ipsius clementia & bonitate adductus. Hic ego animo non parum commotus; Macte uirtute, inquam, mi frater, pietatem enim istam tuam exosculor, teque ita sentire uehementer gaudeo; sed tamen fieri utrunque meo iudicio commode potest, ut & Dei totus sis, & ut te nostri quoque interdum, qui te tantum amamus, subeat cogitatio. Et ille: iam uero mittamus ista, inquit, & potius istud, modum quod legebas, comunica mecum; siquidem hoc fraternum imprimis, & tuum est, uelle quæcumque habeas, ea tibi mecum communia esse. Epistolam legebam ad Romanos illam ipsam, inquam, quæ tota maxime scætet cœlestibus, abstrusisque mysterijs. Peropportune uero hoc, ille inquit, collecta enim iam habebam ex illa aliquot loca, de quibus sententiam tuam percontarer; at quando ocium nobis nunc quidem est, festisque dies, & nihil aliud potius, quod agamus, gratissimum feceris mihi, inquit, si epistolam mecum unam percucurreris, & totam illam fueris interpretatus. Cupio enim maiorem in modum mihi de illa quid Apostolus sentiat, penitus liquere. Etsi enim plurimorum doctissimorum, eorundemque sanctissimorum



rum hominum scriptis, ac monumentis excussa ea saepe, & pertractata est, quaedam tamen remanet etiam nunc in mentibus nostris haesitatio, ut nescio quid magnum ac diuinum in illa uideatur delitescere, quod nondum satis comprehenderimus. Faciam equidem mi frater, inquam, id quod tu uis, neque quicquam optimo studio tuo abnuet uoluntas mea; sed tamen hoc ipso in negotio non me confido plus profecturum ad dubitationes tuas ex animo tollendas, quam fecerint illi, quorum tu lectione nondum plane es pacatus; nisi siquid forte scriptis, & commentationibus illorum adiutus, ac tanquam manibus in sublime elatus, procul magis conspexero; de quo non mihi, sed illis habenda erit gratia, quorum laboribus, & uigijs est effectum, ut aliquarum iam huius epistolae partium, nobis cognitio, & explanatio sit facilior. Non enim illi neque in doctrina, neque in pietate, neque in spiritus sancti munere, ac uirtute posteriores alio quopiam tulerunt partes; sed ita uoluit Deus sua arcana consilia ad cognitionem hominum dispensari, ut aliquid semper nouum scrutantibus appareret, nullaque unquam posset aetas, nulla decerpentium nec haurientium multitudo diuitias consumere infinitae sapientiae suae. Sed si me epistolam totam interpretari uis, id ne etiam censes, ut proferatur codex, & Apostoli uerba omnia recitentur? quod mihi uidetur quidem fore necessarium. Profus, inquit, & cum hoc uolo, tum illud imprimis abs te postulo, ut latine omnia atque ut inter ingenue eruditos maxime decet. Nam hos qui genere dicendi inaccurato, & incondito res theologicas scribere aggrediuntur, ego sane non probo. Nullum enim inest in ijs scriptis uerae pietatis specimen, non ad inflammandos in amorem Dei animos ulla apposita oratio. Sed tu qui latinae linguae cognitionem hoc tibi chariorem saepe esse dixisti, quod ea cum sacris literis coniuncta, Christianae pietatis uis ad permouendos animos & fortior fieret, & ornatior; age queso hoc mihi da, ut quoad quidem potest, cum pietate Christiana iuncta sit latinitas. Rem honestam postulas mi frater, inquam, neque enim decet ea, quae praecleara, & admirabilia sunt, oratione sordida coinquinare, quod in prima illa Ecclesia apostolis & Paulo nostro imprimis, necesse minime fuit. Tunc enim signis & miraculis longe efficacius, quam ulla possit oratione, uirtus Crucis comprobabatur. Nunc uero frigescente seculo, & ardoribus illis humanorum cordium penes iam restinctis, cum miracula quoque iam pridem propter diminutionem fidei magna ex parte fieri desita sint, aliquid uirium, & caloribus afferat oportet ad concitandos animos oratio. Quod nos tametsi in hoc quoque munere parum apti, tamen ut poterimus experiemur, conabimurque in eo morem tibi gerere mi humanissime frater, nisi sicubi tubiecta materies aliquam exiget a nobis magis suam, & propriam, quam latinitati congruentem loquendi rationem. Multa enim erunt uocabula a nobis ad communem nunc usum loquentium desectenda, quod te in optimam partem accepturum puto. Quidni accipiam, inquit, cum si possit quidem utrumque praestari, hoc est, quod potissimum exoptamus: sin minus, uincat religionis causa potius, quam Latinitatis. Hic ego, Librarium cum latino codice accersamus, inquam, qui recitet nobis uerba Pauli, quibus ab illo prolatis, tum nos ad illa exponenda, & declaranda id quod uidebitur, nisi tibi aliud uideatur melius. Tum ille, imò optime, inquit, uocatoque librario & allato libro, nos quidem ambo confedimus; ille stans in hunc modum exorsus est.

### Paulus seruus IESU Christi uocatus apostolus.

TVM EGO; Multa hic quidem, inquam, praeposenda essent, mi frater de nomine gemino Pauli; is enim & Saulus: de genere, de tribu, de harum epistolarum ordine, de modo & uarietate adscribendae in illis salutis; & cur haec ad Romanos caeteris antelata est, quae tamen scripta non fuerit prior. Vita quoque Apostoli, & mores, & assidue peregrinatio; res quoque gestae, & praedicationis ipsius magnitudo, atque utilitas. Sed nos neque historiam in praesentia scribere aggredimur, & haec tamen a plerisque interpretum egregie tractata, atque elaborata sunt, unde ea sumi possunt. Nos statum temporum duntaxat, & habitus animorum, qui quidem in his erant, ad quos scripta est haec epistola, breuiter exponemus, ut ex ijs argumenti, sententiaeque scribentis cognitio sit facilior. Nam cum euangelij nomen in toto orbe terrarum iam increbrescere

re coe



re cœpisset, & diuina in eo maxime appareret uis, quod nō humanis progressibus, ij enim tardiores, & impeditiores esse solent: sed inaudito, & admirabili curtu, tanquam fulguris de cœlo splendor, uox euangelica ueritatem, & salutem, & uitam æternam annuncians, per omnes iam prouincias, & regna cucurrisset, Romæ etiam, in qua ciuitate domicilium erat imperij orbis terrarum, celebre factum erat nomen **CHRIST I**, multiq; & ex Iudæis, & ex ciuibus, incolisq; cæteris in ea urbe uerbū Dei acceperant, & Christianam fidem profitebantur. Cum Sathanas is cui ista res, & noua mundi ad Deum uerum conuersio mœrorem, & luctum imprimis afferebat: Siquis dem ipse regnum, quod tot seculis sine molestia aut controuersia aliqua possederat, adueniente Deo relinquere, & sese in angustum contrudere cogebatur, omnibus artibus obuiam ire constituit, duabusq; astute comparatis fraudibus, altera, turbare eos, qui iam ad fidem uenerant; altera, cæteros ne uenirēt, instituit deterrere. Ac primum Simonem quendam ē Samaria nactus, hominem magicis artibus deditum, & maleficijs infamem, cōiunxit eum cum apostolis **CHRIST I** in ipso penē primordio exorientis ecclesiæ, falsaq; usurpatione fidei, & baptismatis in Christianum nomen illum insinuauit. Qua adiunctione quidem & societate scelestissimi uiri, cum item ipse, sicut cæteri, qui fide optima erant, Christiana appellatione uteretur, sacrificijs autem occultis, atq; infamibus, cuiusmodi magica illa sunt sacra, nomen **CHRIST I** uulgo in uituperationem adduceret, tanta sanctissimum Christianæ religionis nomen in illa patratione miraculorum, magicarum præstigiarum calumnia cōsecuta est, ut anceps diu postea, asiduumq; certamen cum falsitate habuerit ueritas: & hi qui extrā essent, proculq; tantum aspicerent, nec interius cognoscere curarent quid in re esset, & in ueritate, illo rumore infamiæ adducti Christianum imprimis nomen auersarentur. Sed hunc obicem ad auertendos hominum animos ab obtutu & cognitione ueri luminis, diabolica fraude oppositum, atq; munitum ipse perfregit, & summouit longe Deus, ueritateq; per martyrū mortes, palmasq; patefacta, lata ad salutem fidemq; uenientibus complanata est uia, in quam omnes postea propē gentes nationesq; inundauere. Alterum fuit Sathanæ commentum, quo iam qui fidem **CHRIST I** rite acceperant, ea quæ fidei sunt, minus attendentes, operantesq; proposito, & spe sua cœlestis consequendi præmij frustrarentur. Nam cum & Dei amor, & proximi, & uoluntatum cōmunio inter fratres, ac charitas præcipuē postuletur, ipse pro his omnibus discordias, & dissensiones animorum, iurgiaq; litium, & contentionum conatus est introducere: idq; in principe terrarum præcipuē urbe, spe non dubia fretus, si ibi turbare res arbitrio suo potuisset, & consensionem fidelium diuellere, cœtusq; discere, reliquas orbis terræ ciuitates, atq; prouincias exemplum urbis dominæ secuturas. Huic nunc periculo succurrere uult Paulus, legatus quidem à Deo, & domino **IESV** Christo, ad ueritatem Euangelij gentibus annuntiandam. Sed & ipse ita studiosus, & audius omnium salutis, ut non illum terræ, non mariæ, non labores, non ærumnæ, non minæ, non terrores, non uerbera, nō tempestatum casus, & naufragiorum, non mortis timor, non corporis dolor unquam uel minimum retardare potuerint, quin ad eos qui ignorabant docendos, ad eos qui periclitabantur seruandos accederet, accurreret, aduolaret; non uitæ suæ uspiam, nō salutē parcens, dummodo cætorum tegeret, tuereturq; salutem. Porro autem hic est uas electum à domino, in quo tanta abundauit diuinæ benignitatis gratia, primum ut penē inuitus, & reluctans ad fidem **CHRIST I** compulsus sit; deinde tot cœlestibus bonis refertus, ac cumulat, ut quæ duo inter se diuersa sunt, & neq; ea simul haberi, neq; in alterutro separatum ab homine excelli posse uideatur, ipse egregie utraq; fuerit complexus, summam uidelicet rerum diuinarū scientiam, & summam in rebus gerendis alacritatem animi, & in toto actionum genere diligentiam, industriam, ac nauitatem. Etenim si scripta eius, & doctrinam accuratius intueare, nō illa in terris inuenta, sed ē cœlo de prompta penitus intelligatur, in quo semper mente, & cogitatione habitauit Paulus. Sin autem sollicitudines, & ærumnas, & peragrata ab eo orbis terrarū spatia, & monendi, obsecrandi, pacificandiq; labores, uitam deniq; omnem plenam agitationum, & periculorum considerandā tibi proponas, admirere profecto, quo pacto tanta cœ-



lestis sapientiæ in eo, cui otij nihil unquam fuit, excreuerit magnitudo. Sed nimirum aliud est, quod hominis labor, aliud quod Dei uirtus & potentia facit. Ille amore Dei ardens, & charitate erga proximum inflammatus, & sine labore, ac tempore altissima Dei consilia illo aperiente cognoscebat, & in iuuando seruandoq; proximo laborem sibi omnem iucundum esse ducebat; qua eadem charitate incitatus, cum audisset Romæ inter fratres dissensiones esse, & ipse ad eos tota mente properaret, præmisit hanc epistolam, ut quoad ipse ueniret, haberent illi interea monumentum hoc, & uelut testimonium literis consignatum suæ & de Deo, fideq; C H R I S T I sententiæ, & erga eos uoluntatis. Dissentiebant porro illi ob has causas. Cum unam in fidem C H R I S T I ciues Ro. complures conuenissent, & ex Iudæis permulti, quippe per quos C H R I S T I cognitio Romam ex Iudæa fuisset deportata, eueniebat ut inter probos, integrosq; multos aliqui fallaces, & uersuti existerent, qui in noua religione non tam gloriam Deo, quam sibi honorem, & quæstum aucuparentur. Atq; ij ex Iudæis, qui antea præsertim in lege habitū peritiores, auctoritatem legis & ciborū obseruantias, aliarumq; cerimoniarum plurimum ualere cupiebant, quod ipsorum etiam grauior haberetur auctoritas. Hi ut genus utrunq; in potestate haberent, cū se apostolos etiam C H R I S T I, & ab eo missos ad prædicandum Dei regnum gentibus affirmarent, primum suis Iudæis persuadebant ne à lege deficerent, & ea cuncta obseruarent, quæ in lege erant præscripta, quasi sine illis salus esse non posset, idq; etiam eos admonebant, ut gentium pollutos ritus abominarentur, ne ue familiari usu cum illis sese iungerent, tantummodo in nomine I E S U baptizarentur, & hanc lauacri sanctissimi munditiam ad cæteras legis purgationes adijcerent, quod fierent ipsi puriores. Deinde ad gentes conuersi, inutile illis C H R I S T I nomen sine legis obseruantia, & circuncisionis sacramento esse dicebant; hortabanturq; ut ad Iudæos se conferrent, & illorū ritibus cerimonijsq; imbuti, sic demum ad C H R I S T V M peruenire contenderent. His uocibus erat factum, ut hæsitatio primum inter fratres, deinde obtreccationes occulta, post aperta dissensio existeret, quæ eruptura uidebatur apertam ad seditionem, & ad defectionem à fide ueri Dei, nisi diuina curante prouidentia Pauli uirtus, & diligentia in tempore subuenisset. Nam cum gentes insuetæ seruituti fidem quidem C H R I S T I libenter acciperent, detrectarent autem iugum legis, & propterea Iudæi illas aspernarentur, nec putarent dignas, quæ Deo essent cordi, quod pollutas esse dicerent, & in peccatis totas inuolutas, ipsi autem ex lege piatos sese, & mundos esse ducerent, cogebantur è contrario, qui è gentibus erant, præcipuè Romani his contumelijs permoti obijcere Iudæis ignobilitatem nationis, & quod Romanorum serui iure belli effecti iniquè, atq; iniuriæ dominos suos auersarentur, cum etiam quatenus ageretur de C H R I S T O, illi indigni essent, qui ab eo diligerentur, quem cruci affigendum curassent; ipsi uerò dignissimi qui eum simulatq; cognouissent, statim amare, uenerariq; & filium Dei confiteri cœpissent. Hic erat status tunc iam Romæ coalescentis Ecclesiæ, hæc inter illos querimoniæ, animorumq; dissidia, ambitione & malitia nonnullorum instigante Sathana cōcitata. Quibus Paulus in præsentia mederi intendit, & prout unaquæq; postulat res, errantibus, atq; infirmis mentibus opitulari. Nam & Iudæos à causa quidem Dei profectos, sed superstitione aberrantes castigat, & corripit, reuocatq; in rectam uiam, ostendens legem præstantiore adueniente gratia inanem factam esse, solamq; fidem C H R I S T I ad salutem uim habere. Reliquos uero ad fidem quidem simpliciter accedentes, sed in Romanæ urbis magnitudine, & gloria, ex qua oriundi erant, nobilitatem constituentes, & propterea aspernantes nationem Iudæorum, admonet, & docet nō eam esse ueram nobilitatem, quæ armis, & opibus, & mundanis imperijs, sed quæ ex honore, & iudicio omnipotentis Dei acquiritur, qui cum honos generi Iudæorum ab ipso Deo tributus sit, ideo nō eos contemni debere, sed in pretio haberi. Ita in utrisq; & quod per superbiam in ipsis intumuerat, coercens, & deprimens; & quod per alternas contumelias subsederat in æquum excitans, corpus unum efficere conatur Ecclesiæ, sibi ipsum æquatum, & concors, & in omnibus rebus ad mutuam charitatē consentiens; quod spiritu C H R I S T I totum possit uiuificari, tanta ui & copia spiritus sancti,



tanta cognitione consiliorum summi Dei rationes suas confirmans, ut non uereat re-  
petere id quod antè dixi, Quicumque ad sensum & doctrinam maximi Apostoli dili-  
gentius intuendam, & perspiciendam accesserit, neq; is animū ad cōtradictum pas-  
ratum, sed æquum, & permittentem se ueritati attulerit, nunq̄ eum de fide CHRIS-  
TI, nec de crucis mysterio aliquid dubitaturum. Hic Iulius: Magna sunt, inquit,  
frater quæ polliceris, & mihi quidem uehementer expectata. Etsi enim ad animi mei  
confirmationem, quod quidem ad fidem CHRISTI pertinet, nullius autoritate,  
nec rationibus indigeo, magno tamen cōmodo, & adiumento futurū arbitror fidelis-  
bus omnibus aduersus eos, qui religionē Christianam oppugnare conantur, præser-  
timq; Iudæos, si ea, quæ polliceris, potueris præstare. Res ipsa indicabit, inquā, tan-  
tum animus æquus sit, & ueritati consultō non repugnans. Sed antequam ad expo-  
nenda Apostoli uerba mi frater ueniamus, id quod imprimis in hac causa est necessa-  
rium, supplices omnipotentem Deum obsecremus, ut nobis de spiritu sapientiæ suæ  
suppeditare dignetur, sine quo nil præclarum, & arduum ne cogitare quidem idonei  
sumus: illuminetq; mentes nostras, & donet eloquiā casta, ut ea effari, & pronuntiare  
ualeamus, quæ ipsi quidem accepta, & grata, cæteris salutaria esse possint. Quæcunq;  
enim ab Deo, & ab eius sancto spiritu non proficiscitur oratio, ea nec uim ad imprimē-  
dam in cordibus cognitionem eius ipsius Dei habere potest, nec ad bonos mores  
formandos autoritatem. I V S & æquum postulas, inquit, sicq; faciamus.

PAVLVS seruus IESV Christi uocatus Apostolus, separatus in  
Euangelium Dei.

QVOD nomen suum Apostolus in epistolis præponat, est id more usitatum:  
quod non eodem modo in omnibus, sed uarie id efficiat: huius quoq; dissimilitudinis  
ratio in personis eorum, ad quos scribit, & in temporibus est sita. In una tantum ad  
Hebræos epistola id prætermisum est, quod ratione factum & consilio. Quoniam  
enim Paulo uelut legem impugnantem Iudæi erant offensiores, noluit eos à saluberrima  
illi epistolæ lectione, primo statim aspectu ex sui nominis inuidia dimouere.  
SERVVS autem IESV Christi, ut status sui humilitatem, & se aliq; laborare  
non sibi, quæq; ipse obtineat, ab alio se habere, hoc est à Deo, non à se ipso ostendat: &  
hoc, ut tacite coarguat falsos apostolos, qui nō Deo, sed sibi seruibāt, euangeliumq;  
CHRISTI quæstui habebant, uel ad ambitionem suam referebant. Et illi quidem  
tales ex Iudæorum erant numero, legem, euangeliumq; miscentes, quatenus eis foret  
commodum: contra quos item intentū est, quod sequitur: VOCATVS APO-  
STOLVS, ab eodem Deo uocatus apostolus uidelicet: nam illi semetipsos aposto-  
los uocauerant: non decet autem sanctos, & probos ingerere se, sed uocari eos à Deo  
oportet, tanquam Aaron. Itaque hoc more loquendi sæpe utitur Paulus: Vocatis,  
inquit, IESV Christi, & uocatis sanctis. quasi nihil in nobis ueræ uirtutis inesse  
possit, nisi omne à Deo fuerit datum, & tributum. Atque illi quidem falsi apostoli, ut  
diximus, non Deo, sed cupiditatibus suis seruibant. Paulus autem omni genere ser-  
uitutis Deo erat obstrictus, nā & eo modo seruibat, quo opus opifici, & omnia con-  
dita cōditori suo, quo sensu in scriptura dicitur: Omnia seruiunt tibi. Et uelut à Do-  
mino pretio sanguinis emptus, & è seruo peccati, seruus effectus iustitiæ, quemad-  
modum ait ille, Vt liberati à peccato, iustitiæ seruiamus. Illa quoque ratione seruus,  
quod ministerium suum in Euangelio præbebat Domino: neque ipse, sed potius in  
eo CHRISTVS, sua inter gentes beneficia diffundebat. Cuius simile de Moyse  
Deus: Moyse famulus meus mortuus est. Dominus enim per Moysen populum  
suum docebat, & gubernabat. Item sicut qui in bello capti sunt, uictoris serui effici-  
untur, sic Paulus hostis primo IESV Christi, postea diuina illius uirtute captus &  
superatus, eius ipsius præda, & mancipium factus est. Et de seipso loquens: Ego Pau-  
lus uinctus IESV Christi, SEGREGATVS in Euangelium Dei, hoc est ab  
alijs curis omnibus, negotijsq; semotus, & huic uni operæ prædicandi Euangelij to-  
tus addictus, ut ipsemet infra: Cui seruius in spiritu meo, in Euangelio filij eius. Mul-  
tis quo



tis quoque alijs in locis necessitatem sibi ait prædicandi Euangelij, & uel sibi, si non prædicet: & suum unum esse hoc munus, suum negotium testatur, à Deo sibi commissum, in quod solum incumbat. Nam & ad Corinthios scribens, non se ad baptizandum, sed ad Euangelizandum missum esse confirmat. In actibus quoque Apostolorum eodem modo loquendi spiritus sanctus: Segregate mihi Barnabam, & Paulum, inquit, in opus ad quod uocaui eos, quod est, liberos & uacuos ab alijs negotijs reddite. Quanquam fuit etiã Paulus seorsum à cæteris Apostolis uocatus, & in hoc munus missus. Nam cæteri Apostoli item ad apostolatam uocati erant, & prædicandi Euangelij etiã inter gentes munus commissum à CHRISTO sibi habebant; sed uno tempore, & coniunctim uniuersi, quæadmodum in Matthæo præcipue licet cognoscere. Paulus autem & separatim, & alio tempore ad illud idem officium legatus à domino Deo est. Vocatus ergo Apostolus, separatus in Euangelium Dei; Apostolus in Euangelium, quod est missus; separatus, quod aliquanto postquam cæteri, apostolatam, & prædicationem suscepit Euangelij, quam maxime ipse quidem inter gentes exercuit, & in hoc unum opus fuit destinatus. Veruntamen ut auctoritatem, & fidem suis dictis astruat, apud eos, qui hanc epistolam erant accepturi, & dociliores eos faciat, instituatque facilius, de se quidem modice, de eo autem, qui eum misit, & de Euangelio, ad quod prædicandum erat missus, loquitur magnificentius: Nunc prædictiones, & promissiones summi Dei, illiusque benignitatem, potentiam, iustitiam, in tota epistola, nunc uirtutem, utilitatemque Euangelij annuntians. Et sanè cum Euangelium latine bonus nuntius sit, lætitiã, spem, euentumque rerum meliorum nuntians, nihil unquam lætius, neque optatius humano generi potuit accidere, quam intelligere se in gratiam uenisse cum Deo, benignitatemque illius, & in omni genere beneficentiam, quæ prius seculis omnibus sibi fuisset abscondita, tunc primum expositam, & patefactam esse: bonaque omnia, quæ ex illo tanto autore manare in nos congruum fuit, effuse, & largiter nobis ab eo data, atque donata, cognitionem ueri Dei uidelicet, amoremque erga illum, nostrum, & illius mutuuum erga nos: qui quidem & prior ab Deo declaratus nostrum postea in Deum prouocauit amorem. Sic enim Ioannes: Charitas Dei erga nos extat. Non quod nos dilexerimus Deum, sed quod ipse dilexit nos. Virtutum quoque omnium earum, quæ huic diuino amorì perpetuæ sunt comites, præstabilem quandam insolitamque magnitudinem idem nobis Euangelium attulit; nec non & pacem animis, cum ipsis secum, tum cum eodem Deo, adoptionis & filiorum Dei nomen, regnum cœli, uitam æternam, hanc tantam ubertatē, & penè profluentiam omnium maximorum, uerissimorumque bonorum, quam Euangelium uocamus, promisit quidē nobis, & prænuntiauit iam diu pater noster Deus, sed ad nos pertulit Dei filius, Segregatus itaque in Euangelium Dei.

Separatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo.

QUOD Euangelium, inquit, Deus promiserat per prophetas suos multis quidē in scripturæ locis, & multipliciter de filio suo, ut cum ad Abraam dixit: In semine tuo benedicetur omnes tribus terræ. Et cum per os Iacob: Donec ueniat, qui mittendus est. Et Dauid: Mitte Domine legislatorem, ut sciant gentes, quoniam homines sunt. Idem quoque Dauid: O Domine bene prosperare, benedictus qui uenit in nomine Domini. Et: Speciosus forma præ filijs hominum. Et: Dominus dixit ad me, filius meus es tu: ego hodie genui te. Et Esaias: Egredietur uirga de radice. Et paulo post: In die illa radix Iesse, quæ stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum. Et propheta alter: Hic est, inquit, Deus noster. Et paulo infra: Posthæc in terris uisus, & cum hominibus uersatus est. Quanquam non multa magis in scriptura testimonia, quam tota scriptura de filio Dei est testis. Qui quidem Dei filius & annuntiator, datorque est Euangelij diu antè promissi, & ipsemet Euangelium, Euangelium enim Dei, inquit, quod promiserat de filio suo. Etenim uita nobis & ueritas, & summum ipse IESVS Christus est bonū. Ac nunc  
quidem



quidem iustius hoc Euangelium, quàm antea in lege ueteri, nominatur. Primum, quia olim in una tantum natione inclusum, & in ea paucis patefactum; nunc passim omnibus hominibus prædicatum, & annuntiatum est. Deinde quia tunc in longum tempus differebatur eius expectatio, quæ modo omnibus hominibus est representata. De his uero, qui postea prædicauerunt Euangelium, qui illud per orbem terrarum, circum gentes, & populos annuntiauerunt, non siluit etiam scriptura. Dauid: Dominus dabit uerbum euangelizantibus uirtute multa. Et Esaias: Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem! Quoniam autem filius Dei idem est, & filius hominis, ne forte in animis legentium nascatur hæsitatio, occurrit Paulus de filio suo inueniens:

Genito ex femine Dauid secundum carnem: diffinito filio Dei, in potentia secundum spiritum sanctitatis ex resurrectione à mortuis IESU Christo Domino nostro.

LICET enim Christus filius sit Dauid secundum carnem, tamen minimum in eo, atque infimum caro est: unius autem cuiusque rei ratio atque essentia non ex ignobiliore, sed ex optima in eo parte iudicanda est. Vt enim hominem non ex sensu, neque ex uita, sed ex ratione, quæ in eo pars potissima est, æstimamus, sic CHRISTVM ex his magis cognoscimus, quæ in eo longe præstantiora sunt. Habuit is carnem & rationem tanquam homo, quæ se etiam prima oculis nostris obtulit: sed habuit uim, & uirtutem, quæ supra omnem naturam esset, tanquam Deus. Ex hac igitur parte diuiniore potius censendus est: nam illud Græce *θεῖος*, si prædestinati conuertas, nihil alienius: Si declarati, accedas iam ad ueriores sensum: Si diffiniti, aut determinati & iudicati, totâ uim uerbi exprimas. Nam qui talia potuit, & ualuit CHRISTVS, etsi homo is quoque, & in carne hominis fuit, tamē ex diuinitatis uirtute à nobis iudicandus est Deus. Huic etiam rationi Ioannes euangelista consentit: Vidimus enim, inquit, gloriam eius, gloriam ut unigeniti à patre. Quem enim prius hominem existimaueramus, hunc postea ex uirtute, & mirabilibus factis iudicauimus esse deum. Virtute autem non humana, non corporea, non ex imperio, & potestate inter homines: sed uirtute ea, & potentia quæ est secundum spiritum sanctum. Est enim in scripturis iste loquendi modus, ut cum quid quale sit, uolunt indicare, abstractæ in eo qualitatis nomen ponant: ut odorem suauitatis, suauē: filium charitatis, charum: ac de Paulo ipso CHRISTVS, uas electionis, id est, electū: Sic in hoc loco spiritum sanctitatis, spiritum sanctum. Validus ergo, & potens CHRISTVS per spiritum sanctum, atque in eo cuncta operans, diuina, mirabilique potentia, qua & resurgere ipse ualuit à mortuis, & cæteris fuit ad infringendam tyrannidem mortis princeps & author. Mortis, inquam, non tam communis huius, & corporeæ, quanquam & ista quoque è nostro mortali corpore CHRISTI dono eijcienda est, immortalitasque induenda: Sed illius spiritualis & perpetuæ, quæ genus hominum uniuersum, nisi dei in filio benignitas nobis subuenisset, deo ipsi, & cœlesti uitæ æternæque prorsus fuisset mortuum: de qua huiusmodi resurrectione in toto fidei CHRISTI & Euangelij mysterio præcipue semper agitur. Ac Christus quidem ipse quoad uixit inter homines, cum hisque uersatus est, docendo, & sanando, etsi filius est Dei, tamen filius hominis plerumque & à cæteris uocatus est: ut ab illo clamante, IESU fili Dauid miserere mei, & semet ipse uocabat. Post mortis uero, crucisque mysterium, cum in præstantiorem uitam surrexisset, moxque in cœlum ascendisset, & spiritum paulo post sanctum in discipulos effudisset, toto utriusque uitæ actu & in se absoluto, & nobis demonstrato, humanis iam infirmitatibus in eo elisis, diuinisque uirtutibus retentis, Filius Dei deinde frequentiore uocabulo appellatus, & iudicatus est. Atque in hoc loco æqualitas trinitatis mirifice expressa est. Si enim CHRISTVS, qui est uirtus & potentia patris, per spiritum ipse sanctum, & in spiritu sancto potens est, uimque per eum, & potestatem suæ diuinitatis exercet, ubi sunt qui spiritum negant sanctum, parem personam cum cæteris in trinitate possidere?



Per quem accepimus gratiam, & legationem, ut obediatur fidei in omnibus gentibus super nomine eius, in quibus estis & uos uocati IESV Christi:

PER QUEM accepimus gratiam potius, quam à quo: ut ostendat à patre per filium se accepisse gratiam, & nusquam amborum commune opus seiungat. Gratiam quidem, quoniam totum à Deo est profectum ut & idoneus ipse fieret, & factus idoneus mitteretur ad annunciandam fidem omnibus gentibus, quò illa ab omnibus acciperetur. Etenim sic est perspicue in Esaia scriptum: Parum est, ut seruias mihi ad expegefaciendum tribus Iacob, & ad conuertendum desolatos Israël: sed dedi te in lucem gentium, ut sis salus ex me usque ad extremum terræ. Omnes enim qui ubique sunt, ad ueri Dei cognitionem, & salutem suam uocati sunt. Siquidem in omnem terram exiuit fidei, & apostolorum sonus. Non omnes tamen auscultauerunt. Sed hoc sua illorum, non Dei culpa. Qui uerò audiuerunt, & paruerunt, ijs in CHRISTI nomine credere fuit necesse. Quo pacto etenim fides Deo habeatur inuitanti ad ueram sui cognitionem, uerumque cultum, & uitam propterea æternam, cælicque regnum promittenti, si is, qui hæc ex Deo annunciat, minime cui credatur, idoneus iudicetur? Est autem plena fides, credere in Deo patre, & in CHRISTO Iesu. Quid autem credere? eos esse (ut plurimum numero nunc tanquam personas duas enunciemus) qui cælestia ista bona & dare soli possunt, & daturi fidelibus suis sunt, quæ est potestas unius dei, trinitique propria. Nostra igitur in Deum ipsum fides super IESV Christo & nomine sancto eius fundata est, in ipso enim solo & per ipsum solum ad Deum nos adiungimus. IN QUIBUS ESTIS & uos. In quibus, inquit, gentibus, & his, qui obediunt fidei, estis & uos uocati IESV Christi. Quod intelligendum est, cum hoc modo loquitur Apostolus, uocati apostoli, uocati sancti, uocati IESV Christi; uocatos in his locis non in participij ui, sed nominis esse prolatos. Hi enim sic uocati sunt, qui auscultauerunt, & paratas aures uocationi Dei præbuerunt. De quibus in Euangelio CHRISTVS: Nemo uenit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Et rursus: Oues meæ, quæ audiunt uocem meam.

Omnibus, qui Romæ estis dilectis Dei uocatis sanctis, Gratia uobis, & pax à Deo patre nostro, & domino IESV Christo.

VOCATIS sanctis, inquit, uocatis à IESV Christo in sanctitatem & puritatem, & cognitionem Dei ac filij, quæ est uita æterna. Gratia autem & pax, quoniam patris gratia & benignitate factum est, ut ueniret filius ad reconciliandam pacem hominibus cum Deo. Pater autem noster est Deus, quia & fecit nos primo ad imaginem suam: Filius enim imago est patris, & post arctioribus etiam necessitudinum uinculis in filios sibi adoptauit.

Primum quidem gratias ago Deo meo per IESVM Christum de omnibus uobis, quoniam fides uestra annunciatur in toto mundo.

AGIT gratias Deo de aliorum bono, quod est ueræ, agit autem per IESVM Christum, quod est Christianæ charitatis proprium, quæ tamen sola uera est: sola enim uia, & unica ad Deum CHRISTVS est: & qui aliunde ad patrem nituntur ascendere, non per ostium, ut domestici, sed per pseudotyrum, ut fures conantur ingredi. Sed & in patre, & filio, & spiritu sancto tribus uidelicet personis, cum unus sit Deus, nihil refert, cui persone agas gratias. Per eam enim, aut in ea agis deo. Per eam, cum per CHRISTVM, aut per spiritum sanctum Deo agis gratias. In ea, cum ipsi met agis patri. Cum ergo gratias agit Paulus CHRISTO Iesu, quod eos, ad quos ipse scribebat, fideles suos effecisset, per eum nihilominus agit Deo.

Testis enim mihi est Deus, cui seruió in spiritu meo, in Euangelio filij eius, quod continenter mentionem uestri facio, semper in orationibus meis precans, si qua iam aliquando dirigar in uoluntate Dei, ut ueniam ad uos.



DEVS EST mihi apud uos testis, cui seruió in spiritu meo, id est, in sinceritate, & uero corde. Nam quæ fiunt in spiritu, ea uere fiunt, & ab interiore homine fiunt, quoniam spiritus ad sese, ut qui simplex est, simulatione obduci non potest, nec aliud pro alio prætere. Sed si instituit fallere & mentiri, corpus sibi aduocet necesse est, cuius ministerio utatur ad decipiendum. Corpus enim spiritui tanquam persona est, quæ cum extraneam formam, alienamq; obtendit, interiorum, & ueram non facile finit cognosci. Quod personatis accidit, qui fallere idonei sunt, quod uere ipsi sunt intus occultantes, quod fictum, fucatumq; est, aspectibus obijcientes. Hanc personam Iudæi ita attendebant, ut in ea sola fere insisterent, nec quod intus erat, perspicere laborarent. At neq; adoratio, neque uictimæ, nec oratio ipsa, uocisq; prolatio, nec frontis uultusq; demissio, flexusq; ceruicis ueram seruitutem Dei indicat: possunt enim ista à contraria animi uoluntate ad simulationem fallaciamq; conuerti. Ipsa autem uoluntas ipsam se non decipit. Est enim sui optime conscia, & cum seruit Deo, in ueritate seruit. Quamobrem & hos adoratores, qui in spiritu adorent, & in ueritate, quæ se sibi Deum satis aperte apud Ioannem mulieri Samaritanæ differuit Christus, Paulus igitur ut ostendat ueritatem seruitutis suæ erga Deum, seruire illi sese ait in spiritu suo, quod est in interiore homine. Et simul ut auctoritatem Iudaicæ legis iam eneruare incipiat, quæ deo seruebat non in spiritu, sed in litera, & in ijs operibus, quæ corporea sunt. Habet autem spiritus eiusmodi cognitionem cum Deo, ut tanquam simile simili statim coniungatur, & pateat. In eo itaq; Paulus se inquit seruire Deo. At in quo seruire opere? In euangelio filij eius inquit. Quod supra dixerat euangelium Dei de filio suo, nunc euangelium id filij appellans, uidelicet illud ut demonstraret, non esse opus neq; à filio patris, neq; à patre filij seiunctum ullum: & simul ut innuat filium ipsum rectè Euangelium uocari. Siquidem CHRISTVS idem & monstrator nobis, duxq; uia; est ad cælum, & ipsa uia; docēs ueritatem, & ipse ueritas: intronmittens per ostium, & ipse ianua; sic euangelista ipse, & euangelium, in quo quidem euangelio Paulus ad seruiendum Deo est constitutus. Quo etiam patet id quod antè dixerat, se ab alijs omnibus curis, & negotijs in hanc unam prædicationem euangelij Dei, in qua Deo seruiat, separatam à Deo, segregatumq; fuisse.

Desidero enim uidere uos, ut aliquid impertiam gratiæ uobis spiritualis in confirmationem uestri, hoc est, ut mutuam capiam solatium in uobis per alternam fidem, & uestram, & meam.

PRIVS tanquam præbiturus illis ex se, & sua in fidem Christi constantia, ac firmitate solatium, & in eadem fide firmitatem loquens post mitigauit orationem, ne uelut censor, & magister loqui uideretur: paremque sese, & unum de illis fecit, ut alterno fidei exemplo inquit, ego ex uobis, uos ex me consolationem, & lætitiā capiatís.

Nolo autem uos ignorare fratres, quod sæpe proposui uenire ad uos, & uetitus sum usque adhuc, ut fructum aliquem habeam & in uobis, sicut & in reliquis gentibus & Græcis & barbaris, & sapientibus & insipientibus debitor sum, sic quantum est in me, promptus sum & uobis, qui Romæ estis, euangelium prædicare.

CONSTITVI uenire, inquit, ut fructum aliquem feram in uobis: Traiectio enim est, quam Græci *ὑπερβασις*, cum trans sententiæ, uerba ue ponuntur, & alijs interfitis tunc demum ad ordinem reditur. In quo sanè usu traiciendi, & interponendi Paulus creber est. Fructum autem aliquem ut feram in uobis, si aut solatio alii cui uestrum fuero, aut aliquos reddidero firmiores: aut etiam si ex numero eorum, qui nondum credunt, aliquos docuero ueritatem Euangelij, & ad ueram fidem conuertero. Hi enim sanctis hominibus suorum laborum, & actionum sunt fructus, si quos in aliena procuranda utilitate percipiunt. VETITVS sum usq; adhuc, inquit, non alio opere diuerso à prædicatione Euangelij, sed hoc ipso prædicandi officio



officio apud alios per uoluntatem Dei impeditus. Non enim Paulus cum rei familiaris tempus impendisset, aut cum prædia locasset, & quæ erant domi, composuisset, tum se conuertebat ad prædicationem Euangelij. Hominum enim non Deo, sed sibi inferuentium ista sunt. Sed in hoc uno prædicandi munere totus ille & usquequaq; erat infixus, neq; aliud quippiam curabat omnino, nisi ut per suum laborem, & diurnam, nocturnamq; sollicitudinem reliqui in gratia, & beneuolentia cum Deo esse possent. Itaq; sicut in cæteris gentibus, inquit, omnibus doctis, & indoctis (est enim hoc illud, & Græcis, & Barbaris, & sapientibus, & insipientibus, hoc est, & simplicibus & callidis, quoniam mundi huius sapientia, calliditas potius, & uersutia quædam est) sed sicut omni hominum generi, & conditioni omni in cæteris gentibus debitor sum huius prædicationis, quoniam hoc mihi datum est ab Deo negotium, ut prædicem omnibus, sic & uobis quantum in me est, qui Romæ estis, cupio prædicare.

Non enim pudet me Euangelij CHRISTI: potentia enim Dei est in salutem omni credenti, & Iudæo primum, & Græco.

OMNIBVS gentibus, inquit, prædicandi Euangelij debitor sum, quod minus usque eo non refugio, ut eo etiam gloriær, quanquam Christianam secutus modestiam hoc uerbo gloriandi non est usus. Nam in infirmitatibus gloriari, & in ignominijs, & in arumnis proprium magis est Christianæ uirtutis, sicut ipse alibi: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis. Et: Mibi absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. In his autem rebus, quæ quandam nobilitatem, & gloriam apud homines præferunt, exultare & gloriari non est Christi cultorum. Quod si res ipsa, quam agebat Paulus, ac non ipsius humilitas, modestiaq; pendatur, quid magnificentius, aut maiore erat cum gloria prædicandum, quam legatum electum esse ab omnipotente Deo ad ueram felicitatem, & uitam æternam omnibus gentibus annunciandam? Attamen in hoc nõ gloriatus est Paulus. Omnem enim gloriam rerum tantarum, & tam optandarum ad authorem Deum, & Christum referebat. Ipse uero legationis ministerium, prædicationem scilicet euangelij non erubescibat. At quamobrem non erubescibat? Quia euangelium, inquit, potentia Dei est in salutem omni credenti. Nam aliàs quidem potentia Dei apparuit in puniendis, & exterminandis non tam singulis sæpe hominibus, quam integris nationibus, ut in Sodomitis, & in Aegyptijs patuit, ac in ipsis quoque Iudæis, multoq; magis in toto hominum genere diluuiouibus aquarum abolendo. In conseruandis uero, & admittendis ad amicitiam sui, sic uniuersè passimq; hominibus nusquam alibi Dei potentia, quam in euangelio perspicua facta est. Hoc enim ipsum illud est Euangelium, quod salutem omnibus dat, quod à morte uindicat, quod immortalitatem donat, si credatur, in quo maxime sita est dei potentia. Omnis enim illuminatio cæcutientium, directio errantium, iustificatio impiorum, languentium quoque uegetatio, & mortuorum exuscitatio istud ipsum Euangelium est; & ipse Christus, qui idem recte, ut in his uerbis ostenditur, dicitur Euangelium, in quo nimirum qui credunt, ista omnia consequuntur. Nec uero alijs in rebus, aut operibus præstantius elucet Dei omnipotentis potestas, & magnitudo, quam in hoc Euangelio, quod solum salutem atque uitam omni credenti dat, siue ille antea Iudæus fuerit, siue Græcus. Licet enim Iudæus in lege, Græcus in sapientiæ studijs gloriætur, nec ille tamen sine fide, nec hic nisi per fidem saluus esse potest. Nam quod ait, & Iudæo primum, & Græco, primum illud antecedentiam denotat, non dignitatis, sed temporis, ut primum dicatur, id est, ante Euangelium. Vterq; enim cuiusuis antea fuerit generis aut professionis, uel Iudæus uidelicet, uel Græcus, non ex eo quod antè fuit, sed ex hoc quod in Euangelium credit, salutem adipiscitur. Atque hoc uno modo illud primum intelligendum est, minus fortasse apte, si ad elegantiam linguæ attendas. Sed talis fermè Paulus non tam uerborum cultum, quam sententiarum uim expendens. Animaduertendum autem est Græci nomine, Paulum omnem hominem comprehendere, qui sit idolorum cultui & adorationi deditus: duasq; tantum sectas hominum scripturæ sanctæ esse, Iudæos, qui uerum Deum colant: & Græcos, qui falsos deos



deos ueneretur, Qua ratione & Romani, & Barbari omnes hoc quidem in loco & in plerisque scripturæ locis sub Græcorum nomen succedunt. Nam quod paulo antè Græcos distinxit à Barbaris, id in literis, & in moribus fecit. Cum autem loquitur de sectis, Græci omnes dicuntur, qui sunt, aut fuerunt idòlis dediti. Quod etiam in Matthæo, & in Ioanne, & in Apostolorum Actis, quæ scribitur factum esse murmur Græcorum aduersus Hebræos, ita esse cernitur, ut Græcos perspicue scriptura pro omnibus qui coluerunt, aut colunt idòla accipiat; & sanè perpetuis aliquot deinde seculis, & ad nostra fermè tempora, quoad Romani principes sedem imperij Orientis Constantinopolim tenuere, quicumq; accerserentur hoc crimine, quòd cultum idòlis impendissent, *πῶς ἐλθόντες* dicebantur accersi, ut uocabulo ipso indicaretur, non gētis, & nationis esse illud crimen, sed falsæ religionis.

Iustitia enim Dei in ipso reuelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est, Iustus ex fide uiuet.

Q U O D dixerat Euangelium potentiam esse Dei in salutem omni credenti, declarare nunc nititur, & ostendere, quomodo ex Euangelio sit salus, sic breuissime rem totam exponens. Quid ita enim Euangelium potentia Dei est in salutem omni credenti; quia iustitia Dei in ipso reuelatur ex fide in fidem. Quod ut planius fiat, alto enim sensu ab Apostolo est positum, sic exponemus. Diximus suprà Euangelium esse, & eum, qui annunciat, Christum, & ea quæ à Christo annunciantur, æterna credētibus bona, quæ tamen, si subtiliter inspiciatur, ipsemet est Deus. Potentiam autem Dei Euangelium esse, quoniam eos qui credunt, & statim iustificat, quauis prius impios; & excitat ad uitam, Deo antea mortuos. Quorum utrunq; spiritualiter intelligendū est. Nam neq; iustificatio in corpore est, sed in solo spiritu: spiritus enim & pietatem, & impietatem solus accipit, corpus tantum ministrat, & subseruit spiritui. Mortem autem & uitam uterq; & spiritus scilicet recipit, & corpus. Dei ergo uirtus & potentia, quod ipsum est Euangelium, & ipse Christus, simulatq; in eum quis crediderit, & statim iustificat impiū, uero spiritali iustitiæ dono; & suscitāt mortuum, translato à morte corporis uocabulo. Mors enim in corpore non quidem magis uerè, sed magis communiter uulgò ab hominibus dicitur. Sed sicut corpus amissa anima huic luci, & huic uitæ defunctum est, sic animus, & spiritus amisso Deo, ueræ & uitæ, & luci est mortuus. Qui si ex illis tetra mortis spiritalibus tenebris, Euangelij tuba excitatus, aurem, animumq; admouerit uerbo Dei, qui est Christus, fidemq; habens ijs, quæ annunciantur, & illa ipsa annunciata bona, & Deum ipsum, Christumq; concupierit, illiq; sese dederit, atque permiserit, ex mortuo repente fit uiuus, & ex impius. Virtus igitur Dei, quæ una facere ista potest, excitare mortuos uidelicet, & iustificare impios, quod ipsum est Euangelium, cum ad faciendi actum deuenit, quod contingit simulatq; quis in Euangelium pura mente credit, fit iustitia. Atq; id dupliciter, quòd & iuste ipsa agit, & eos facit iustos, qui sese illi permittunt, & sese ad eam cum fide cōferunt. At quomodo iustitia? ex uulgi enim sensu & ui uocabuli iusti illi nominantur, & illa iustitia, quæ delinquentibus pœnam, bene autem meritis præmiū refert. Hanc autem Dei ignoscentiam nō modo non exprobrātem uetera delicta, sed etiam eos, qui illa perpetrarunt, si credere instituant Deo, in gratiam secum & amicitiam recipientem, misericordiam potius, aut clementiam, & benignitatem nominabimus, sicut sepe & Paulus, & omnis scriptura nominat. Iustitiā uero proprio uocabulo nequaquam. Sed animaduertendū est iustitiam hoc loco pro toto genere uirtutis poni. Est enim iustitia non semper species illa uirtutis, quæ in faciendis iudicijs, & præmijs pœnis ue distribuendis tota cōsistit, sed uerius etiam, & illustrius iustitia est uersa uirtus, quæ in Deo potissimū huiusmodi est, qui nō habet distincta genera uirtutum, sed unicā tantū in se uirtutis rationē, diuiniore quodā modo in unū simplex, atq; summū uirtutis partes omnes, & omnia nomina comprehendentē. Cuiusmodi fermè deo in sacris literis iustitia attribuitur, ut cū dicitur: Iustitia tua iustitia in æternum, & lex tua ueritas. Et Esaias, quæ dominum inducit aspernantem ieiunia, quæ affligunt corpus, & potiora misericordiæ opera requirentem, suadentem dari panem



pauperibus, errabundos recipi, nudos uestiri, & sic demum inferentem; Tunc erumpet ut aurora lumen tuum, & anteibit ante te iustitia tua. Iustitiam eo loco pro omni bonitate, humanitate, benignitateque accipit. Et alibi apud eundem Deus spirituali loquens Hierusalem; Non erit tibi amplius sol in lucem, inquit, sed dominus, & populus tuus omnes erunt iusti: quod est, omni bonitate, & innocentia praediti. Et in Euangelio; Nisi abundauerit iustitia uestra plus quam Scribarum, & Pharisaorum; hoc est, plus quam illa legis, ut uniuersa bonitas intelligatur. Item & illud; Querite primum regnum Dei, & iustitiam eius; omnem illam uirtutem, puritatemque intelligit, quae sit regno illi, & coelesti uitae consentanea. Cuius quidem diuinae, absolutaeque iustitiae, quam uniuersam bonitatem esse dicimus, indicium quoddam est, & simulacrum in hominum iustitia, cum quis iustus ita esse dicitur, uon quod res integre, recteque diiudicet, sed quod bonitate, & innocentia inter homines est ornatus, uelut generalem illam iustitiam obtinens, quod nil agit, neque molitur, quod legibus sit, aut bonis moribus contrarium. Sed Dei iustitia singulari quodam, & multo excellentiore ex genere non innocentiae solum, & integritatis, sed bonitatis, beneficentiae, largitatis omneis numeros complectitur, diuino modo, & prorsus ineffabili, in ipso Deo longe eminens. In nobis uero cum Deum, & iustitiam Dei imitatione assequimur, inferiore quidem est gradu, sed tamen longe praestantior, quam ut ad eam ulla humana iustitia possit aspirare. Haec in Deo iustitia talis est, ut solem suum iubeat oriri super bonos, & malos; quae si iustitia illa esset minor, membrum, & pars uniuersae uirtutis, auferret solem suum malis, & illucesceret bonis. Nunc cum super omneis illum educat, & proferat, ostendit diuinam bonitatem contentam se ipsa, & dotibus suis, immoto animo, atque imperturbato aliorum errores, & delicta perferentem, omniaque ita gerentem, ac dispensantem, ut quoad quidem fieri potest, omnibus salus ex sese & gloria pariatur. Quam qui in fide CHRISTI imitantur, eadem prope mente, eodem fini, omnibus ex sese animi perturbationibus quae humanas cupiditates referunt, eiectis, ad illum supremum diuinae bonitatis, & beneficentiae gradum conantur ascendere. Sit igitur hoc nobis imprimis constitutum, Iustitiam Dei hoc loco totam esse uirtutem talem, atque ex eo genere, quod in Deo esse conuenit, uel si noto magis, & communiore uocabulo est utendum, uniuersam esse bonitatem, uirtutum dominam cunctarum, cuius in Deo propria semper, & perfecta est absolutio. Haec ea ipsa Dei iustitia est, quae in Euangelio patet, reuelataque est, cum omnibus antea seculis fuisset abscondita. Patet inquam, quoniam, etsi bonum esse Deum, etiam antea credebatur, bonitatisque suae ille plura saepe monumenta pluribus hominibus ostenderat, illius tamen nec Iudaei bonitatem caeteris esse gentibus propositam censebant, neque gentes tantum in Deo studium erga hominum salutem fuerant ratae; ita utrique de Deo inferius omnino, quam illius bonitas digna sit, existimabant. Sed etsi Iudaei, atque gentes ab hoc errore fuissent deductae, ampliusque de Deo, & magnificentius iudicium utraque natio fecisset, ac Iudaei Deum communicassent gentibus, gentes uero sese Deo, & salutem suam uehementer curae esse credidissent, tantam tamen illius, & tam immensam inenarrabilemque bonitatem, tantum nostrae procurandae elaborandaeque salutis studium, quantum ex Euangelio nunc patefactum est, neutri unquam potuissent estimare, neque credere. Etsi enim Deus ignoscebat antea etiam peccatoribus, per amatum tamen operum, & sacrificiorum, per sacerdotes, & uota precantium ignoscebat; nunc per fidem solam breuissimo compendio facile, & libenter omnibus ignoscit. Efflagitatus antea, atque exoratus ueniam dabat; nunc inopinantibus nobis ueniam ultro, & salutem ex Euangelio obtulit. Qui si etiam nos ad ueram uitam & ad salutem perpetuam pro sua bonitate erat uocaturus, per filium suum, ne, atque eundem unicum, per imaginem potentiae, & summam gloriae suae, atque per eius filij laborem, dolorem, ignominiam, mortem, ut id faceret inaudita quadam charitate, & amore erga nos potuit adduci. At quemadmodum nos uocauit; primum omnes nostras ueteres iniurias uoluntaria obliuione obtriuuit. Deinde cum ab eo nos penitus auersi, atque ad alias curas, aliaque studia plane conuersi, ipsius Dei hostes, & aduersarios nobis dominos, & Deos adsciuissemus, non est insectatus error nostrum, sed ueluti clemens pater tunc



ter tunc maxime ad misericordiam, & ad amorem erga nos exarsit, cum maxime nos ab eo disiunctos uellemus, nec contentus ad gratiam, & amicitiam suam nos reuocare, fratres omnes **I E S V** Christi filij sui eos, qui per fidem ad eum se contulerunt, & sibi filios adoptauit, ac fecit. Hæc est bonitas, hæc Dei iustitia, quæ in Euangelio reuelata est, omnis uirtutis partes, æquitatem, sapientiam, humanitatem, liberalitatemque complectens, quam Euangelium nobis perfecit, totamque contulit ad salutem, & ad liberationem nostram. At quo pacto illa ex fide, & in fidem reuelata est? Nimirum quia fides erga Deum nostra huic iustitiæ Dei, in salute nostra sese ostendendæ aditum, & locum, & occasionem aptam attulit. Aperit enim se illa, & effundit super credentes. Quæ si fides non adsit, omnes habet introitus ad salutem nostram prorsus interclusos. Qui ergo sese Deo dedere per fidem, atque permittere, hoc est, qui spem in illo suam, totamque fiduciam ponere instituunt, quæ est uirtus & doctrina Euangelij propria, hos illa diuina iustitia & bonitas, non in amicos solum, sed in charos, & dilectos filios plane accipit. Quorum neutrum nobis antea neque speratum, nec cognitum, nunc ex Euangelio utrunque est patefactum. Ita in Euangelio ex fide in Deum nostra illa insignita, & ineffabilis bonitas summi Dei, insignisque iustitia apparuit, omnibusque communis, & perspicua facta est. Quomodo autem eadem patuerit in fidem, id nunc accurate à nobis exponendum est, ut sensum omnem percipiamus Pauli sublimem, atque altum, & maximarum rerum mysteria paucissimis uerbis inuenientem. Sunt enim illius hæc uerba: Quod iustitia Dei in Euangelio reuelata est ex fide in fidem. Ac ex fide quidem quemadmodum sit reuelata, diximus; simul ut enim fidem Deo habere cœpimus, quod nobis per Christum & Euangelium contigit; Sic nobis statim incipit illius bonitas, & iustitia, omnisque erga nos benignitas & beneficentia apparere. In fidem uero eadem Dei bonitas ex eodem Christo, Euangelioque se ostendit, cum facit nos Deus sui imitatores, & similes, cum eadem iustitia, & bonitate nos insignit, qua est ipse præditus, cum qualis ipse nobis factus est, & apparuit, tales nos in proximum ipsum Deum imitando, & sequendo efficimur, quod est tamen Euangelij proprium munus, atque præcipuum. Qui enim uera fide ad Deum se conferunt, hoc est, qui & spes, & rationes suas in eo collocant, his facilis est, & prompta diuinarum uirtutum imitatio: ab omni enim rerum mundanarum studio isti auersi, suosque amores in bonis celestibus optandis, & in illa cum Deo gratia, coniunctioneque ponentes, nullis earum affectionum motibus perturbantur, quæ ex mundanis cursis solent excitari, in quo similitudo summi Dei, & illius iustitiæ, ac bonitatis species elucet. Ille nullo odio, nulla offensione animi unquam permouetur, ex eo quidem, quod nullius est iniuriæ, nullius cupiditatis expositus. Nihil enim habet, quod uel sibi eripi possit, uel quod ipse alij eripere contendat: sed semetipso contentus, atque plenus, neque aliud quicquam extra se requirens, id mauult atque optat, ut exuberantiam bonorum suorum, quibus ipse redundat, in alios, qui accipere idonei sint, possit effundere. Similiter & nos fide in Deum præditi, & illa bona tantum attendentes, quæ ex Deo sunt, summa, & immortalia, quæ eripi nobis non possunt, quæ communicatione, & participatu plurimorum crescunt, non diminuuntur, quæ inuidiam, iniuriam, perfidiam non admittunt, imitatione eiusdem iustitiæ, & bonitatis ad Deum proximè accedimus. Ille ignouit nobis: nos cæteris ignoscimus. Iniurias ille non sentit: nos illas facile dimittimus. Ille nos hostes antea suos recepit, & adoptauit in filiorum numero: nos inimicis quoque nostris fratrum, & parentum officia prestamus. Ita cum imitatores Dei sumus effecti, sicut filij patris, tunc non solum ex fide nostra illa Dei in ipso patefacta est iustitia, uerum etiam ab eodem Deo in nos redundauit, ut fides in nobis non modo Dei aperuerit iustitiam, sed eadem ipsa in super diuino & incomparabili munere in nobis eisdem iustitia insignis sit facta. Imprimis enim Deus in hos qui ei confidunt (etenim fidem hoc loco pro ipsis fidelibus accipimus) imprimis in hos inquam, suæ diuinæ uirtutis, iustitiæque similitudinem: quod est illud, quod Paulus inquit: Ex fide in fidem, cum primum fides credentium, prouocat Dei iustitiam, ut aperiat sese, & ostendat qualis quatenus sit in ipso Deo. Deinde ipsa Dei iustitia iustos facit credentes: non humano genere iustitiæ, sed illo diuino, & incomparabili, quo Deus ipse iustus intelligitur & bonus. Quod & nos Dei æquanimitate, ac benignitate



gnitate illa imitanda assequimur. Quod ubi nobis contigit, munere ipsius Dei, non cura, neque operatione nostra, tunc uere Deum patrem in filios ab ipso adoptati & nominamus, & colimus. Sumus enim illi prorsus effecti similes, illudque Euangelicum præceptum implemus, quo admonemur, ut simus perfecti, sicut pater in cœlis noster perfectus est. Porro autem duplicem hunc actum diuinæ iustitiæ, quo & ipsa nostra ex fide sese in Deo aperit, atque ostendit, & post in eandem fidem, hoc est in nos, qui credimus, sui imitatione, atque exemplo se insinuat, quotidie nos in dominica oratione Deum obsecrando usurpamus, & repetimus, ut dimittat nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Martyres uero ipsi, tot hominum millia uirtute, & factis magis comprobauerunt; qui quod illis fecerat Deus, ut filium pro eis in mortem, & crucem traderet, ipsi imitando Deo & filios, & semetipsos in eundem cruciatum, & mortem, quod confirmarent cæteros, fortiter dediderunt. Ille autem in Euangelio seruus, qui rationibus subductis, domino inuentus debitor, atque exigi iussus, lacrymis, ac precibus impetrauit illud sibi omne nomen donari à domino, ac remitti; non eadem ipse postea humanitate, & clementia erga conseruum usus, id egit, ut non posset de eo dici, quod quam ipse benignitatem erga se in domino expertus esset, eandem domini imitatione in alios postea referret. Precibus enim suis flexit, ac molliuit ille quidem animum domini sui, sed non est ipse precibus conserui delinitus. Ita in eo patuit quidem domini clementia, cuiusmodi in domino erat ex illius precibus, sed non patuit in preces, hoc est, in ipsum precantem, quatenus non ipse est dominum in bonitate eadem, & animi mollitia imitatus. Nam quod dominus pepercit illi, debitumque dimisit, nullum in seruo id affert bonitatis argumentum; Sed tantum effectum in eo domini liberalitatis ostendit, totaque illa bonitas, & benignitas ad dominum pertinet; quæ est ex precibus supplicantis serui in domino patefacta. Si uero seruus hac erga se domini humanitate edocuit, parem deinde ipse conseruo humanitatem exhibuisset, non solum ex illis precibus clementia domini patuisset, sed in ipsas preces etiam, hoc est ipsum in precantem fuisset insinuata. Ac ut clarius etiam intelligamus, quantam cœlestis uim sententiæ in his paucis uerbis constrinxerit Paulus, qua dixit; iustitia Dei in Euangelio reuelatur ex fide in fidem; transferamus iustitiæ uerbum in nomen potentiæ, perinde ut si dicamus: Potentiæ Dei in CHRISTO reuelata est ex fide in fidem. Nam quomodo ex fide reuelata est potentiæ Dei; quia præterquam in solos credentes, in alium quidem neminem mirabilia illa opera operabatur CHRISTVS. Ille enim & cæco lumen reddebat, sed consentienti se credere, & confidere, quod ab eo esset illuminandus. Et daemones eiciebat, languoresque corporum curabat, sed eorum, qui peterent, & fidem in eo se habere dicerent. Lazarumque excitabat è mortuis quatruiduanum, quoniã fidem Marthæ ita consentientis audiebat. Denique ipsemet clamabat, & palam, aperteque testabatur, Qui crederent in se, fidemque haberent, nihil esse tam arduum, nec tam naturæ insolitum, quod non in ijs facile factu esset. Hoc modo igitur ex fide uirtus Dei, & potentia in patrands miraculis ostēdebatur: quæ si fides quidem non extitisset, fuisset in ipso Deo occultata, & abdita. In fidem uero eadem potentia patuit, cum discipulis ipse dixit: Si credideritis, fidemque habebitis, eadem facietis, & maiora his facietis. Neque solum dixit, sed præstitit etiam re, atque facto, ut qui ab eo fluxerunt apostoli, ceterique discipuli, eiusdem fidei merito, qua Dei erga se mirabilem uim cognorant, ipsi deinde reliquis fierent admirabiles. Eandem enim uirtutem, Deique potentiam in curandis omnium morbis, daemonebusque eiciendis ipsi exhibuerunt, quam in magistro suo antea perspexerant. Ita & ex illorum fide, potentia Dei in ipso Deo manifesta facta est, & patuit in fidem, cum in illos ipsos credentes, fidemque habentes diuino beneficio ita traducta est, ut efficeret eos in eadem potentia Deo similes. Similiter igitur, atque eodem modo in Euangelio reuelata est Dei iustitia ex fide in fidem; quoniam & ex fide nostra illa in Deo patuit, & in ipsam deinde fidem, quod est in fideles ipsos eiusdem diuinæ benignitatis, & gratiæ munere, atque exemplo est translata, ut qualis est ipse Deus, tales efficerentur qui per fidem & Euangelium Deo se committere studuissent. Hanc eandem sententiam paulo infra Apostolus magis dilucide expromit, tanquam hæc uerba interpretans, &



tans, & hunc eundem locum alijs uerbis exponens, quã ait; **NUNC** **VERO** seorsum à lege iustitia Dei manifestata est, testificata ab lege, & à prophetis. Iustitia in quã dei per fidem **I E S V** Christi. Atq; hoc est, quod hic ait, ex fide. Deinde sequitur; In omnes, & super omnes credentes: quod iam est in fidem. Ita reuelata est iustitia Dei ex fide in fidem. Et mox paucis interiectis uerbis, declarans etiam apertius, subiungit; In declarationem iustitiæ suæ ex remissione præteritorum peccatorum in tolerantia Dei, in demonstrationem iustitiæ suæ in hoc tempore, qualiter ipse iustus est; quod est ex fide reuelari Dei iustitiã. Quod autẽ sequitur; Et iustificans eum, qui est ex fide **I E S V**. Iam hoc est eandem iustitiam Dei in fidem reuelari. Ita ex fide in fidem iustitia Dei in Euangelio reuelatur. Tum **I V L I V S**; Arduum sanè, & difficilem locum mi frater planum, & facilem reddere es conatus. Etenim sæpe in horum uerborum sententia exquirenda acriter, diuq; uersatus, non potui ipse mihi satisfacere, dissimilitudine etiam opinionum ex interpretibus impeditus. Nunc uidere mihi uideor non solum, quæ mens Pauli sit, & quid sensus horum uerborum ferat, sed non pauca etiam, quæ meum animum prius dubitationibus obturbabant, mihi patefacta fore confido. Mihi enim illud occurrebat, quo pacto iustitia Dei esset in Euangelio reuelata, quæ omnibus semper seculis manifesta extitisset, non in creatis rebus inanimis solum, ut in elementorum paribus momentis, ut in cœlestium orbium ordine, motuumq; constantia, sed in hominibus etiam, humanisq; actionibus & consilijs, in quibus qui iustitiam, & uirtutem melius coluissent, his semper ad suam auctoritatem, & ad potentiam patriæ suæ amplificandam, aduersariorumq; minuendam diuina uis iustitiæ propius affuisset. Quod non in rebus solum publicis & cõuentu populorum, sed in singulis etiam hominibus sapius accidisse monumētis testatum est. At nunc perspicio, atque intelligo non omnino de iustitia & bonitate Dei, sed de ea, quatenus per fidem perspicua facta est, A postolum loqui; ut si dicamus, bonitatem quidem Dei patuisse antea in creandis rebus, eisdemq; conseruandis; In ipso autem hominum genere ex fide, & in fidem ante **I E S V M** Christum non patuisse, ut non iustitia, sed talis actio iustitiæ, quæ per fidem est, in Euangelio fuerit reuelata, quæ etiam potentia Dei esse dicitur, in salutem omni credenti. Quanquam enim potentiam suam, sicut & iustitiam, ac bonitatem multis in rebus semper ostenderit Deus; In hominum tamen genere ad ueram, perpetuamq; salutem reuocando, nusquã ostendit, neque declarauit apertius. Ac patefecit illam ipse quidem ex Iudæorum genere non paucis, quod in patriarchis, & prophetis est manifestum, ac fortasse in nonnullis quandoq; qui ex gentibus propius se ad eius amorem, & cognitionem contulerunt; Passim uero & omnibus tam Iudæis, quàm Græcis, tam doctis, quàm indoctis, ac denique sine ulla exceptione uniuersis, qui ad credendum modò accederent; nunquam ante Euangelium **I E S V** Christi iustitia ista Dei, & inenarrabilis benignitas ac bonitas demonstrata est. Ac nimirum, ut de potentia etiam Dei ad salutem credentium aliquid dicamus, mirabilior profectò extitit redemptio nostri generis, quàm ipsa creatio. Nam creatio ordinem suum habuit, postquam semel fuerat institutus, perennè, ac ratum, quem ipsa natura inferior suscipere, & propagare in ætates, ac tempora potuit. Redemptio autem solius Dei sine alio instrumento, aut operis uicario effectus tantum est, quam nullo pacto natura possit imitari. Etenim si magnum est, ac mirabile suscitare homines mortuos, & qui cursum uitæ iam confecerint, in eandem rursus uitam restituere, quod est non naturæ, sed Dei potentiæ opus proprium; admirabilius multo esse debet, eos qui ueræ uitæ, & diuinæ luci sint mortui, & in fœtore ac sordibus peccatorum iam extabuerint, & Deo, & ipsis uiuos, ac ex nefarijs repente efficerere sanctos. Hæc est igitur potentia, hæc iustitia, & bonitas summi Dei, quæ in Euangelio proposita, & demonstrata est, cum omnibus antea seculis latuisset, ex fide excitata, & in fidem se imprimens, quam eadem omnibus cæterarum uirtutum uocabulis, & clementiam, & benignitatem, & misericordiam, & gratiam à Paulo, atque à scripturis sanctis appellari, & tibi assentior, & iure appellatam puto. **T V M** **E G O**; Gaudeo mi frater inquam, quòd me adiuuas, & laborem meum tua industria facis leuiorem, tuoq; isto ingenio mirificè delector. Sed quòd iustitia ista in Deo uniuersum

D genus



genus sit totius uirtutis, non ne etiam ea res perspicue demonstrat? quòd in animis & cordibus credentium impressa, non eos solum facit iustos ex ea parte uirtutis, quæ in iudicando, & distribuendo sita est (possent enim qui eo modo iusti essent, uirtus aliæ quot ex alio genere laborare) sed eos usq; eò facit iustos, ut nihil illis desit, quod in uera, & eximia uirtute sit expetendum; neq; tamen ex usitato hominibus, & legumlatoribus genere, hæc in illis uirtus existit, sed diuinius multo & magnificentius, ac ut ad eam, tanquam ad proprium Dei donum nulla humana uirtus comparare se audeat. Etenim ut humanæ iustitiæ, & eius, quæ ex lege est, cum diuina iustitia contentionem aliquam faciamus, non eiusdemmodi ambæ, neq; uno profecto ex genere sunt; sicut neq; solis, ac lychni lumen est uniusmodi. Sed illa Dei iustitia excludit, & eijcit humanas omnes cupiditates, neq; eis apud se esse uult locum. Hominum autem iustitia affectiones, cupiditatesq; neutiquam reuellit, sed eis saturandis, atq; exercendis adhibet modum quendam. Possessiones enim & prædia à nobis magni æstimari uult, familias ali, uitam & corpus præcipue defendi: Si quis iniuriam fecerit, legibus illam persequamur, uim ui repellamus, honoris, & dignitatis maximam rationem ut ducamus, nobis permittit lex. Eadem cum diligere amicos iubet, cum fœnus à fratre, & indigna uetat exigere, tacite potestatem præbere nobis intelligitur & inimicorum ulciscendorum, & fœnerandorum alienigenarum. Quin etiam oculum pro oculo, dente pro dente, membrum pro membro eadem repeti permittit. Deniq; omnia eiusmodi sunt in lege, ut cupiditati quidem modus, ordoq; præscribatur, ne præceps ruat, ne uniuersa confundat, cupiditas quidem ipsa incolumis retineatur. Quid uero Dei iustitia, quæ per fidem CHRISTI imprimitur in nobis, ista ne, aut alia huiusmodi præcepta dat? Minime illa uero, sed totam cupiditatem ex animis tollit, affectiones omnes extirpat: Diuinum quiddam in nobis affigit, iubet terrena cuncta despiciere, cœlestia concupiscere: Si quis pallium nobis eripiat, tunicam etiam dimittere: si quis maledicat, benedicere; si colaphum infringat, maxillam alteram offerre: uult inimicos ut diligamus, ut qui nobis malefaciunt, nos benigne eis faciamus. At hoc non hominum est, sed magnificentius quiddam propemodum quàm angelorum; & tamen hæc in nobis Dei imago, & uera similitudo est: de qua CHRISTVS in Euangelio: Hæc agite, ut sitis filij patris uestri, qui est in cœlis, qui & pluit, & lucet pariter super bonos, & malos, iustos, & iniustos, nec per alienam malitiam, ac prauitatem, suam corrumpi bonitatem sinit. Hæc est Dei iustitia, quam fides CHRISTI manifestam fecit. Quæ Deum fides primò impulit ad ignoscendum sceleratis. Ad ignoscendum ne tantum; imò uero ad eos in gratiam, & in cognationem accipiendum, ut ex hostibus faceret sibi filios. Quæ cum in nos ex eodem resiliens Deo fuerit in nobis impressa, & consignata, similes Deo erimus, & eiusdem diuinæ iustitiæ imitatores, paternamq; hanc feremus Dei omnipotentis in nobis bonitatis imaginem, quam requirerebat maxime, & ad eam æstuabat Paulus, cum ita scribebat ad Philippenses: Omnia pro nihilo duco, dum CHRISTVM lucrifaciam, & inueniar in ipso non habens meam iustitiam ex lege, sed quæ per fidem CHRISTI in Deo est, iustitiam ex fide. Illam autem legis iustitiam penitus abijciebat tanquam imperfectam, & degerem, ut quæ nil tale in nobis ualeat progignere. Sed ut ad Apostoli uerba reuertamur, conuenit iam inter nos, iustitiam non esse Dei cum hac iustitia legum ullo modo conferendam, sed usque adeo excellere, ut melius multo sit diuinam illam imitari, quàm humanæ huius iustitiæ esse autorem, sicut uberrimi fontis riuum, quàm tenuissimi riuuli fontem existere magis est optandum. Nam quod sequitur ex scripturæ testimonio: Iustus ex fide uiuet, ualet ad declarandum iustitiam Dei in Euangelio, non solum in ipso Deo ex fide, sed in ipsam etiam fidem patefactam esse. Qui enim per fidem ad Deum se contulit, non illius tantum iustitiam erga se, & bonitatem experitur, sed eandem ipse in sese ab eodem Deo haurit: & est id in Abacuch propheta scriptum. Deus enim apud illum: Iustus, inquit, meus ex fide uiuet. Iustus, scilicet quem ego efficiam iustum, non quem lex. At quo pacto iustum? ex fide, inquit, non ex fiducia legis, operum, atq; factorum. Quid autem ille ex fide tuus o Deus, iustus consequetur? uitam ait. Quid, non ne in lege, & in operibus uiuitur? uiuitur, sed  
fragi



fragili & mortali uita, non illa felici, & sempiterna, in qua meam quoque æternitatem, & uitam imitabuntur, qui iustitiam, & bonitatem fuerint imitati. *PLANE* ista ita sunt, Iulius inquit, sed perge quæso, in magnam enim iam non expectationem solium, sed cognitionem etiam maximarum rerum sum adductus, attendoque diligentius, quid de hac iustitia Dei, deque fidei potentia amplius dicturus, aut quibus argumentis usus Paulus sit. *OPTIMIS* atque fortissimis mi frater inquam, sed sermone aliquanto implicatius. Hic enim sanctissimus, & coniunctissimus Deo uir, uel propter altitudinem magnitudinemque cogitationum, quibus oratio par non suppetebat, uel ob humilitatem, & data opera, ac, ut ipse alio asserit loco, ne uirtus Crucis uacua fiat, neque proprietatem in uerbis, neque in oratione explanationem admodum est persecutus. Sed sententijs contextus, diuinorumque mysteriorum subtilissimus indagator uix locum interdum humanis ingenijs relinquit, quæ ad eius sensa possit perueniri. Nos tamen adnitemur, non uiribus nostris treti, sed illius fiducia, qui dixit, ut scrutaremur scripturas, quoniam ipsæ de eo loquuntur, illud primum admonentes, Paulum, quo illam Dei potentiam, quæ in Euangelio est ad salutem omni credenti, melius exprimat, eiusque fructum in genere humano euidentius ostendat, uelle statum humani generis ante Euangelium, cuiusmodi esset, ante oculos nostros ponere, & quod ad gentes pertinet, & quod ad Iudæos, licet haberent utriusque in quo confidere præferrent, & quo gloriarentur, Græci philosophiam, Iudæi legem. Verum tamen quantum utriusque sua gloriatio in contrarium ceciderit, ex sequentibus fiet manifestum, mundumque totum cum suo uitio interisset, benignitate ac gratia Dei & *CHRISTI*, atque Euangelij uirtute ad salutem, uitamque inueniendam egressis apparuit, orditur autem primo de gentibus sic.

Reuelatur enim ira Dei è cælo in omnem impietatem & iniustitiam hominum, ueritatem in iniquitate detinentium: quoniam quod cognosci de Deo potest, manifestum est in ipsis; Deus enim ipsis manifestum fecit. Inuisibilia enim eius ex creatione mundi, effectibus ipsis intellecta perspicuntur. Aeterna quoque ipsius potentia, & diuinitas, ut sint ipsi inexculabiles, quoniam nolentes Deum, non ut Deum glorificauerunt, aut gratiam illi habuerunt, sed infatuati sunt in disputationibus suis, & obscuratum est insipiens eorum cor, dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudine imaginis corruptibilis hominis, & uolucrum, & quadrupedum, & serpentium.

*REVELATUR* hoc loco, non eodem modo quo supradictum est, reuelari iustitiam Dei in Euangelio. Nam iustitia hæc Dei, quæ ex fide apparuit, & in fidem partefacta, certè in Euangelio est, cum antè omnibus seculis fuisset occulta. Ira autè Dei è cælo super omnem impietatem non nunc primum in lucem prodit: diu enim antea eadem ira uigebat. Sed nunc primum animaduertitur. Veritate enim perspecta incipit nunc demum apparere falsitas, & lucis diurnæ obtutus nocturnarum tenebrarum dat cognitionem, quæ ipsæ per se non intelligerentur, hominibus præsertim assidua in obscuritate uiuere assuefactis, nisi radio solis repente oblato illarum caligo, & cæcitas deprehenderetur. Sic ueritate, & unitate summi Dei, & fidei uir, ac diuinæ gratiæ, iustitiæque munere hominibus oblato, fructibusque pacis, & gaudij, qui ex illa percipiuntur, cognitis: Nunc demum intelligitur infelix, & misera illorum uita, qui flagitijs toti cooperti, illiusmodique uitam potissimam existimantes, Dei offensionem, atque iram aduersus se non intelligebant. Itaque alijs idem hoc uerbis ad Philippenses significans Paulus, Vt audiam, inquit, de uobis, quod stetis in uno spiritu, una anima collaborantes fidei Euangelij non territi ulla in re ab aduersarijs, quæ quidem Euangelij fides illis est declaratio interitus, uobis autem salutis. Atqui hoc lapsu in unam



penè ruinam totum hominum genus deciderat, nisi Deus Iudæorū stirpem sibi ipse retinisset, & ab hac eam cæcitate mentis ad luminis sui aspectum reuocauisset. electo sibi Abraam, qui postea pater futurus esset multarū gentiū. Deus enim profecto cum hæc tanta, & tam præclara opera faceret, atq; ea proponeret homini intuenda, atque consideranda, uoluit in illis diuinitatis suæ uirtutem speculantibus apparere. quam quidem prouinciam, munusq; speculandi philosophia suscepit, uicq; ingenij & rationis, & duntaxat illo naturæ dono subleuata, atque adiuta, per quod apta nata est hominis mens ad peruestigandum diuinum in creandis rebus constituendisq; consilium, & potentiam Dei, & unitatem potuit cognoscere, atque ex uisibilibus intelligere inuisibilia. Scriptum enim est: Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Ac deinde rursus: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Hoc itinere igitur, & his ductoribus ad Deum homines peruenientes, cum illius amplitudinem, maiestatemq; cognouissent, & unum esse naturæ dominum intellexissent, cumq; eum adorare, & uenerari, & omni cultu glorificare deberent, repente uanitate quadam ingenij, & errore mentis cæcati unitatem, & infinitatem illam omnipotentis Dei in plura quasi frustra discerpserunt, aliosq; sibi deos numero complures, quos falsa opinione sibi depinxerant, ad colendum adsciuerunt, inanes, & mortuos, ueluti ludibria quædam humanæ uanitatis, supposita à diabolo, atque subiecta, quò is naturam nostram, factam ad imaginem summi Dei, ipse ad brutorum sensum detractam, atque abiectam in potestate habere posset; nec tantum mortales homines, & bestias, auesq; cæli, serpentesq; terræ in honore, & in cultu Deo antetulerunt: sed horum etiam ipsorum inanimata simulacra, & imagines, ad extremum dementiæ, temeritatisq; tumeliam opponerent. Atque hic quidem error, & commune penè humani generis delictum à sapientibus seculi, & ab autoribus philosophiæ in mundum fuit inductum. Hi enim sunt, qui ueritatem in iniustitia detinuerunt, hoc est, qui intelligentes de Deo, quod uerum esset, summa cum illius diuinitatis iniuria falsum omne sectati sunt. Nunc uideamus, quæ fuerit merces huic tanto errori, uel sceleri potius ab Deo ipso relata, & tributa.

Ideo & tradidit illos Deus in desideria cordium ipsorum in iniquitatem, ut dedecorent corpora sua in seipsis, qui permutarunt ueritatē ipsius in falso, & coluerunt, ac seruiuerunt creationi creatore prætermisso, qui est benedictus in secula, amen. Propter hoc tradidit illos Deus in affectiones dedecoris, sceminaq; illorum permutauerunt naturalem usum scemineum in usum præter naturam. Similiterq; & mares dimisso naturali usu sceminae, exarserunt in appetentia sui mutua, mares in maribus turpitudinē perpetrantes, & mercedem quam oportebat erroris sui in semetipsis recipientes. Et quemadmodum non approbauerunt Deum habere in cognitione, tradidit eos Deus in improbam mentem, ut facerent, quæ non decebat: repleti omni iniustitia, scortatione, prauitate, avaritia, uitio, pleni inuidia, cæde, rixa, dolo, more improbo, susurriones, detractores, Deo infensi, contumeliosi, superbi, iactatores, repertoires malorum, parentibus dicto non audientes, sine prudentia, sine compositione uitæ, sine amore, sine foedere, sine misericordia. Qui iustam correctionem Dei cognoscetes, quòd qui talia agunt, digni morte sunt, non solum ea faciunt, sed & probando consentiunt facientibus.

V I D E S mi frater quanta sylua malorum ex illo primo errore inducta in genus homi



hominum sit, ea re quod Deum, quem cognouisse uidebantur, repente deseruerunt, & cultum, ac gloriam, quam deferre illi debuerant, ad muta simulacra potius, & ad fictas imagines hominum, aut brutorum contulerunt. Et sanè æquum fuit, uel oportuit potius, ut Apostoli uerbo utar, ut, qui tantum in Deo à ueritate se remouerant, & qui tantum lumen diuinæ bonitatis non aspexerant, ne in cæteris quidem partibus, actionibusq; uitæ aut mente, aut oculis rite uterentur. Non enim fuit dignum, ut qui in Deo ueritatem falsitate commutauissent, qui est summa, & prima ueritas, in seipsis, qui sunt imago, & simulacrum illius ueritatis, ueram legem possiderent, etsi Deum non honorabant, ut suum honorem colerent, sed in capite, ueritatis falsa opinione hallucinati, cum idola Deo præferrent, in se quoque ipsis turpitudinem, & dedecus honestati antetulerunt, ut est in psalmo scriptum, Homo cum in honore esset, comparatus est cum iumentis insipientibus. In se ipsis autem, id est, in corporibus suis. Qui enim de mundo sunt, neque Deum conditorem, & remuneratorem hominis agnoscunt, hi cum de immortalitate animi, & de cælestibus præmijs nihil admodum cogitent, corpus unum habent, quod maxime excolant, seseq; totos in illo constituent, & collocent, qui cum ijdem opes, diuitias, lauta uestimenta, equos, argentum, familiam, cæteraq; huiuscemodi idcirco maxime expetant, ut honestiores, & præstantiores cæteris esse uideantur, nimirum ridiculose errant, uel miserabiliter potius, cum ipsi omni dedecore, turpitudineq; tanquam cæno obliti, his externis rebus oculos intuentium sese putant posse perstringere. In quo & peccatum sanè illis idem est, & poena peccati. Ita enim peccant in semetipsos, ut sese turpissimos, miserrimosq; ostendant.

Quapropter defensionem nullam habes ò homo quicumque iudicas, in quo enim iudicas alium, te ipsum condemnas. Eadem enim facis tu, qui iudicas. Nouimus enim quod iudicium Dei est secundum ueritatem in eos, qui talia faciunt. Putas ne hoc ò homo iudicans eos, qui talia perpetrant, & ipse faciens ea, quod tu effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius, & tolerantia, & longanimitatis despicias? ignoras, quod bonitas Dei in poenitentiam te deducit, secundum duritiam autem tuam, & impoenitens cor, recondis tibi ipsi iram in die iræ, & reuelationis, & iusti iudicij Dei, qui reddet unicuiq; secundum opera eius.

DEMONSTRATA populorum omnium, qui cultum idolis impendebant communi iactura, & clade, quodq; propter peruersos cultus omnipotentis Dei in omnem turpitudinem, & dedecus cunctorum scelerum lapsi erant, eos etiam nunc acrius coarguit, qui in eisdem criminibus inuoluti, cum sese ipsi non respiciant, de aliorum uita, & moribus tam facile obloquuntur, & felle liuoris maleuolentiaq; suffusi, ac studiose cæteris obtrectantes, proximi famam lædunt. De his enim potius est, quam de illis sermo Apostoli intelligendus, qui in magistratu, & potestate constituti legibus coguntur ad iudicandum. Illi enim legitimam iudicandi necessitatem habent, neque cum id iure faciunt, id illis uitio dari oportet. In eo potius errant, quod quæ in alijs reprehenderunt, sæpe eadem ipsi agunt. Hoc autem hominum genus, quod de altero sponte iudicat, etiam à Domino in Euangelio notatum est, & reprehensum. Qui in Matthæo, Nolite iudicare, inquit, ne iudicemini. In quo enim iudicio iudicatis, in eo iudicabimini, & qua in mensura metimini, metietur & uobis. Quid aspicias paleam in oculo fratris tui? & in tuo trabem non animaduertis? Et certe hoc genus dupliciter iniustum est, quod & facit ea, quæ non decet, & iudicat eos, quos non debet: quo quidem genere criminis, ac uitij, hominum genus imprimis laborat. Nihil enim ferè promptius, nec celerius est uel cogitatione hominis ad suspicandum male de altero, uel detractatione, & maledicentia, simulatque quis suspicatus est: Ita hoc crimen reliquis criminibus, quæ in hominibus



multa, & magna pauloante dicta sunt, maximum pondus, & momentum affert. Quid enim uel iniquius fieri potest, quam iudicare alterum in eo ipso, quo tu qui iudicas, damnandus es: uel improbius, quam ea agere, & perpetrare, quæ in altero damnatione digna iudicasti: Etenim satis eadem ipse agis, & perpetras, cum, quibus de altero suspicionibus ut male sentias, permouere, in eo ipso te iudicas paria facturum, si eodem loco esses. Quandoquidem si esses bonus, nihilque in te mali recognosceres, neque improbi, ne de altero quidem improbe suspicari. Ac illi quidem abs te qui iudicantur, specie quadam fortassis ignorantia, & inaduersione animi subleuari a grauitate delicti aliqua ex parte possunt. Tu uero qui eos iudicas, qui eo ipso, quo iudicas, notionem, & scientiam habere te confitearis esse illud crimen dignum damnatione, quod reprehendis, cum illud idem ipse committis, qua nam defensione aduersus Deum es usus: cuius unius iudicium in ueritate est. Non enim leui coniectura, non suspicionibus incertis, non studio obtrectandi ad iudicandum ille adducitur, id quod tu facis, & qui apertum crimē proximi, si ullam partem æquitatis haberes, & te ipse respiceres, dissimulare potius, tegereque debebas, ultrò occulta patefacis, suspiciosa coarguis, dubia in multo peiorem partem interpretare. Sed certissima cognitione & peccatorum, & cordium iudicat Deus. Eius enim unius proprium est iudicare orbem terrarum in iustitia, & populos in æquitate, qui finxit singillatim corda hominum, qui intelligit omnia opera eorum. Tu sola iniquitate ad faciendum iudicium de altero accedis. Putas ne igitur, tu qui iudicas alios, & ea ipse facis, quæ in alijs reprehendis, quod effugies iustum iudicium Dei? Cum tuū ipsius iniquum, iniustumque iudicium proximus tuus non effugiat? An forte eius tolerantia, & longanimitate, & patientia duceres ad despiciendum ipsius bonitatem, & moram, procrastinationemque ad animaduertendum in te, negligentiam harum rerum esse putas: longe falleris profecto, si ita arbitrare. Illa te bonitas Dei, illa patientia non te inultum sinit, sed spatium dat tibi aliquando respiscendi, & ad poenitentiam, ac ueniam reuertendi. Quod si non flecteris animo, nec ad per fugium misericordiae illius te confers, sed duro corde, & pectore poenitendi nescio diuinæ illudis tolerantia, & bonitati: erumpet, crede, in asperiores longe, & grauiorem aduersum te iram Dei omnipotentis indignatio diuturna, expectatione collecta, & acerbata, atque in die iræ, & seueritatis eius tibi apparebit. Nouit enim ipse, & scit optime temporum mensuram, & suum cuique tempus, sua spatia præstituit, ultra quæ non est amplius ueritatem iudicij sui, & præmium, aut poenam pro meritis prorogaturus. Illud enim, in die iræ, & reuelationis iusti Dei, quanquam de illo ultimo, generalique iudicio intelligi congrue potest, tamen melius refertur ad diem illum, quem singulis præstituit, ut de illis iudicium faciat Deus: qui quidem dies sæpe etiam in hac uita manifestus sit. Siue autem in hoc, siue in altero seculo, siue ad peculiare, & suum cuiusque, siue ad cunctorum uniuersum, communeque iudicium: singulis sua constituta, & præscripta dies est, qua ad disquisitionem antea actæ uitæ uocandi sunt, ut uel iusta seueritate Dei puniantur, si in malo se exercuerunt, uel bonitate, & clementia conseruentur, si id bonis, & sanctis operibus sunt promeriti. Est enim unicuique Deus secundum eius opera mercedem redditurus. At quomodo redditurus: lege quæ sequuntur.

His quidem per perseuerantiam operis boni, gloriam, & honorem, & incorruptibilitatem quærentibus uitam æternam: his uero, qui contentiosi sunt, & non obediunt quidem ueritati, obtemperant autem iniustitiæ, indignatio, & ira, compressio, & angor in omnem animam hominis perpetrantis malum, & Iudæi primum, & Græci: Gloria autē, & honor, & pax omnipatrans bonum, & Iudæo primum, & Græco. Non enim personarum est differentia apud Deum. Quicumque enim sine lege peccauerunt, sine lege & peribunt, & quicumque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Non enim



enim auditores legis iusti apud Deum sunt, sed obseruatores legis iustificabuntur.

REDDET, inquit, unicuique secundum opera eius, reddet inquam, his qui per boni operis perseverantiam quaerunt uitam aeternam, quid reddet: gloriam, & honorem, & immortalitatem, inquit. His uero, qui per contumaciam, & studium contradicendi, contraque faciendi ueritatem non audiunt, neque se illi tradunt faciles & dociles, sed iniustitiam sectantur, illiusque prauis suggestionibus potius obtemperant, indignatio adest, atque ira a summo Deo, oppressioque, & angor in omnem animam hominis malum perpetrantis, & Iudaei primum, & Graeci. His quidem qui iustitiam sectantur & ueritatem, praemium aderit gloriae, uitaeque immortalis. His uero, qui repugnant ueritati, & se dant iniustitiae, iam adest poena indignationis summi Dei. Omnium enim talium anima iam oppressa angoribus, uexata sollicitudinibus, stimulis prauarum cupiditatum puncta, atque exagitata, non habet locum, ubi respirare possit, sed monstris scelerum, quae ipsamet in se perpetrando progenuit, assidue perterrita premitur in angustum, nullumque in se sibi solatium constitutum habet, sed fallacium solamenta uoluptatum interdum a corpore mutuata, post breuem illam, uanamque suauitatem, ad suos tamen moerores intestinos redeat necesse est. Haec, inquit, poena iam adest omni animae perpetranti malum, quae non futuram gehennae damnationem auferat, sed quae iram Dei iam in hac uita sceleratis representet: Quicumque ille fuerit, inquit, siue Iudaeus antea genere, aut professione, siue Graecus. & e contrario, qui bonum operatus fuerit, & in recte faciendo perseverantiam adhibuerit, non alium sibi finem propositum habens praeter Deum, & uitam aeternam, immortalis hic honore, & gloria a Deo afficietur, siue ille antea Iudaeus fuerit natus, siue Graecus, non enim personas Deus, sed personarum facta, meritaque discernit. Atque in hoc loco quod supra diximus, denuo repetimus. Illud, primum, non conditionis dignitatem ullam exprimere, sed notationem temporis. Antequam enim fides etiam CHRISTI reconciliationem humani generis cum conditore hominum per ipsius Dei clementiam efficeret, aestimabantur omnes apud Deum non ex nationis merito, sed ex operibus bonis, aut malis: in quo Iudaeorum leuior & labor, & ratio multo facilior fuit adipiscendi regni Dei. Legem enim habebant, qua instruebantur: sed & de gentibus, si qui ueritatis uim cognouerant, & Dei amore capti illi sese in moribus, & uoluntatibus suis conformauerant, ipsumque sibi praemium, & uitam ab eo aeternam depoposcerant: hos Dei aequitas, & misericordia nullo modo patiebatur spe, & uoto suo esse deceptos. Atque hoc prouide Paulus interposuit, ut Iudaeorum reprimeret insolentiam, ad quos mox coarguendos a reprehensione gentium erat transiturus, ut ostenderet curae semper fuisse Deo, quocumque e genere eos homines, qui Deum sibi ipsum, summum bonum proposuissent. Iudaei enim cum magno se a gentibus discrimine separari persuasum sibi haberent, cognitione scilicet ueri Dei, & obseruatia legis, legemque maxime & semper gentibus opponerent, & superbius illa quodam modo gloriarentur, omnemque in illa spem haberent repositam, ita se gerebant perinde ac Deus propter donum legis, quod Iudaeorum nationi fecerat, ipsorum esset proprius Deus, & non cum alijs gentibus se communicaret. Quorum ut hanc tantam Paulus arrogantiam contundat, idcirco legem iam eneuare incipit, & omnem rationem salutis ante Euangelium quidem operibus bonis, in Euangelio autem fidei erga Deum per IESUM Christum acceptam ferri dicere.

ERGO inquit IULIVS, antequam CHRISTI fides mundo esset denunciata, non Iudaeis solum, sed unicuique ex gentibus aditus in coelum per bona opera patebat, in quo uideo a sanctis uiris esse aliquibus dubitatum. Sed ut hoc sic abeat, quid illud, quemadmodum accipiendum est: ut operibus bonis nostris, non iam gratia omnipotentis Dei, nostrae sit salutis spes, & immortalis uita accepta referenda.

TVM EGO: Non mediocre commoues disputationem mi frater, sed ego quam breuissime potero, quaestionibus tuis occurram. Neque ita, ut mea dicta sic accipi uelim, quasi ea rata, fixaque sint, uerum cum hac conditione, hocque pacto, si auctoritate ecclesiae fuerint approbata, quod idem ubique, & in omnibus uolo intelligi.

Ac quod



Ac quod ad primum tuum postulatum pertinet, non uidetur esse dubium, quin hoc aperte decernat Paulus: Antequam uirtus fidei per **I E S U M** Christum mundo esset enuntiata, licuisse ueteribus illis tum Græcis, tum Iudæis, qui rectum ordinem uitæ secuti essent, & operibus bonis se excoluissent, ad cœleste præmium peruenire. Sed quæ sint opera bona, id enucleatius tradendum est. Bona opera sunt, quæ & ex bono initio oriuntur, & ad bonum finem pertendunt. Quicumque enim boni operis sui finem aut in laude hominum (id quod ex gentibus, qui excelsiore animo esse uidebantur, cuncti ferè faciebant) aut in pecuniæ præmio, aut in uoluptatis, aut in opportunitatibus, & commodis uitæ degendæ ponit; is, ut illud assequatur, quod postulat, uerum tamen fructum operis boni deperdit, qui est uita æterna. Rursus si quis ipsam uitam æternam appeteret, & ad eam omnibus suis consilijs, conatibusq; con tenderet, atque is opem tamen suo optato consequendo, auxiliumq; precaretur ab ijs, quorum illius dandæ, & concedendæ non esset potestas, hoc est à falsis dijs, nã iste quoque spe sua, & ratione tota falleretur. In ipso enim capite, & principio ueritatis, errore lapsus in diuersum longe tenderet, quàm sibi ipse ab initio proposuisset. Quid ergo est; ex utraque parte necesse est, ex capite uidelicet, atque ex fine non falli eum, qui sit honorem immortalitatis adepturus, & ut petat à summo, & uero Deo, & ut quod optimū est, petat uitam, scilicet æternam. Quapropter Paulus nouum hunc, & difficilem Iudæis proponēs locum, **H I S** inquit, per boni operis perseverantiam quærentibus uitam æternam, gloriam, & honorem, & immortalitatem largiturus est Deus. Et ad Hebræos, Oportet accedentem ad Deum credere primum, quòd Deus est, & sit remunerator quærentibus se. His ergo, qui ab uno Deo & omnipotente quæsuerunt uitam æternam, suiq; desiderij consequendi spem in ipso illo eodem per perseverantiam in bonis operibus posuerunt, nullo unquam tempore, siue illi Græci, siue Iudæi extiterunt, defuit Deus. Verum ita se res ante **C H R I S T I** fidem habebat, ut Iudæi & Græci in capite quidem discordes essent, in fine ipso consentirent. Quærebant enim uulgo non uitam æternam, non enim eam, neque gentes agnoscebant, neque Iudæi in lege propositam habebant: sed fructus terræ, & uitæ commoda consectabantur, opes, familias, liberos, regna, pacem, atque otium, & eiusmodi bona, quæ absunt nimirum à summo bono, intraq; breue curriculum humanae uitæ omnia conclusa sunt. In eo autem discrepabant, quòd Iudæi ista ipsa terrena bona ab optimo tamen authore Deo expetebant, gentes ab emētitis & falsis dijs. Ex quo patet etiam alteri tuæ dubitationi respōsio. Non enim sine eximīa, & peculiari gratia Dei, si quis ex hoc communi errore se emerferat, & ad Deum uerum suæ immortalitatis spem uotumq; direxerat, poterat aut in tam præclaro consilio insistere, aut tanti præmij honore non falli. Ac quod ad Iudæos quidem attinet, plurimos eorum nouimus ab ipso Deo edoctos nō solum de præsentī eius uī, & maiestate, sed de **C H R I S T O** futuro, ac uenturis per ipsum in hominum posteritatem Dei beneficijs, multa, & magna, & mira cecinisse. De gentibus uero partim ante legem datam multos scimus à Deo in ueritatem, & sanctitatem uocatos fuisse, ut Enoch, ut Noë, ut Melchisedech, ipsumq; imprimis Abraam, partim postquam lex fuerit tradita de ipsis Græcis, si qui uerum, & unicum Deum libenter agnouerūt, eumq; adorando, & colendo uenerati sunt, beneficiaq; ab eo, quæ essent optima, petiuerunt, illius bonitati, potentiaq; confisi, credibile est illos benignitate, & clementia summi Dei, sui exitum desiderij, & honorem immortalitatis esse affecutos. Quod enim gratiæ iam est, & liberalitatis suæ, bonis mentibus semper occurrit Deus, & illis ostendit lumen ueritatis suæ, neque in hoc munere benignitatis, & iustitiæ, suæ unquam bonitati finem, modumq; præstituit, nec in beneficijs suis dilargiēdis hominem ab homine, aut Iudæum à Græco uult sibi esse eximiū. Itaq; Petrus in actis: Reuera percipio, inquit, quòd non est personarum fautor Deus, sed in omni gente, qui operatur iustitiā, acceptus illi est. **P R O R S U S** mihi ista probantur, inquit **I V L I V S**, estq; mihi abs te satisfactum, sed qui restare uidebatur scrupulus, huiusmodi. Quid ergo attulit fides Christi, si ante eam licebat præmium adipisci, quod sola ipsa polliceri uidetur? quoniam de hac re Paulus alio loco tractaturus est, suo loco potius id abs te petam. Nunc pergamus ad reliqua:

Quicumq;



Quicumque enim sine lege peccauerunt, sine lege & peribunt: & quicumque sine lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.

**V I D E S N E** æquitatem diuinæ legis, & conditionis: si enim omni peccanti siue in lege, siue extra legem, iudicium nihilominus, & damnatio est constituta, necessarium omnino recte facienti, siue in lege, siue extra legem, suum paratum præmium, & propositum est.

Non enim auditores legis iusti apud Deum, sed obseruatores legis iustificabuntur: ubi enim gentes legem non habentes natura ea quæ sunt legis agant, hi legem non habentes, sibi ipsi sunt lex. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, contestante eorum conscientia, & alternis inter se ratiocinationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die, quando iudicabit Deus occulta hominum secundum Euangelium meum per **I E S U M** Christum.

**A M P L I V S** etiam firmatur ab Apostolo hæc ratio, aut enim legem habere, aut legem obseruare iustificat apud Deum. Si tantum habere, nihil omnino tribuendum est operibus bonis, sed solum nomen generis, & nationis ualeat apud Deum, omnesque prorsus Iudæi in tuto sunt, etiam qui contra Deum, & legem peccando ueniunt: Græci uero funditus & omnino sunt perditæ, quauis probi eorum aliqui, & iusti, de Deo & de iustitia Dei recte senserint, factisque quod senserunt, id præ se tulerint, & uitam cum pietate, ac ratione honoris Dei causa totam direxerint, hi tamen uniuersi & frustra in optimis actionibus se exercuerunt, & fide qua spem locauerant in summo Deo, falli, atque decepti nihilominus intereunt, quod est à Dei ueritate & iustitia remotissimum. Sin autem legis potius obseruatio facit iustitiam, etiam qui legem istam in tabulis non habuerunt, opera autem legis & præcepta naturæ dono, & uoluntatis proposito obseruauerunt, hi apud Deum iusti sunt effecti, Legem enim quam in literis expressam non habebant, in cordibus suis scriptura meliore impressam habuerunt. & quoniam non est satis recte facere, nisi id etiam sponte, & recto consilio fiat, ideo adiecit Apostolus, Contestante eorum conscientia, & alternis inter se ratiocinationibus accusantibus, aut etiam defendentibus. Illud enim opus uere bonum est, quod non casu, aut tantum usu, sed quod mente recti conscientia, post uariarum disceptationes rationum diffinito consilio quis facit, in quo uno consistit uirtus. Quod sequitur autem in die, quando iudicabit Deus occulta hominum, traiectionis est, ad id enim retro trahitur, quod supra dictum est, quæ enim in cordibus nunc sunt scripta, hominibus occulta sunt, donec ad illius supremi iudicii diem ueniatur, quo tempore utique illa omnibus patebunt, & partem iam exposita erunt. Cuius quidem iudicii denunciatio in ueteri quidem lege pluribus locis notata, à Christo autem Iesu in Euangelio clarius significata est, qui est iudicium illud pro patre Deo exerciturus, atque ideo dictum secundum Euangelium meum per Iesum Christum. Porro Pauli Euangelium idem est, quod & Christi, sed non eodem modo, Euangelij enim autor Christus, minister Paulus. Sed & cunctorum, qui rite credunt in Christum, unum atque idem, quod & Dei, & Pauli Euangelium est.

Ecce tu Iudæus cognominaris, & acquiescis legi, & gloriaris in Deo, & cognoscis uoluntatem, & probas quæ meliora sunt, instructus ex lege, persuasusque es te ducem esse cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, doctorem simplicium, ut qui habeas formationem cognitionis, & ueritatis in lege. Atqui tu docens alterum, te ipsum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non adulterandum, adulteras: qui abominaris idola, sacrilegium committis: Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonestas. Nomen etenim Dei propter uos uituperatur inter gentes, quemadmodum scriptum est.



HOC scriptum est in Esaia dicente: Dominatores eius inique agunt, & iugiter tota die nomen meum blasphematur. Ezechielis quoque est: Cum dicit dominus non propter uos ego faciam domus Israëli, sed propter nomen sanctum meum, quod poluistis in gentibus. Verum illud urget Apostolus, non esse legi, neque scientiæ legis, sed bonis ex legis doctrina operibus confidendum. Quamobrem Iudæi qui se doctores aliorum, & tanquam duces cæcorum esse arbitrabantur, tumentesque fastu quodam ex scientia, & cognitione legis, cum ijs quæ ipsi nullo suo labore, sed tantum lectio- ne diuinæ legis comparauerant admodum gloriarentur, sibique plurimum arrogarent, cæteros autem uellent habere subiectos sibi, & ueluti discipulos, & cum ea, quæ cæteris præcipiebant facienda, ipsi minime facerent, non modo nullam partem iustitiæ ex lege consequerentur, sed insuper dedecorabant inter gentes, & legem, & authorem, ac latorem legis dominum Deum. Nam quæ ait: Qui abominaris idola, sacrilegium committis, De sacrilegio hoc sic intelligendum est, Iudæi qui propter Dei honorem idola abominabantur, & in hoc certe honorem Deo uero habebant, rursus eundem Deum ex alia parte suis malefactis dehonestando detrahere illi conabatur, quod prius concesserant, ut quem illa ueneratione, illoque cultu habuerant dignum, cuius causa idola detestarentur, nunc præ suis uitijs & cupiditatibus indignum rursus ducerent, cui in bonis moribus honor, & in pijs, ac sanctis operibus haberetur. Ita abominatio idolorum, pietatis illis laudem erga Deum exhibebat, Rursus autem Dei eiusdem dehonestatio, quem alio genere criminum dedecorabant, sacrilegij eisdem notam inurebat. Sed possunt hæc uerba illo etiam modo exponi: Quod Iudæi scilicet qui idola abominabantur, & omnia, quæ honori idolorum data, consecrataque essent, eadem abominatio- ne aspernabantur, statuebantque impura, & polluta esse, neque sibi licere illa ipsa contingere, ijsdem tamen hoc fas & legitimum, avaritia adducti, aut intemperantia uiolabant. Sæpe enim nonnulli eorum partim depeculabantur donaria deorum, partim ex ijs, quæ oblata fuerant dijs esculentis, poculentisque uescebantur. Cum autem è sacro loco in profanum auferre sacrilegium sit, ipsi contraria quadam specie ex abominato loco, atque incesto in sacrum surripiebant, cum semetipsos illarum rerum furto contactuque polluerent, legemque Dei, & præcepta illius præuaricando uiolarent, quod ipsum erat proprium Iudæis sacrilegium.

Nam circūcisio quidem prodest, si legem obserues: sin autem transgressor legis sis, circūcisio tua præputiū facta est. si ergo præputium iusta legis custodia, non ne præputium illius in circūcisione reputabitur, & iudicabit ex natura præputium legem complens, te per literam & circūcisionem transgressore legis: Non enim qui in aperto Iudæus, neque quæ in aperto in carne est, circūcisio est: sed qui in occulto est Iudæus, & circūcisio cordis in spiritu, non in litera est, cuius laus non ex hominibus est, sed ex Deo.

IAM intrat magis, ut inanes, irritosque ostendat exteriores ritus, & corporeas obseruationes legis, fiduciamque super his, quæ habebant Iudæi, penitus infringat, quodque ueræ, & Deo acceptæ religionis est proprium, ritus externos, & corporeas obseruationes legis omnia ad interiorem hominem, & ad spiritum cordis reducat, in quo solo est ueritas. Ac circūcisionem ostendit prodesse quidem, si præcepta legis seruentur: si autem frangatur contrarijs operibus, & uioletur lex, nihil iam inter illiusmodi circūcisionem, & inter præputium gentium interesse. Si enim intersit, & carnis circūcisio uim habeat iustificandi, nullum iam apud Deum uirtutis & uitij, boni, & mali discrimen amplius sit, ueracque uis diuinæ iustitiæ tota euanescat necesse est. Si uero hoc suscipi non potest, illud econtrario est necessarium, ut si gentes, quæ circūcisionem carnis non gerunt, corde tamen circūcisæ sint, expleantque naturæ quadam bonitate mandata legis, illarum præputium Deo pro circūcisione habeatur. Nō enim qui se Iudæum profitetur, præfertque abscissionem præputij, ille statim Iudæus est, nec carnis circūcisio, statim circūcisio: sed qui in occulto Iudæus est, ille uere est Iudæus, hoc est, qui non in carnalibus signis, sed in mente, & uoluntate legem fert: qui uim



qui uim legis intelligit, illiſq; obtemperat, is Iudæus uere est. Item circunciſio cordis in ſpiritu non in litera, uera circunciſio eſt. Nam circunciſio carnis ſignum illius eſt, quæ eſt in corde circunciſionis. Ac fallere quidem poteſt, & mentiri quæ in ſigno eſt circunciſio; illa autem cordis fallere, aut falli neutiſquam poteſt. Ac ut aliquid de toto hoc ritu circunciſionis loquamur, Abraam cum per fidem, & obedientiam probatus Deo fuiſſet, gratiamq; eius ſibi iam comparuiſſet, non egebat ille quidem circunciſionis ſigno, quo apud Deum fieret gratior, ſed cū circuncidi iuſſus eſt, in eo id eſt quaſitum, ut initium ſigno faceret in totam poſteritatem ſuam, quo qui ſucceſſuri ſpatio temporum eſſent, indicium gererent generis, & proſapiae Abraam, à reliquisq; generibus diſtinguerentur, ut manifeſta foret ſuo tempore benediſtio gentium ex ſemine Abraæ profectura, & ſimul ut circunciſionem illam ſignum obedientiae patris ſui Abraam erga Deum præ ſe ferrent, cuius & ipſi in obtemperando Deo eſſe ſtuderent ſimiles, circunciſioq; in cute facta, in ſpiritu tamen magis per illam umbram corporis quaſita eſt, præſertimq; in populo illo, qui duris ſemper fuit ceruicibus, ideoq; in membro illo potiſſimum facta eſt circunciſio, quod maxime aduerſarium, & cōtumax eſt rationi. Hoc ſigno, ut diximus, non egebat Abraam. Eius enim coram Deo humilitas, & reuerentia, & in omni parendi ſtudio alacritas, atq; obedientia ſignum illud anteuenerat. Sed cæteris exemplo eſſe eſt iuſſus, ut per corporeum ſignum poſteriores moniti ad conſiderandam fidem, & obedientiam Abraæ, quam is habuit Deo, ac perinde ad eam imitandam ſe cōferrent. Igitur in populo diu terreſtri, & carneo, & ad ea, quæ terræ ſunt potius ſemper anhelanti, ualuit obſeruatō, & ſignū circunciſionis. Umbræ enim illis, & ſigna pro ueritate diu fuerunt. Itaque illis tanq; carnalibus terror legis, & poenæ, & ſacrificia uictimarum, & acerba execratio aduerſus eos, qui à præceptis legis deficerent, propoſita eſt, ut adigerentur, qui ſua uoluntate nollent, quacunq; poſſet ratione ad cultum, & obedientiam ueri Dei, inuitiq; facerent, quod pater eorum Abraam ſponte ante feciſſet. Poſtq; uero aduenit plenitudo temporis eius, quod omnipotētis Dei conſilio antè fuerat præſcriptum, & in quo fractis legis, & iuſtitiae omnibus repagulis, in omne genus criminum, hominum natura collapſa erat, tunc tanquam adultum iam hominem, non puerum iam, aut impubem amplius, ſed uirum effectum, & ratione uitam, non ſenſu dirigere ualentem, non minis, & ſupplicijs dominus, ſed clementia, & humanitate uoluit ad ſeſe, & ad ſui ſtudium, amoremq; reuocare. In quo multa, & magna ſuae potentiae, & bonitatis ſigna oſtendit. Nam quod omnino perditos reuocauit ad uitam, præſertim facilimo generis remedij, quod in credendo Deo per IESUM Chriſtum conſiſtit, potentiae illius fuit. Quod ſibi rebelles, & maxime aduerſarios recepit in gratiam, infinitam hoc eius declarauit bonitatem, coniunctam pari iuſtitiae, & ſapientiae gloria. Sapientiae, quod nullis culpis, & ſcleribus à benefaciendo deductus tacilem uiam oſtendit ad ſanctatem redeundi, & opus cæterorum propè nobiliſſimum, quod poſtremum operum ſuorum ipſemet effecerat, uitio ſuo corruptum, ad maiorem etiam, quam prius integritatem reſtituit. Iuſtitiae, quod cogitauit, & reſpexit, non quid nobis, ſed quid ſua immanſa uirtute, & benignitate eſſet dignum. Egit autem nobiſcum, quemadmodum antè egerat cum patre noſtro Abraam: iuſtius enim filij eius ſumus, ſi fidei eius, quam ſi carnis reperiāmur heredes. Ita enim ait Apoſtolus: Scitis, quod hi qui ex fide ſunt, ij ſunt filij Abraæ. Porro ita egit cum eo, ut eum euocaret, iuberetq; egredi ex domo, & gente, & cognatione ſua, & in eas terras, quas ipſe eſſet illi traditurus, migrare, pollicens ſemini eius illas æternas ſe daturum, ſemenq; ipſum & progeniem Abraæ ſic multiplicaturum, ut numerari quondam non poſſet. Crediditq; Abraam Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Eſt enim in patria prius degendo, & inter populares, cognatosq; uiuendo, qui ad idolorum cultum deflexerant, offeſam forte aliquam in Deum contraxerat, illiusq; nomen, honoremq; uiolauerat: ramen eo ipſo, quod Deo facile credidit, iuſtus ſtatim eſt effectus. Maxima enim & potiſſima parte iuſtitiae ſuſcepta, minores illas iniuſtitias facile eliſit. Eſt autem maxima iuſtitia dare honorem Deo in cultu quidem etiam, & ſacrificio, & uoce, geſtuq; corporis. Sed hæc ſimulari poſſunt. Dare autem honorem in corde, & ſpiritu, uera eſt Dei omnipoten-



tis adoratio, quæ præcipue consistit in eo, si credatur illi, & pareatur, quanquam qui credunt, qui possunt non parere: Quod ergo egit Deus cum Abraam primo, egit idem postea nobiscum. Exciuit enim nos, eduxitque ex domo & cognatione nostra in qua ipse parum rite colebatur, hoc est ex uitijs, & peccatis nostris, & à falsorum cultu deorum. Sicut scriptum est: Audi filia & uide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum. Nouamque in uitam transtulit, quam, si illi pareamus, æternam est nobis, & immortalam traditurus. Omnia enim quæ tunc in corpore, & carneo homine humano modo facta sunt, in spiritu, & ueritate in nobis diuinitus implentur. Nam nec terram Chanaan, quæ semini Abraæ in æternum se daturum pollicitus est Deus, æternam tamen tradidit. Sunt enim Iudæi carnale semen Abraæ, iandiu inde depulsi, atque eieci, nec rursus innumerabile, ut cœli stellæ, semen Abraæ extitit, quod quidem in carne fuit deductum. Sed & nos filij fidei eius innumerabiles, & possessio terræ æterna immortalis uita est. Omnis enim Dei promissio æternitatem continens, spiritualiter intelligenda est, quoniam in solo spiritu inest æternitas: terrena autem omnia caduca, & instabilia sunt, & ab ipso æternitatis iure perpetuo remota. Credidimus & nos Deo per IESUM Christum, & è uita pristina emerimus, in nouamque fuimus traducti. Fidesque ista nostra, & obedientia erga Deum, ad iustitiam nobis quoque reputata est, in eumque statum, gradumque amicitie, & gratie apud Deum sumus prouecti, in quo fuit Abraam, antequam signum circumcisionis in exemplum futuræ posteritatis acciperet. Sed nec ipse tum circumcissione propter se egebat, neque nos egemus. Per fidem enim CHRISTI intellecto circumcissionis mysterio, & eo uere, ac spiritualiter suscepto, inanis penitus, & superuacanea facta est carnis circumcisio. Non enim amplius signum, pactumque obediendi, & credendi, sed fidem ipsam, & obedientiam obtinemus. Neque in carne opera legis, sed in spiritu ipso gerimus, qui filij Abraæ sumus, non per carnem, sed per fidem, in qua ne ille quidem eguit circumcissione, ut gratiam Dei acquireret. Ante enim circumcissionem illi & fides, & gratia Dei erat parta. Neque rursus signo opus nobis est, quod à cæteris gentibus separemur. Non enim genus unum, & progenies una, sed omnes undique homines ad fidem CHRISTI inuitati, uocati que sunt. Circumcidamur igitur nos corde, quæ est uera circumcisio, carnis autem umbras, & signacula repudiemus. Atque utinam recte circumcideremur, amputatisque omnibus terrenis curis, affectionibusque, studio, & amore raperemur ad unum Deum per IESUM Christum dominum nostrum, qui extitit nobis huius diuini beneficii, gratiaque largitor, ut cum maxime oppressi, & cooperiti omnibus flagitijs, criminibusque essemus, illamque etiam iustitiam penitus amisissimus, quæ in bonis operibus est sita, repente, præter spem, nec opinantes ad multo maiorem, præstantioremque iustitiam ueniremus, ut credentes Deo, & per fidem credulitatis nostræ ipsius diuinæ iustitiæ signaculo insigniti, non hanc, illam uel uirtutem, sed totum, & uniuersum, quod est uirtus, idque diuino propè modo, per Dei eiusdem gratiam assequeremur, usque eod quidem, ut non reconciliati solùm, tanquam amici, sed adoptati à Deo, tanquam filij summum gradum honoris, & gloriæ fuerimus adepti. Sed pergamus ad reliqua. Nam quæ ait Apostolus: Cuius laus non ex hominibus est, sed ex Deo, affirmat in omnibus prorsus spiritus ueritatem, qui simulatione nulla se metipsum obducit, sed rectus, & simplex fertur ad ipsum Deum, seseque illi uni ostendit, & probat, neque alium extrà quærît sinceritatis suæ spectatorem, aut iudicem. Caro autem contra se habet, & tota foras conuersa est, quæque in carne signa impressa, incisa uel sunt, oculis hominum iudicantur, non approbatione summi Dei. Quod si animi motus, & appetitiones, & consilia ad humanam laudem, aut cupiditatum terrenarum expletionem foras & ipsa spectant carni iam coniuncta & cum ea conflata, carneum hominem efficiunt, qui totus pendet extrinsecus ex hominum iudicio, non ex probatione Dei, & laude, atque is cum uarium, & mutabile sit illud, ad quod se accommodat, nihil enim est opinione hominum, & popularibus studijs, neque rursus affectu cupiditatum leuius, aut inconstantius, uarias & ipse species, ac formas subeat necesse est, ut simulare, ut mentiri, ut fallere, ut nunc hoc præferre, tum illud, continue cogatur. Qui uero in uno Deo, & unius Dei iudicio ac uoluntate fixus spiritus est, is ipse quoque

rectus,



rectus, & uniuersum, æternæq; & immutabilis compos ueritatis, semper & usque  
 quæq; sibi consentiens est, nec fallaciam ullam, aut umbram, neq; item fluctum uarie-  
 tatis admittit. Ex quo etiam patet ista recentior Maumethanorum lex, quæ ex dua-  
 bus prioribus legibus Moylis, & CHRISTI decerpta, maleq; coherens neutrius  
 uim, nec uirtutem imitatur, quàm prauè, quàmq; peruerse acceperit Euangelium, &  
 à spiritali intelligentia illius auersa fuerit; quæ cum à corporalibus ad spiritalia di-  
 uini ordinis fuerit processus ad humanum genus saluari doctrina imbuendum atq;  
 erudiendum, ipsa retro rursus à spiritu ad carnem, corpusq; redacta est. Quod si illa  
 in corporeis hisce ratione salutis esse positam putat, quid attinuit legem nouam con-  
 dere? & ab ea, quæ Iudæorum est, uel tantulum deflectere? Quanquam de ista nihil  
 quidem mirum est, plena etenim est tota ineptiarum, & insulsitatis. Quoq; minus re-  
 spiscant, qui ex ea infatuati sunt, omnem bonarum literarum, & honorum authorum  
 lectionem, omnia studia artium optimarum sectatoribus suis inania ducit. Itaq; fit, ut  
 homines sua sponte carnales huius legis institutione terrei penitus fiant, nullumq;  
 spirituale agnoscant hominis intestini cum Deo commercium. Tum IULIVS:  
 Ita se res habet, ut tu dicis, inquit. Sola enim recta est intelligentia, quæ spiritalis est,  
 neq; ullam habere potest rationem, id quod in corpore fit, ad salutem, & uitam æter-  
 nam necessario pertinere, nisi quatenus forte aut indicium aliquod præ se ferat, &  
 uelut testimonium interioris hominis uoluntatis, aut ad reprimendos carnales affe-  
 ctus ualeat, quanquam hoc posterius, si ratio ipsa per se reprimat, totum uideri po-  
 test superuacaneum. In signo autem atque indicio maior sæpe inest religio. Qualis  
 apud nos baptismus est, qui eius esse uirtutis perhibetur, ut absq; eo ad uitam æter-  
 nam non liceat aspirare. Quod & ipse testatus est CHRISTVS, Qui crediderit,  
 inquit, & baptizatus fuerit, is saluus erit, perinde ac sine baptismo non queat quis  
 saluus fieri. PLVRIMVM mi frater, inquam, nostræ baptismi rationi ab illa Iu-  
 dæorum circuncisione interest. Illi enim in corporeo illo signo penitus inhærebant,  
 nihilq; ex eo intestinum, aut spirituale ex legis litera cogitabant. Nos hunc ex aqua  
 baptismum sine spiritu sancto nos intus lauante infructuosum esse ducimus. Neces-  
 saria illis ad uitam, neque eam æternam, sed mortalem, talis erat circuncisio præputij  
 manu uidelicet facta. Quemadmodum scriptum est, Quod masculinum non circunci-  
 detur carnem præputij sui octauo die, anima illa disperat e genere suo, quoniam tes-  
 tamentum meum dissipauit. Nos nec tam præcisam & asperam præceptionem ha-  
 buimus, nec tantam necessitatem huius per aquam baptismi agnoscimus, ut sine eo  
 salui esse nõ possimus. Sæpe enim sanguine suo, sæpe ipso per se spiritu sancto, ipsaq;  
 fide in CHRISTVM, sine aqua, & ministro baptizati ad uitam æternam sunt eue-  
 cti: sicut & ille in cruce latro, & puerorum Bethleemitarum, multorumq; præterea  
 martyrum, aliorumq; sanctorum res, & gesta indicant. Sed quoniam de hac eadem re  
 aliquantò post erit disputandum, pergamus modo ad ea quæ sequuntur.

Quod ergo est id plus, quod habet Iudæus? aut quæ utilitas circunci-  
 sionis? multum per omnem modum: primum quidem enim quod credita  
 sunt illi oracula Dei.

ABIECTA iam circuncisione, qua maxime Iudæi gentibus se anteferebant, &  
 sine ea ad CHRISTI fidem uenientes saluos posse esse negabant, ne insultarent  
 ex altera parte Iudæis, & illos inciperent gentes contemnere, reuertitur ad illorum  
 causam, famamq; defendendam, & sibi ipse opponit: si circuncisio, & cerimonia, &  
 legitima Iudæorum nullius ad iustitiam momenti sunt, quid est, in quo gentibus Iu-  
 dæus præcellat? Plurimum, inquit: Digna enim sola ea gens à Deo antehac habita  
 est, quam ille & familiarem sibi haberet, & quam peculiari lege instrueret, sibiq; per-  
 petuo tanquam semen foueret, ac conseruaret, e quo promissum patribus Iudæorum  
 æternæ hereditatis mundi authorem in lucem suo tempore esset producturus. Ora-  
 cula enim Dei sunt, quæcunq; ad docendum, regendum, & maximarum rerum pro-  
 missionibus confirmandum populum Israeliticum ab Deo prolata sunt, quæ illi ge-  
 neri



neri sunt credita, quod erat nota circuncisionis signatum, quoad pro semine genus illud fuit, fructu enim postea uniuersæ salutis in omnes homines effuso, & uirtute fidei dei passim omnibus demonstrata, non amplius signo ad iustitiã, sed nec ad unius generis distinctionẽ circuncisionis nota fuit opus. Sed rursus de indignitate Iudæorum:

Quid enim si infideles eorum aliqui fuerunt, num infidelitas ipsorum fidem Dei abrogabit? Absit: sed sit Deus uerax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est, ut iustificeris in sermonibus tuis, & uincas, cum iudicaris.

C V M opponeretur à detractoribus Iudæorum, multa quidem, & magna promississe illis Deum, sed quoniam ipsi, quæ uicissim promiserant Deo, nempe quod eum unum Deum colerent, signumq; credendi & obediendi illi, quod in circuncisione carnis gerebant, ipso opere effectusq; præstarent, atque completerent, eiq; & ducibus præpositis ab eo obtemperantes essent, legemq; & præcepta custodirent, multo maiore ex parte non seruauerant, tamen Apostolus, quod uniuersi fere egerunt, ut aduersus Deum & legem cõtumaces essent, signumq; circuncisionis irritum haberent, oratione ipsa lenit, & mitigat, quosdam eorum, non omnes infideles appellando. Cum ergo exprobraretur, quia Deo fidem ipsi non seruauerant, nec Deum quidem ipsis fidem, quam dedisset, præstiturum esse, aut quæ pollicitus esset, re impleturum. Ne sit hoc, inquit Apostolus, ut fides Dei propter perfidiam hominum imminuatur, imò quo nos mendaces magis, & perfidi sumus, hoc magis fides illa Dei, & ueritas elucet: sicut scriptum est, Vt iustificeris in sermonibus tuis, ut nunquã sermo tuus ò Deus sit irritus, & uincas, cum iudicaris. Cum oritur disceptatio, quid ita constas tu tibi, cum qui ex aduerso tibi obstricti sunt, à fide sua ipsi deficient; nempe ideo, ut tua uincat ueritas, ut ipsa sola emineat, quæ non emineret, si tibi æqua fide ab hominibus responderetur. Vincere enim est pellere, & deicere aduersarium, non pari cum eo Marte contendere. Vincit ergo, & eminet tum maxime Dei ueritas, & iustitia, cum nobis à nostra parte neutram illarum præstantibus, ipse ambas nihilominus inuiolatas retinet, & conseruat. Atque ut est Apostolus quæstionibus densus, & circumspectus omnia, quæ contrã dici possunt, sic obijcit sibi statim, id quod & à multis fuerat oppositum, & quotidie ab amatoribus mundi opponebatur, qui ex sermonibus ansam quærentes, quò suis cupiditatibus liberius obsequerentur, uerbis tamen consequi uolebant, ut Deum nequaquam uiderentur offendere,

Si autem iniustitia nostra Dei iustitiam cõmendat, quid dicemus? Num iniustus Deus, cum infert iram? secundũ hominem loquor. Absit. Quoniã quo pacto iudicabit Deus mundum? Si enim ueritas Dei in meo mendacio eminentior facta est in gloriam ipsius, quid amplius uelut peccator, ego iudicor? & non, ut nos insimulamur, & sic ut affirmant quidam nos dicere, quòd faciemus mala, ut ueniant bona, quorum iudicium iustum est.

S I I V D A E O R V M infidelitas fidem Dei magis illustrat, & mendaciũ hominum illius ueritatẽ; itemq; iniquitas iustitiã: non ne maius est hoc bonũ, quo amplificamus honorẽ, & gloriam summi dei iniuste agendo, q̃ malum istud ipsum, quod est iniuste agere: hoc alij fortasse sic sentiebant, alij nouæ sectæ Christianorum tanquam ita sentienti pro magno scelere obijciebant, & utrisq; occurrit Apostolus. His quidẽ sic sentientibus, atq; ita persuasus & reputantibus iniustam esse iracundiam Dei, qua iniquis pœnam inferat, cum illorum iniquitas eius iustitiam reddat clarorem, obuiã it hac ratione, quòd si ita res se haberet, ut iniuria talibus irasceretur Deus, non posset amplius ipse mundum iudicare. Quo pacto enim iudicaret, si scelus illi pro uirtute, & uirtus pro scelere esset iudicanda? Alijs uero, qui hoc cultoribus Christi obijciebant, cum eos & in ea esse sententia dicerent, & quod sentiebant, re ipsa efficere, ut mala agerent, quò bona sequerentur, hoc est, ut ipsi quidem se flagitijs polluerent, quò gloriam



gloriam Dei immortalis in ueritate & iustitia ostenderent ampliore, atque illo potissimum modo ab Deo gratiam inirent, qui hac inquam de re Christianos accusabant, & quod de illis suspicabantur, statim assensione animi sui confirmabant, inauditosque, & indefensos suae duntaxat opinionis iudicio condemnabant, cum essent de illis, contra quos paulo supra fuerat inuectus, qui scilicet tam facile suspicantur & iudicant de altero, ait de istis ipsis iudicium iustum esse, ut iudicium accipiat hic pro damnatione, quemadmodum & alibi accipit, ut cum ad Timotheum scribit de uidiuis iunioribus, quae ubi luxuriari coeperint, aduersus CHRISTVM uolunt nubere habentes iudicium, quod priorem fidem abrogauerint, id est, damnationem. Ita & horum detractorum dicit damnationem iustam esse, quasi temere quidem isti alios iudicent, ipsi autem ab Deo cum ueritate sint iudicandi. Nam quae ait, Secundum hominem loquor, excusat temeritatem loquendi. Cum enim Deum tanquam reum iniustitiae in quoddam quasi certamen deducat, id ab sese dici affirmat humano modo. Sicut ad Galatas, cum de testamento, & firmitate testamenti, in Deo diciturus est, ait, Fratres, secundum hominem loquor, id est, humanum de testamentis exemplum ad Deum transfero.

Quid ergo? antecellimus? non omnino. Antè enim accusauimus Iudaeos, & Graecos omnes sub peccato esse, quomodo scriptum est: Non est iustus, ne unus quidem, non est intelligens, non est quaerens Deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, Non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum, sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose egerunt, uenenum aspidum sub labijs eorum, quorum os execratione, & amaritudine plenum est, ueloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, Contritio & miseria in uis eorum, & uiam pacis non cognouerunt, non est timor Dei ante oculos eorum.

Hoc testimonium scripturae, quo omnes comprehendi sub peccato dicuntur, partim ex psalmis sumptum, partim ex Esaia est, licet in libro psalmodum legatur haec à Paulo facta ex Davidis & Esaiae dictis compositio. Aduocat autem scripturam in hanc rem, ut retundat denuo Iudaeos extollentes se ex honore illo, quem habuit illis Deus, quod credidit eis oracula sua. Ipsi enim sunt, qui dicunt, Quid ergo? antecellimus? Quibus respondet, non omnino, id est, non prorsus antecellit gentibus reliquis. Nam si eas paulo antè ostendimus sub peccato esse, uos quoque scriptura in eadem culpa esse coarguit.

Nouimus autè quod quaecumque lex loquitur eis, qui in lege sunt, loquitur, ut omne os obstruatur, & obnoxius sit omnis mundus Deo, quoniam ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram ipso. Per legem enim cognitio peccati. Nunc uero seorsum à lege iustitia Dei manifesta facta est testificata ab lege, & à prophetis, iustitia, inquam, Dei per fidem IESU Christi in omnes, & super omnes credentes. Non enim est distinctio, omnes enim peccauerunt, & egēt gloria dei, ut iustificētur gratis ipsius gratia per redemptionem quae in Christo Iesu, quem proposuit Deus placamentum per fidem in ipsius sanguine, ad demonstrationem iustitiae suae ex remissione praeteritorum peccatorum in tolerantia Dei ad demonstrationem iustitiae suae in praesenti tempore, qualiter ipse iustus est, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu.

ALATO ex lege testimonio, quo omnes etiam de populo Iudaico sub peccatum subiecti arguuntur, confirmat illud de Iudaeis esse dictum, Quaecumque enim loquitur lex his, qui in lege sunt, id est, lege illa tenentur, & illi sunt subiecti, edicit, & loquitur, Legem uidelicet appellans, sicut & saepe alibi, scripturam ueterem omnem, ut omne os, inquit,



os, inquit, obstruatur, & obnoxius sit totus mundus Deo. At quomodo omne os, si tantum lex Iudæis loquitur? Quia de gentibus satis supra est demonstratum, eas esse cum prima statim professione, qua fallos deos, & mentitam religionem consecrantur, tum omnium peccatorum, ac uitiorum colluione ab Deo alienas. Atque illarum quidem facilis, & perspicua fuit accusatio. Iudæi uero qui se populum electum, gentem sanctam, genus mundum esse existimabāt, qui reliquos omnes præ se & præ lege sua, ueluti pollutos, contaminatosq; despiciebant, non Apostoli uerbis, sed legis testimonio redarguendi fuerunt. Ita Iudæis, Græcisq; sub peccatum omnibus conclusis obnoxius est mundus Deo, ex uno illius arbitrio totus penitus dependens, siue ille iure damnare mundum uelit, siue per clementiam, & benignitatem conseruare, quoniam ex operibus legis nõ iustificabitur omnis caro coram ipso. Per legem enim cognitio peccati. Non solum nemo iustificatus est, inquit, omnes enim peccatorum cumulo obruti ab ea ipsa lege demonstrati sunt, in quo uitium & culpa ipsorum consistit; sed ne spes quidem est, si reuertantur ad legem, & mandata legis opere compleant, ut sic etiam possint iustificari. Non enim iustificat opera legis, quæ iam est legis imbecillitas propria. **HIC IULIVS**, Locum sanè difficilem & diu mihi dubitatum tetigisti, inquit, quo pacto ex operibus legis nemo iustificetur, cum uideatur si quis legem seruaerit diligenter, & decem illa mandata, quæ duabus tabulis perscripta ab Deo, uel ab angelo Dei sunt, ac populo Israëlitico per Moysen tradita, pia mente persecutus fuerit, merito illum cum Deo in gratia futurum. Sed & paulo antè quæ dixit Apostolus, Non legis auditores apud Deum, sed eos, qui legem opere seruaerint, iustificatum iri: satis aperte mihi dicere uisus est, ex operibus legis iustificatione coram Deo etiam esse. Hæc ego ita quæro, ut habeam aliquid quidem ipse, quod proferā, sed tamen ex te audire malim, quid sentias. **IMO MI FRATER** inquit, fare quæso id quod habes, audacterq; mecum communica, quando hoc imprimis fraternum est, cogitationum quoque me tuarum sicut & mearum te participem esse, **TVMILLE**; Faciam, inquit, quando ita me hortaris, & quod mihi uideatur exponam, quod est huiusmodi, ut cum hoc propositum sibi habeat Apostolus, ut inanem & uacuum uirum fide **CHRISTI** iam inuecta ostendat esse legem, duplici id comparatione efficere conetur: Vna, qua Iudæos cum gentibus comparat; altera, qua legem cum fide in contentionem deducit; ac quod ad Iudæos, & gentes pertinet, cum esset nimia Iudæorum de lege gloriatio, per quam serui gentium cum essent, illis tamen se præponebant, perinde atq; ab Deo soli habiti digni, quibus ille legislator existeret. Hanc eorum gloriam paulo supra infringere uoluit Apostolus, dicens, non ex eo gloriari eos oportere, quod legem haberent, sed inde potius, si legem opere seruaerent; cum non lex, sed legis opera sint, quæ faciant iustitiam. Quod si gentes, quæ legem nõ habent, opera ipsæ legis implerent, uerius ipsas tanquam adeptas uim iustitiæ gloriaturas, quàm Iudæos, qui non in operibus legis, sed in ipsa lege scripta ponerent suam gloriam. In quo apparet subtilius inspicienti legis opera Apostolum non in illis corporeis, & carnalibus, neq; in circuncisione cutis præputij, aut horum, ac illorum esculentorum abstinentia (hæc enim gentes, quæ legem non habebant, nullo modo nosse, neq; assequi poterant) sed in synceritate cordis, & in spiritualibus operibus intellexisse, in quibus solis uera est legis obseruatio, quæ in illis corporeis, tanq; signis, & imaginibus, longe degenerans tamen & simulationi obnoxia relucet. Hanc enim legis, & operum ex lege spiritualem obseruantiam habere etiam poterant ipsæ gentes, si unius tantū Dei uirtute, & ueritate cognita cor suum ad cultum, imitationemq; illius, quoad homini fas est, conuertissent, cuius pietatis, & iustitiæ caput fides nihilominus & persuasio hæc fuisset, Deum unū esse, & piè se colentibus remuneratorem existere. Ac prima quidē ista fuit inter scripturam legis, & inter opera, ab Apostolo facta comparatio, tanquā iustius ex operibus, quàm ex legis dono apud Deum quis iustificetur. Quod iustificandi uerbum, eo enim uarie utitur Apostolus, non pro plena, & integra iustificatione hic accipitur, sed pro ea, quantam conferre, & tribuere lex potest; sicut etiam & publicanus, qui confessus suam indignitatē, discessit iustificatus domum suam, non ex uniuersa absolutaq; iustitia, sed ex una parte iustitiæ iustificatus est,



catus est, quod se humilem & peccati poenitentem exhibuit Deo. Hoc autem in loco iustitia fidei, cum iustitia operum ex lege adducitur in contentionem, ut doceat id quod facere instituit, solam esse iustitiam fidei, & non legis, quæ uere, pleneque iustificet apud summum Deum. Ita opera quidem legis, magis quam eiusdem legis professio apta erant ad iustificandum. Simpliciter uero neque ipsa apta, sed sola ex fide iustitia est, quæ coram Deo credentes iustificat. Quare cum in exortu fidei **CHRISTI** Iudæi etiam qui crediderant, agrius tamen ferrent abijci, & pro nihilo haberi legem, illamque necessariam fidelibus esse dicerent, siue simulantes quæstus, & compendij sui causa, siue etiam uerò ita existimantes, hoc loco, & alijs multis, his se opponens Apostolus legem omnino irritam, & opera legis cassa esse confirmat, ea re quidem, quoniam ex operibus legis nulla est carni iustificatio, ubi satis demonstrat se de eis operibus intelligere, quæ ad carnem pertinent, & corporea sunt, quæ uidelicet dicit ex operibus legis non iustificari omnem carnem coram Deo, hoc est omnem carni deditum, & carnis operibus fidentem hominem. Etenim si possit haberi ex lege iustificatio, magis illa ex spiritualibus, quam ex eis, quæ in carne fiunt, operibus expectanda sit. Caro enim coram Deo comparere omnino non potest, nedum ut possit coram eo iustificari, & qui solus prodit in Dei conspectum spiritus non ex operibus carnis, sed ex suis recipit iustificationem. Commode **MIFRATER**, inquam, omnem hanc repugnantiam, quæ non exigua esse uidebatur, ex Apostoli uerbis, cum alibi ille opera legis abijcere, alibi adsciscere uideatur, sustulisti, scripturamque legis, minus quam opera, sed neque opera ipsa legis præ fidei iustitia multum ualere ad iustificandum posuisti. Sed cernis ipse profecto, quam ex eisdem uerbis nacti ansam hi, qui modo exorti fidem **CHRISTI** optime constitutam perturbare nituntur, opera ab sese legum remoueat, fidem solam retineant, uerbo tenus, unam illam magnificantes, opera despicientes, quod impune ipsi, & libere obtineant posse peccare: tanquam fides omnibus criminibus diluendis una satis sit, nec solum pellendo illa, & abstergendo, cum ipsa adueniat, & suscipiatur, sed postquam etiam aduenerit, fueritque suscepta, ferendo ea, ac tolerando. Atque hi astute admodum & callide, dum obscuram, occultamque hominibus cordis sui sententiam, quæ se habere fidem Deo prædicant, suis facinoribus prætendunt, imponere sese cæteris arbitrantur, & eos, qui audiunt, tanti Apostoli autoritate constringere. Ipsi autem interea cum Deo spectatore cordium agunt familiariter, & dum imperitis hominibus exterius se uendent, Dei intus iudicium, uoluntatemque contemnunt. Et Apostolus quidem aperte, atque præcise non uno loco posuit ex operibus legis non iustificari omnem carnem: sed quomodo hoc intelligendum sit, qui interpretari, atque exponere conati sunt, auxerunt potius, quam sustulerunt difficultatem. Sunt enim adducti aliqui ut distinguerent opera legis partim in ea, quæ ad ceremonias pertinerent, partim in ea, quæ ad mores; Ac ceremonias quidem tanquam inanes ab iustificando rejicerent: mores amplecterentur, perinde quali nos, qui uerum Deum colimus, & filium Dei **IESUM** Christum, nihil in ceremonijs omnino momenti, & ponderis ad salutem nostram constituamus, sicut tu mi frater paulo antè, de baptismo, & de confessione quoque, ac de ieiunio, alijsque multis potest proponi. Alij uero non iustificari ex operibus legis quenquam ita exposuerunt, eò quod legis opera ad unguem perfecit nemo. Quid si quis perficiat, num idcirco erit iustificatus? aut quomodo nemo illa perfecit, cum etiam si quis aduersus legem aliquid commiserit, indicta habeat sacrificia, & expiationes, per quas ad legis iustitiam ei liceat reuertí: At nec qui summe obseruauerit legem, ille propterea iustificatus fuerit. Quod enim nemo ex ea possit iustificari, non est id hominis uitium, sed scriptæ legis, & omnino neminem legi obtemperasse, illiusque mandata diligenter custodisse, incredibile dictu est, cum præsertim scriptura non paucis det seruatae legis testimonium, ut de Tobia, & de Daniele, & tribus pueris scriptum est, & in Euangelio de eo, qui peccator a Domino beatae uitæ consilium omnia se legis mandata ab ineunte ætate expleuisse, est professus. Quod item de Zacharia, & Elisabethe, & Simeone, de que ipso Ioseph est testificatum. Quare illa probabilior meo iudicio est expositio, quam tu mi frater paulo antè strictim attigisti, idcirco coram Deo non iustificare opera legis, quia



lex nec menti, nec spiritui uim afferre imperando potest, sed tantum corpori, atque carni. Sui enim arbitrij semper est spiritus, caro autem precepto, & presentis poenae, si imperium legis detrectet, est obnoxia. Porro autem in carne, & corpore nulla coram Deo est iustificatio. Etenim qui ita precepta legis obseruant, ut omnem illorum cultum praese in operibus ferant, ipsi uero intus ab Deo alieni, humanis tantum opinionibus, quae exteriora intuentur, quaerunt satisfacere, hi legi quidem iusti, de his enim solum, quae in aperto sunt, iudicat lex, ipsum autem penes Deum iniqui, & iniusti iure optimo habentur. Quid si dixerit quispiam, aliqui sint, qui mandatis legis custodiendis Deo potissimum placere, moremque illi gerere studeant, num hi ex legis operibus iustificati erunt? cum praesertim illa quoque in lege praecipiantur, ut unum Deum colere, nomenque eius sanctum uenerari, ipsum uero amare ex omni anima, & ex omni corde, & in proximum quoque eadem, qua erga se beneuolentia affici, unicuique sit praescriptum. **HIC IVLIVS:** Non uideo mi frater, inquit, quid contra dici queat, atque illud quo pacto sustineri, hunc, qui ista egerit ex operibus legis non esse effectum iustum. Itaque expecto mox quid ipse dicas. **QVID DICAM,** inquam? Enim uero id quod necesse est, scilicet me his Apostoli uerbis potissimum fidem habere, praesertim cum ille idem in alijs locis confirmet. Quemadmodum scribens ad Galatas, inquit; Nos cognoscentes, quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem **IESU** Christi, & nos in **CHRISTUM** Iesum credidimus, ut iustificaremur ex fide **CHRISTI**, & non ex operibus legis, quoniam non iustificabitur ex operibus legis omnis caro. Et rursus, si ex lege est iustitia, **CHRISTVS** frustra mortuus est. Videtur ergo nobis ex Apostoli uerbis, ne si uim quidem legis totam, quatenus scriptura loquitur & praese fert, non solum operibus externis, sed intestina etiam mentis religione erga Deum quis comprehendat, sic plene, & uere iustificatum eum esse. **ETILLE:** Mirum profecto hoc, inquit, sed explana mihi quaeso, quae res tibi ita se habere uideatur. **AGGREDIAR,** inquam, sed te prius id monebo, cum anceps tibi locus in Paulo occurrerit aliquis, quem sit difficile explanare, atque dissoluere, tu nihil in eo humile, nihil usitatum, nihil terrenum ut consideres, sed omnia alta, singularia, diuina, si ueros eius sensus uoles consequi, ueluti in hoc loco, cum de iustitia, & de iustificatione mentio fit, concipiendum est in animo excellius quiddam, quam id, quod de ui, & notione communis iustitiae in mentibus hominum insitum est. Ac quod diximus nuper, cum de iustitia Dei, quae reuelatur in Euangelio uerba faceremus, idem nunc repetimus, Iustitiam non singulare genus uirtutis, sed uniuersam in Paulo sic nominari uirtutem. Quam quidem in nobis humana etiam philosophia inuenit, ut iusti illi dicantur, qui nullo profus crimine cuiusque generis, quod legibus uetitum improbatumque sit, impliciti sunt, neque quicquam omnino contra leges committunt. Sed ut tunc differuimus, & nunc de integro confirmamus, hac humana iustitia, uniuerso uidelicet genere uirtutis potest quispiam homo ex lege, & operibus legis iustificari, coram Deo autem nequaquam potest: Sed is potest solus, qui diuinae iustitiae honore, atque dono ab eodem Deo fuerit illustratus. Quantum autem Deus homini, & diuina ratio nostrae rationi, tantum genus generi, & illa Dei iustitia huic legum, & hominum antecellit iustitiae. Porro hanc suam iustitiam Deus, tum propter fidem, quae habeatur ei, exercet ipse, & adhibet erga nos, tum etiam in ipsa fide, hoc est, in habentibus ei fidem informat, atque imprimit. Quod paulo ante dixit Apostolus, reuelari iustitiam Dei ex fide in fidem. Neque eam potest assequi iustitiam quisquam uel legis, uel hominis ullius eruditione, disciplinaque instructus, nisi is per fidem **CHRISTI** ad Deum se adiunxerit. Qualis autem illa Dei iustitia sit, & quo e genere censenda, ac definienda, utinam quidem plane possimus exprimere: sed tamen de ea, ut aliquid dicamus, adnitendum nobis est. Non enim desunt, qui dicant perfecta quoque ad beatam uitam consilia in lege ueteri expressa fuisse, eademque profus moralia praeccepta, & Iudaeis, & nobis esse: nisi quod nos gratia Dei per fidem magis adiuuamur. Sibi enim ipsis in lege, & suae tantum opi, atque auxilio homines fuisse relictos, qui nunc in fide **CHRISTI** diuinae gratiae dono, & illustrantur magis, & ad melius Deo obtemperandum roborantur. Quod extremum ut uerum sit (certe



fit (certe enim paratior nobis ab Deo est gratia) non tamen nobis uidetur neque de perfectionis consilijs, neque de moralibus præceptis in lege scripta Moysis tam facile esse concedendum. Sed quomodo in fide CHRISTI planè iustificemur, id quod in lege non possumus, ratio nobis, quantum adiuuerit nos Deus, altior est inuestiganda, ad quam aditus primum nobis ex Apostoli uerbis sit, Qui posteaquam ostendit, omnes omnino, & Græcos naturæ, & legi Iudæos preuaricatos esse, mundumque reum totum ancipiti euentu, è Dei omnipotentis iudicio dependere, ne forte obijciat aliquis, & dicat, Redeat ergo ad Moysis legem mundus, illiusque mandata custodiat, & iustificabitur uniuersus: refutat statim huiusmodi oppositionem, & diserte confirmat, neminem posse coram Deo non ex lege modo (hoc enim antè dixerat) sed ne ex operibus quidem legis, quod hic aperte pronunciat, iustificari: assertoque rationem dicit sui, Quoniam per legem, inquit, cognitio est peccati. Quasi dicat, iustitiam illam, quæ acquiritur ex lege, cognitionem tantum esse peccati, ad eum finem, ut peccatum uitetur. At illa, quæ ex Deo est, iustitia, num cognitio & ipsa peccati est, eiusque uitatio: Minime illa uero: Nullum enim ea cognoscit, aut saltem non animaduertit peccatum, neque in peccatis uitandis, sed in omnibus præclaris, atque sublimibus rebus, actionibusque tractandis, ac suscipiendis occupata tota est. Quod totum ut uideamus cuiusmodi sit, intelligamus prius in quo Moysis lex à fide CHRISTI differt. Quæ enim utraque unum Deum proponit colendum, atque amandum, consentiunt in idem ambæ. Vbi uero lex cultum Dei & amorem hominibus proponit, ut sit hominibus ipsis præsens, & propitius, ad bona terræ acquirenda, & possidenda Deus, in hoc statim CHRISTI fides ab ea incipit discrepare. Fides enim sic nobis amandum Deum proponit, ut omnem ex nobis amorem terrenorum bonorum penitus eijciamus, atque illum uniuersum in unum Deum conferamus, ut sit nobis non tam author, & donator cæterorum bonorum Deus, quàm nostrum ipse bonum; neque ab eo nos profecti ad alium finem contendamus, sed in eo ipso uno, ut fini nostro insistamus. Nam si in alienis ab ipso Deo bonis, & terram redolentibus infixæ sint uota, & desideria nostra, atque ita Deum nobis adsciscamus, ut ipse dator nobis, & donator illiusmodi bonorum sit, quod Moysis lex, quatenus scripta est, semper, & præcipue hominibus proponebat, quis non intelligat potiorè nobis tanquam Deum alterum illum esse, ad quem cupiditate potiundi anhelamus, quàm eum, à quo nostræ huiusmodi cupiditati speramus subuentum, & suppeditatum iri: Etenim finis semper præpollens, & præcipua causa omnium causarum est, in eamque maxime amore, & studio contendimus, ut appareat, cum Deum ita amamus, ut bona alia quædam ex eo consequamur, nos illa magis bona, quàm Deum ipsum amare, & ueluti Deum potiorè nobis ducere, in quem peruenire desideria nostra, quàm à quo illa dirigi, & ad finem deduci uolumus. In hoc statu lex Moysis, & filij legis eius fuerunt, ut colerent quidem, & uenerarentur unum Deum, uerùm idcirco colerent, ut eos ipse in terram expectatam deduceret, propriamque eis illius possessionem traderet, quo regno terrenarum cupiditatum in populo Israël à lege permissis, cum homines illa suos patiantur magni æstimare, diuitias, honores, imperiaque expetere, procreationi operam dare, familias augere, suum ius persequi, iniurias illatas liti, & iudicio ulcisci, atque his deinde in hac tanta colluione affectionum, & cupiditate rerum earum quæ certatim expetuntur, ab omnibusque ambiuntur, quasdam regulas apponat, quantum, & quo pacto, & aduersus quos agere, quærere, uindicareque sit licitum, hanc legem qui adsciuerint, eiusque mandata seruauerint, iusti fuerint illi quidem, sed apud homines tantum, & legi illi iusti: Apud Deum uero ipsum nullam ueræ iustitiæ, quæ sola diuina est, laudem obtinebunt. Nam neque Deus ipse hoc genere iustus est, ut eadem sibi expetat bona, quæ homines concupiscunt: in eis uero expetendis à uiolatione legis, & ab iniuria omni caueat. Sed est iustus Deus, omnibus diuitias bonitatis suæ distribuens, nihil ipse omnino infra se appetens, nullam à quoquam iniuriam, tanquam ipse lædatur, agnoscens. Quod faciunt eodem propè modo, in eoque Deum imitantur, qui per fidem CHRISTI illius exemplo imbuti, neque studio, neque cupiditate ulla inhærescunt in terrenis, sed omnem uim suam amandi ac cupiendi in Deo



ipso, ut fini, & suo unico bono constituunt. Hi enim hanc Dei iustitiam, & bonitatem æquabilem omnibus, bonum omnium expetentem, omnibus opem ferentem, nemini incommodum, ne inimico quidem, aut hosti procreantem, salutarem cunctis, expectantem terrenæ cupiditatis, aliorum maleficia suis beneficijs obruentem, hauriunt ipso Deo donante, & largiente ampliter, & in semetipsis accipiunt, Deoq; similes effecti, quoad quidem homini fas est, humanis animorum morbis omnibus ex sese eiectionis, deserunt imaginem in se omnipotentis Dei; neque regulas istius quærunt concupiscendi, sed nihil mortale, & caducum concupiscunt omnino; tantumq; abest, ut alienum quid appetant, ut ipsi ultro suimet, suarumq; rerum omnium omnibus indigentibus sint liberales. Hæc nos per fidem opera iustitiæ, longe disiuncta à legalibus iustitijs & festari, & colere uult Paulus, ad Philippenses scribens, ut synceri, & inoffensi simus, in diem CHRISTI, inquit, pleniq; fructibus iustitiæ his, qui per IESUM Christum sunt in gloriam, & laudem Dei. His talibus iustis ut Paulus idem alio loco ait, Lex non est posita, sed ipsi magis sunt lex, quorum si reliqui regerentur arbitrio, aut si similes eorum esse uellent, inutilis in totum lex, & superuacanea existeret, quæ illis tantum dominatur, atque præscribit, qui uias carnales, & lubricas insistentes, à prolapsione omni propter metum supplicij debent cauere. At hæc minime præclara, neque apud Deum magni momenti uim obtinens iustitiæ est ratio, ut ex ea possit uere quisquam apud ipsum iustificari. Illa præclara est, & solida, & integra, totiusq; iustitiæ uim coram Deo obtinens, quæ sibi factorum, morumq; suorum exempla ex Dei uirtute, atque factis iudicat esse petenda. Hoc sic posito, uideamus eadem ne sint in fide CHRISTI, quæ & in lege morum præcepta, uel ipsæ morales potius actiones; quæ etsi utrobique ab Deo deductæ sunt, illæ tamen legis, ad terræ præmia conuersæ sunt; nostræ & ex Deo, & in Deo constituuntur. Illæ humanam quandam iustitiam respiciunt, ut cum hominibus, & inter homines tuto, pacateq; uiuere liceat, & in eo tamen gratia Deo habeatur. Nostræ illius diuinæ iustitiæ eminentis, & singularis exemplo, & imitatione sunt insignes. Nam ut de liberalitate nunc, & de beneficentia potissimum loquamur, exemplumq; in his uirtutibus proponamus, num potest uideri eodem modo fore liberalis is, qui pecuniam quidem propter alias etiam causas, & propter ipsum se maxime diligit, atque conquirat, ueruntamen ita conquirat, ut neq; iniuriam propterea cuiquam ullam afferat, & apud se liberalitati quoque ex illa, & opitulationi egentium esse uelit locum, & is, qui pecuniam non alio prorsus nomine amat, nec ullum ex ea fructum alium cognoscit, quàm benigne facere cæteris, & inopibus ex ea, atque egenis opitulari? magnam profectò iam oportet inter hæc duo liberalitatis genera interesse distantiam. nam qui ex illo priore genere fuerit liberalis, is perdetentim, & caute sibi semper primo prospiciens, semper suorum commodorum positionem rationem ducens, erogabit de suis bonis pauperibus, tanquam ancipiti cura distractus, quemadmodum possit rebus suis saluis, cæterorum quoq; salutis, & necessitati subuenire. Noster uero nulla illiusmodi ratione sui habita, ut qui confidens Deo alias sibi opes, alias diuitias in cælo paratas habet, de his terrenis opibus duntaxat id cogitabit, quo pacto per eas possit incommodum, & egestatem proximo suo depellere. Deus porro qui utrique & Iudæo, & fideli in agendo opere misericordiam uersatur ante oculos, quemadmodum uersatur? non ne per terrorem Iudæo, fideli per amorem? Quod quidem sic se habere necesse est. Etenim Iudæus, qui bona terræ facit plurimi, Deumq; sibi datorem illorum bonorum inuocat, & precatur, parebit Deo imperanti, & monenti, ut proximum suum ex illis bonis, cum is egerit, iuuet, & sustentet. Parebit autem ob eam causam, ne si minus illi dicto fuerit audiens, offensus, atq; iratus Deus ab eis illum bonis, ad quæ ipse præcipue amore, & cupiditate labitur, abducat, & abstrahat. Qui est in lege Moyse, quatenus litera fert, propositus impijs legem illam adsciscitentibus timor, ut colant unum Deum, illiq; obediât; quò diutius terræ bona comedere, & tranquille illis eos liceat frui, Deo obtemperantes. Qui si minus obtemperauerint, tum intelligant & uereantur se & terra ipsa & fructibus terræ quibus tantopere delectentur priuatos & spoliatos ab eodem Deo fore. Nos uero fide CHRISTI instructi, cum inopibus, & miseris subuenimus, idcirco opus

misericiordiæ



miseri cordiæ præstamus, quòd confidimus illo modo summum bonum nostrum nos adepturos ipsum Deum, in quo, non in alio fini aliquo nobis proposito omneis spes nostras, & omnia desyderia figimus. Quì ergo possunt eadem esse moralia, si neque ex eodem iustitiæ, & bonitatis fonte depromuntur, neque ad eundem finem respiciunt? Sed in illis Iudaicis auaritia quædam semper commixta sit, quæ & in fini ipso spectatur: opes enim & bona terræ præcipue expetit, & in agendo, operandoq; coniungitur, nunquam enim solutam & liberam finit progredi misericordiam. Nobis uero & ex Deo ad operandum, faciendumq; recte profectis, & in Deum semper intuentibus, neque uspiam alibi præmium actionum nostrarum constituentibus, quàm in eodem Deo, uirtus, & iustitia non humano modo, sed diuinitus, neque ex præceptis legis, sed ex Dei exemplo, imitationeq; suscepta est: quod in una à nobis uirtute dictum, de omnibus sit eodem modo dictum. Quo etiam patet nullum perfectum consiliu dari in lege, quod datur in fide. Ad terram enim tendentibus, & in terra, spe, atque amore constitutis, reputantibusq; ex bonis, & fructibus terræ subsidium sibi ad uiuendum, & lætitiã, atque expletionem animi esse euenturam, nullum insigne consiliu dari potest, quod euadat ad perfectionem. Et si posset, non ille, qui omnia legitima legis implere se dixerat in Euangelio audisset à domino, si uellet perfectus esse, ut abiret, uenderetq; omnia, quæ haberet, & distribueret pauperibus, reuersusq; se sequeretur. Hæc enim perfectio & operis, & consilij in CHRISTO solo, & in Euangelio est: ea re quidem, quòd nullus est credentibus consiliorum, & operum, nisi Deus ipsemet finis propositus: qui uero alios sineis, alia bona, ad quæ spe, & amore tenderent, sibi designauerunt: hi non modo ab imitatione diuinæ iustitiæ longe abfuerunt, sed ne ipsam quidem humanæ iustitiæ ex lege rationem cumulate sunt adepti. Quod ergo dictum est, idq; sapius à Paulo, quòd ex operibus legis non iustificatur omnis caro coram Deo, & libere est, & simpliciter dictum, quoniam uera iustitia ex lege non acquiritur. Nihil enim ad perfectum adduxit lex, ut idem ipse pronuntiat ad Hebræos scribens: Estq; prioris mandati abrogatio facta propter imbecillitatem eius, inquit, & inutilitatem. Sed hæc de lege ueteri, ut in litera descripta est, intelliguntur. Nam si spiritualiter illam accipiamus, idem est legi illi spectatus finis, qui nobis præsens, & cognitus iam est Christus. Accipimus autem hic iustificationem non pro remissione duntaxat peccatorum, quòd nonnulli interpretati sunt, sic enim esset & in lege iustificatio, in qua pro peccato offerentibus & sacrificia illa in expiationem sui facientibus identidem à Deo dimissio peccatorum proponitur. Sed hæc est iustificatio amplior quædam diuinioreq; iustitia, quæ ex similitudine Dei ab eo in nos fidem illi habentes ducta, & deriuata est. Quam Paulus ut assequeretur, illam humanam ex lege iustitiam pro stercore sibi haberi confirmauit. Hæc demonstrata, & cognita in fide Christi iustitia legem ueterem Moysis antiquauit, & sustulit. Aut enim illius omnino ceremonias, tanquam umbras abiecit, aut morum, & religionis præcepta ad subliorem finem erigere est conata. Si tamen antiquare est explere, atque absoluere, quòd rude antea erat, & tantummodo inchoatum. Hæc, inquam, iustitia ea ipsa est quam in Euangelio CHRISTVS turbas, & discipulos docens, exponere erat solitus, cum ita dicebat: Nisi abundauerit uestra iustitia plus quàm illa Scribarum, & Phariseorum, hoc est, plus quàm illorum, qui ex lege, & ex legis operibus iustitiam sunt consecrati, non ingrediemini in regno cælorum. Quam eandem iustitiam ipse describebat, enucleateq; tradebat, in quibus lex deficeret, demonstrans: & quomodo Deum debeamus in ipsius diuina illa iustitia imitari ubique nobis insinuans. Per legem autem quòd cognitio est peccati, ad eum finem dictum est, quoniam lex populo Hebraico lata est, quæ illi esset tanquam adhuc puero & adolescenti pædagogus, illumq; in unius Dei cultu cõtineret, præciperetq; & doceret, quæ essent tantisper & cauenda, & fugienda, quoad tempus & opportunitas sanctioris præcepti adueniret, sicut ad Galatas scribit Paulus: Lex transgressionum causa apposita est, inquit, quoad ueniret semen, quòd fuit promissum. Porrò imbecillitatis est sigillatim monere, & monstrare hoc, & illud deuitandum esse, & in eam quasi uiam nos deducere,



quæ omnibus periculis infesta, & obsessa difficilem ubiq; & anxiam habeat cautio-  
nem. Illa uia est commoda, & longe magis nobis salutaris, quæ altiore quadam semita  
nos sine suspitione, & metu ad optimum finem perducit. Proposita itaq; est in lege  
peccati cognitio, uel ut illud, quoad poterat, uitaretur, ac effugeretur; uel si id minime  
poterat, quemadmodum quidem non potuit, ad remedium præstantius confugere-  
tur, quod est in Euangelio datū nobis, atq; oblatum. **I N T E L L I G O, I V L I V S**  
inquit, & nunc demum mi frater confiteor ignoratum mihi hūc diu in Paulo locum,  
aperiente nobis Deo, patefactum nunc planè, atq; illustratum esse: & reuera ita est,  
ut ex communibus hominum sensibus, atq; ex quotidianis rerum terrenarum consy-  
derationibus nequaquam possit Paulus intelligi. Sed in cœlum ascendendum est, &  
ex diuinis illic uirtutibus, atq; consilijs huius hominis uirtus, mensq; inuestiganda,  
qui nō iustificationem in carnis operibus, neq; iustitiam Dei in humanis uirtutibus,  
sed utraq; in Deo, & ex Deo diuino in illo modo, hoc est eminenter, & supra omnē  
rei creatę captum, in nobis uero per fidem **C H R I S T I** imitanda Dei natura, & bo-  
nitate posuit, quod est maximum ipsum nobis à Deo beneficium. Itaq; lumine hoc se-  
mel ueræ intelligentiæ illato, non solum iste locus, sed tota ferè epistola, quæ ad Gala-  
tas scripta est, mihi uidetur esse declarata. **A T Q U I M I F R A T E R** inquam,  
quod & hic, & ibi confirmat Paulus, iustum ex fide uiuere, etsi de eo nobis antè est  
dictum; tamen dicendum aliquid etiam nunc est, ut imbecillitatem legis melius com-  
prehendamus, & ea quæ passim in Paulo tanquam semina diuinarum uirtutum spar-  
sa sunt, altosq; ac reconditos illius sensus percipere ualeamus. Est igitur uita quædā,  
quæ illam fidei nostræ donatam ab Deo, impressamq; in nobis iustitiam profectò co-  
mitatur, illi ipsi iustitię dignitate par. Sicut enim iustitia illa ex Deo in nobis inest, sic  
& uita. Et quemadmodum iustitiam ille nobis suæ bonitatis, iustitiæq; effigiem, obli-  
demq; erga nos optimæ uoluntatis, sic & uitam præbet, imaginem suæ immortalita-  
tis. Cumq; Dei illa iustitia, qua credentes sibi, fidemq; habētes Deus ipse insignit, ita  
excellat, atq; emineat, ut cum hac legis iustitia comparata humanam istam omnem  
obscurat æquitatem, iniquitatemq; eam quodammodo potius uideri cogat: sic uita  
illa, quæ diuinæ comes est iustitiæ, mortalem uitam hanc morti, quam uitæ ostēdit cō-  
iunctiorem. Etenim profectò bonus, & iustus est Deus, eosq; quos sui dedit esse imi-  
tatores, non solum in uirtute, atq; in iustitia, sed in uitæ quoq; genere uoluit se imita-  
ri, ut immortalitatem Deo similem assequerentur, qui similem Deo essent eius singu-  
lari beneficio iustitiam assecuti. Atque ut ipse semper uno modo beatissimus, sic hi,  
qui se ad eum per Christi fidem adiunxissent, in hac quidem uita beati, in altera uero  
essent seipsis etiam beatiore. Proinde totus iste ordo sic textitur, seriesq; deducitur,  
ut nos quidem fidem erga Deum afferamus, quæ quanquam ipsa diuino munere ali-  
tur, & cōfirmatur in nobis, aliqua tamen est pars in ea nostræ uoluntatis. Deinde ista  
fides Dei omnipotentis iustitiam excitat, per quam ille ut est uere bonus, non igno-  
scit solum ad se accedentibus, & per fidem sese illi dudentibus; sed eos eadē propè ius-  
titia, qua est ipse præditus, & eodem genere bonitatis exornat. Tum autem sic orna-  
ros, & effectos sanctos in gratiam, in amicitiam, in cognationem recipit, adoptatq; in  
filiorum nomen, uitamq; illis beatam, & immortalem tribuit, longe abhorrentem ab  
hac uita, quæ mceroribus, & doloribus, & periculis, quæ deniq; morti, & corruptio-  
ni tota addicta est. Quam quidem fragilem, ac mortalem uitam non iustitiæ illius do-  
num, sed tantum naturæ retinemus, iustisq; ea, atque iniustis promiscue data est. Cu-  
ius etiam auferendæ, aut relinquendæ lex habet potestatem, tribuendæ uero nequa-  
quam. Si quis enim commiserit in legem eo genere peccati, cui pœnam mortem lex  
ipsa sanxerit, is lege interimitur, nec habet potestatem lex pœnam illi remittendi,  
peccatumq; condonandi. Nihil enim præter præscriptum, & constitutum nouare,  
nec quod semel in ea sanctum est, lex commutare litera una potest. Qui uero legem  
ad unguem seruauerit, nilq; in ea offenderit, quamobrem morte esse dignus censea-  
tur, huic non noua aliqua uita donatur, sed quam ipse per sese habet, ei uita illa re-  
linquitur, quæ est naturæ, non iustitiæ uita, ut illud tantum legis sit donare uitam,  
quibus non eripiat. Quod si iustitiam illam, quam intelligimus ex iustificatione, &

quæri



quærimus, sua certa uita consequitur, quæ non naturæ sit, sed eius ipsius iustitiæ propria, nullius autem donandæ uitæ habet lex facultatem. Igitur ne eam quidem iustitiæ donare lex potest, per quam uita acquiratur præstantior. Quo perspicuum fit non esse ex lege, neque ex operibus legis iustificationem. Atque ego hoc non planius exprimere possum, quam ipsemet Paulus, ad Galatas sic inquit; Si data esset lex, quæ posset uiuificare, uere ex lege esset iustitia; sed conclusit scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide **I E S U** Christi daretur credentibus. Quibus ex uerbis patet, quoniam uitam dare lex nobis suo, & proprio munere non potest, ne eam quidē posse ab ea dari iustitiæ, quam necessariō uita illa cōsequitur. **P R O R S U S** tibi assentior, **I V L I V S** inquit, & quoniam de quo antea sæpe dubitaueram, nunc soluto, & pacato sum animo, satis in memetipso concipiens, neminem posse ex lege, neque ex operibus legis iustificari, quando altior quædam iustitia, quàm ista humana ad iustificandum quæritur; quæ uni fidei donatur ab summo Deo, ut is, qui ei credit in similitudinem, ac imitationem diuinæ iustitiæ deducatur; quoniam, ut dico, inquit, hæc iam mihi percepta est iustificatio, locusq; difficilis, & arduus in Paulo explanatus, peto nunc à te, ut de ipsa fide, quid ea sit, & unde tantum honoris, & gratiæ apud Deum obtineat, uelis mihi explicare. Tametsi enim magnam partem per me ipse, quid illa sit, quantumq; ualeat, intelligere mihi uideor; tamen non ita mihi ipse satisfacio, ut spero abs te iri satisfactum. **R E C T E H O C**, inquam, mi frater exquiris, & ab hoc aditu, ac tanquam uestibulo nostræ disputationis, si dux, & monstrator nobis affuerit Deus, ad illa secreta, occultaq; ueniamus, in quibus positum est summum & maximum fidei **C H R I S T I** mysterium. Quare eiusdem Dei spiritum, opemq; implorantes ab ipsa ordiamur uerbi uis. Est enim multiplex in communibus hominum sermonibus, & in ipso quoque Paulo uerbi huius significatio. Interdum enim fides est in dictis ueritas, & in factis integritas, cum sicte nihil, nec simulate agitur, aut dicitur, ex quo usus Latini sermonis ita loqui consueuit, cum quid sine dolo & fallacia factum sit, bona fide id fuisse actum. Itemq; bona existimatio eorum qui negotiantur, fides appellatur, cum recte illis res pecuniaria committi existimatur, qua fide & forensia commercia, & omnis mercatura potissimum continetur. Quod etiam latius patet in omni opinatione integritatis, & iustitiæ, cum eum, qui muneri alicui, imperio uel præpositus sit, fidem suam præstaturum esse confidimus, ut cunctis affectis iniuria, & ad fidem illius confugientibus, paratum uideatur esse in illius prudentia, æquitateq; præsidium. In scriptura uero aliquando fides est ipsa conscientia intus dijudicans, quid uerum sit, & quid falsum, in his quæ aguntur, & quid simulatum, ac fucatum, quid syncerum, & simplex. Quo sensu Paulus: Quicquid ex fide non est, peccatum est, inquit, ex fide idem, quod ex ueritate, & synceritate conscientiæ intelligens. Nonnunquam etiam fides constantia est in præstando, quod quis promiserit, ut paulo supra Paulus: Nunquid horum infidelitas fidem Dei abrogabit? hoc est, si hi non steterunt in his, quæ Deo promiserant, num item non stabit promissis suis Deus? Sed ut hæc, & cætera fidei significata omittamus, quæ ad nos minus pertinent, ueniamus ad id, quod nostrum est, ut fidem intelligamus esse credulitatem, non eam, qua faciles sumus ad credendum, sed eam, qua credimus, qua in sententia, & facere fidem, & habere, & in ea fide esse uulgo homines loquuntur, quod est in omnibus credere, & uel persuadere alijs, uel persuasum ipsum esse. Sed nos, qui scripturarum more loquimur, fidem **C H R I S T I** cum pronuntiamus, in uno hoc fidei uerbo totum id intelligimus, quod est credere Deo, & **C H R I S T O**, illiq; confidere. Non enim fides nostra simplex est credulitas, quanquam sedes, & fundamentum fidei credere est. Sed fides in Deum plena, atque integra est, ita credere, ut confidamus, hoc est, ut non minus spei insit in ea, quàm credulitatis. Etenim ea credimus, quorum magna pars ad nos ipsos pertineat, & semper confidere, credere etiam est. Credere uero ipsum non continuo confidere; ut cum credimus Deum esse, rectum id quidem est, & necessarium, & fidei debitum, Sed tamen hoc ueteres etiam Græci, gentesq; ferè omnes crediderunt, nec uim propterea tamen fidei tenuere.

Vbi



Vbi ergo iam incipit apparere fides? cum id, quod sequitur, etiam credimus Deum fieri remuneratorem omnibus quaerentibus se. Hac nimirum ab Deo remuneratio cum est à nobis credita, quoniam quidem pertinet ad nos, facit, ut confidere incipiamus Deo, & cum credulitate ipsa spem iunctam habeamus, si eum quaesierimus, atque cum amore, ac desiderio ad eum fuerimus conuersi, fore nos illius bonorum, benignitatisque participes. Quod confidere utique est, & non solum Deo, sed etiam in Deum credere. Ac ut maiore cum autoritate de fide ipsa loquamur, definitionem Apostoli in medium adducamus. Qui sic ad Hebraeos inquit: Fides est susceptio rerum earum, quae sperantur, index earum, quae non cernuntur. **HIC IULIVS.** Fidei, inquit, definitionem ex Paulo afferis; quae quam obscura semper habita fuerit, conflictatio omnium ferè interpretum demonstrat. Sed tu mi frater uerbum illud Graecum hypostasis, quod caeteri transtulerunt substantiam, cur susceptionem conuerteris, aut dire ex te aueo. Certe enim uerbi huius ipsius cognitio, cum rite percepta fuerit, quasi lumen quoddam extiterit ad huiusce loci obscuritates, & tenebras illuminandas. **SUSCEPTIONEM** uoco, inquam, uim, & sententiam Graeci uerbi secutus, quo *ὑποστάσις* non solum subsistere, hoc est manere, atque haerere in seipso, quo sensu tres in diuinitate *ὑποστάσεις* esse dicimus, quas nos transtulimus personas: sed sustinere etiam quoddam est, & submittere, ac supponere se, siue negotium aliquod, munus ue recipias, quod pro te subire, aut pro altero paratus sis, siue cuiquam spei, aut opinioni, aut sententiae temetipsum subijcias. Atque hoc uerbum alijs quoque locis Apostolus, ut ad eosdem Hebraeos: Cohortamini uos ipsos per singulos dies, quous adusque uocatur hodie, nequis uestrum obdurescat ex deceptione peccati: Participes enim facti sumus **CHRISTI**, si quidem principium hypostaseos usque ad finem firmum retinuerimus, hoc est, si permanebimus in eo, quod à nobis est susceptum, si non exciderimus spe, & fiducia erga Deum. Et ad Corinthios: Misi fratres, inquit, ut ne gloriatio nostra de uobis inanis sit in hac parte, ut quemadmodum dicebam, parati sitis, ne si forte ueniant mecum Macedones, & offendant uos imparatos, rubeamus nos, ne dicamus uos in hypostasi hac gloriationis, quod idem est, ac in eo, quod suscepimus, ut gloriaremur de uobis. Indicat autem haec hypostasis non leuem quandam, neque improuisam, sed meditato consilio susceptam actionem. Ut item ad Corinthios: Quod loquor, non loquor secundum dominum, sed uelut in insipientia in ista hypostasi gloriationis, quoniam multi gloriantur secundum carnem, & ego gloriabor. Vbi ostendit se uolentem, & scientem suscipere hanc prouinciam gloriandi, quae tamen non secundum Deum sit, sed secundum iactantiam, & gloriationem carnis. Verum omissis uocabulis ut ueniamus ad rem, Cum fides definiatur ab Apostolo, susceptio earum rerum, quae sperantur, index earum, quae non cernuntur, sic intelligamus huiusmodi definitionem, ut fides sit, uel sperare ea credendo, quae oculorum uisioni subiecta non sunt, hoc est spiritualia, & aeterna, uel credere sperando: quanquam fidei fundamentum sit credere, tamen spes ipsa continet in se fidem, & absque spe fides inanis tota est. Atque haec est propria fidei **CHRISTI** definitio. Nam & Iudaei cum unum esse Deum crederent, eumque colerent, & uenerarentur, atque illi confidere se dicerent, spemque in eo ponerent bonorum assequendorum: ea tamen ab eo sperabant bona, quae oculis, & sensibus percipiuntur, hoc est terrena, atque humana. Nos uero, qui & Deo credimus, & in Deum per unigenitum filium eius **IESVM** Christum ita confidimus, & permittimus nos Deo, ut nihil ab eo mortale, nihil interituum expetamus, neque digna ista huiusmodi munera tanto autore esse existimemus: Sed ea potius speremus, & expectemus ab illo, quae tribuenti, & donanti consentanea sunt, magnitudine eximia, perpetuitate aeterna. Est igitur uera fides **CHRISTI** & Dei: & Deo, & in Deum credere, quod est illi confidere, ut speres ab eo, quae aeterna bona sunt: ea porro huiusmodi, ut nullis sensibus comprehendantur, sed sint tota in illa fide, & spe, si Deo confidamus, & si eum amauerimus, expectationi nostrae reposita. **AVDIO** mi frater, **IULIVS** inquit, & de uerbo hypostaseos, Christi que fide, quo pacto illud intelligendum, haec accipienda sit, tuam sententiam probo. Sed cur Apostolus de fide **CHRISTI** speciatim loquens,

exempla



exempla fidei constituerit ex illis, qui longe tempus Euangelij antecesserunt, & in Abel, Enoch, Abraam, Iacob, ceterisque patriarchis, fidem hanc, quam diffinebat, fuisse affirmauerit, hoc est, quod cupio mihi abs te explanari. Non enim uidebatur proprie fides in illorum rebus gestis, sed in Apostolorum, & Deo credentium per IESUM Christum diffiniri. QVONIAM inquam IULI & ad Hebraeos Paulus scribens eos in patribus suis uoluit commonefacere, ut plus haberet hortatio sua ponderis, & cum exemplum tum graue sit, si ex antiquitate depromatur, ad uetusta & celebrata maiorum facta eos reuocauit, ueteresque illi tamen, cum ea, quae gererent, in corpore, atque in umbra tanquam figuras, & simulacra praemitterent uenturae post aliquot secula ueritatis, ueritatem ipsam nihilominus iam tum spiritu sancto edocti perceperant, & sic crediderant in futurum CHRISTVM, quomodo nos in eum, quem non uidimus, credidimus. Sed ut redeamus ad superiora: Fides CHRISTI hoc habet peculiare in se, ut ea, quae nec cerni oculis, neque ullo sensu percipi possunt, ab Deo sola, & potissima expectemus, confidamusque illius benignitati, & ueritati nos ipsius diuino munere illa assecuturos. De quibus idem iste Apostolus: Quae oculus non uidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, prompta habet Deus diligentibus eum. Et alio loco: Breuis, leuisque afflictio in nobis, inquit, aeternum pondus gloriae creat, dum non cogitamus ea, quae uidentur, sed quae non uidentur. Nam quae uidentur, ad tempus tantum sunt, quae non uidentur, aeterna. Quod uero ista ipsa sperare, & concupiscere ab Deo solo debeamus, quae aeterna, & inuisibilia sunt, illa ratio docet, quod hoc solum uere est Deo credere, atque confidere. Nam si ita confidamus, ac credamus, ut ista appetamus ab eo nobis dari, quae sunt terrae bona, non unum iam Deum, sed complureis esse Deos suscipiemus: quotquot enim extiterint, ex quibus nobis sit spes potiundi bonorum mortalium & caducorum, illorumque fruendi, tot nobis deos, & dominos profecto constituemus. Nam siue a populo sperandus honos fuerit, aut potestas aliqua, aut emolumentum, populus ipse nobis erit Deus, plusque illius uoluntati, quam Dei operi confidemus: siue eadem postulabuntur a principe, Dei apud nos locum princeps obtinebit. Denique in amore terrenorum bonorum, qui suppeditauerit amoris nostro, cupiditatibusque suffragatus fuerit, is nostram ad se omnem conuertet fiduciam: ex quo Iudaei, qui ad haec terrae bona potissimum aspirabant, ad asciscendos quoque, & colendos falsos deos, faciles saepe numero, & prompti extiterunt. Non enim neque in rebus molestis, ac tristibus, illa bonorum spe ab Deo insensibilem se sustentabant, & saepe oblatis aliunde praemijs, aut uoluptatibus ab Dei ueri nomine deficiebant. Quod cum saepe alias, tum in Iero boam praecipue, & decem tribubus Israel fuit manifestum. Ille enim ut regnum sibi stabiliiret, quod ex dissensione populorum ceperat: illi ut regem haberent fauentem sibi, atque propitium ferere omnes a uero Deo, & cultu Dei, temploque ipsius sancto auersi, ad ementitos deos, & falsa idola transfugerunt. Proinde nos quoque qui fidem CHRISTI profiteremur, cum Deo nos credere, & catholicae ecclesiae enunciamus, sic debemus de nobismetipsis cogitare inanem esse fidem hanc, nisi etiam in Deo speremus, & confidamus, atque ab eo illa expectemus, quae futura sunt immortalia bona. Itaque qui cupiditatibus rerum terrenarum, & carnis uoluptati dediti, & uel ambitione, uel auaritia excacati summum in his bonum, quae sensibus comprehenduntur, & suum omne studium collocant, atque constituunt, hi fidem, quam uoce usurpant, corde nullam retinent, neque Deum sibi, sed mundum dominum constituunt. Ex quo fit, ut in astutia, in malitia, in fraudando, in ulciscendo, in uim afferendo, in omnia miscendo, omnibusque modis attentando magis quam in Deo, & Dei ope fidentes, conentur ad ea peruenire, quae peruersa opinio, corruptaque cupiditas fingit, atque constituit sibi esse bona. Est omnino aditus, & tanquam ianua ad ipsam solidam ac perfectam fidem ista animi credulitas annuentis Deo se, & CHRISTO atque ecclesiae credere. Sed non in eo plena fides, quandoquidem sine firma spe, atque fiducia in summum Deum fides uera non est: spes autem, & fiducia esse non potest, si haec interitura bona potius expectamus, de illis aeternis minus laboramus. Sed tamen qui suum in ista credulitate nomen professus Deo, & in nomine sancto CHRISTI baptizatus est, ad explen-



dos fidei numeros omnes profecto fit paratior, quàm is, qui ne istam quidem fidei  
 C H R I S T I nominationem æquis auribus accipit. Verum in eo tamen est fides, ut  
 credatur, & confidatur, idè certo consilio, & deliberata fiat uoluntate. Fidem enim ha-  
 bere etiam sperare est, & confidere. Qui uero tantummodo uerbo, nulla meditata in  
 corde ratione sese annunt credere, cum in mundo iidem multo maximam spei suæ  
 partem fiduciaèq; ponant, hi non tam fidem ipsam tenere, quàm ad fidem quendam  
 introitum habere sunt existimandi. Quòd si is esset Deus, qui non omnia posset, &  
 ualeret unus, aut si quæ ab eo suis cultoribus proposita sunt, non eadem essent opti-  
 ma, ac præstantissima, profecto & alios deos constituere, eisq; confidere, & alias res  
 appetere hominibus foret licitum. Vt enim diximus, qui quopiam confidit, Deum  
 sibi quodammodo illum facit, in quo suam ponit fiduciam. Sed cum & omnipotens  
 Deus, & nihil illius donis coelestibus sit præstabilius, atq; adeo illa sola sint, quæ no-  
 bis ab Deo ostenduntur, & promittuntur uera bona, ideo nec illis est quicquam à sa-  
 lute uera aberrantius, qui à C H R I S T I fide alieni sunt, neq; his miserius, qui fidem  
 ipsam C H R I S T I ore, uerbisq; professi alias alibi spes, & alios penè deos, quibus  
 potius confidant, sibi proponunt, & erigunt. Quocirca sic concludamus, certam, &  
 ueram fidem esse eam, quæ ea, quæ cernit oculis, manibusq; comprehendit, manifesta,  
 & indubitata mortalis uitæ commoda, abijcit ultro, & segregat ab sese, ut ea, quæ spe-  
 rat, & credit, adipiscatur à summo Deo; quæ quidem etiam fides hominem ex carneo  
 & corporeo spiritualem prorsus reddit, agnoscentem cognationem, quæ sibi cū Deo  
 est, & ad Deum ipsum, tanquam ad suum summum bonum credendo, & confidendo,  
 illumq; imitando prorsus erectum, inq; eo solo eorum bonorum, quæ ab omni sensu  
 remota sunt, eademq; & summa & immortalia existunt, spem, atque expectationem  
 omnem suam assequendorum reponentem, per quam fidem postquã ita credidimus  
 Deo, ut spem omnem nostram, omnemq; fiduciam in illo constitueremus, amoremq;  
 erga illum nostrum his terrenarum rerum studijs atq; amoribus non pateremur de-  
 cerpi, neq; distrahi, illæ in nobis præclaræ, atq; eximie uirtutes gignuntur, quæ diuinã  
 in nobis referunt uirtutum similitudinem. De quibus ad Galatas Paulus: Qui sup-  
 peditat uobis spiritum, & operatur uirtutes in uobis, ex operibus legis, an ex auditu  
 fidei id agit? & re uera, cui ista sordent interitura, & mortalia, solumq; is ad cælum,  
 & ad Deum sperandis illis bonis coelestibus erectus est, quis hūc potest, aut iustum,  
 aut continentem, aut beneficum, & misericordem ex hoc humanarum uirtutum ge-  
 nere æstimare? altius se multo attollit iste in omni genere uirtutis, & proxime ad  
 Deum imitatione accedit, quandoquidem promptior est illi, & paratior benefaciendi  
 facultas, qui ea, quæ communicat cum alijs, & distribuit, parum ad se, aut nihil putat  
 pertinere, solamq; præclaræ actionis uoluptatem cum Deo omnia conferens sibi re-  
 tinet, operæ autem fructum, & pecuniæ in alios dispertit, quàm is, qui eisdem rerum  
 terrenarum affectionibus implicatus, quas à suo proximo incommoditates depellit,  
 in eas ipse ueretur, ne quandoq; possit incidere. Certe enim ille prior ab omni rerum  
 harum affectione remotus genus benefaciendi singulare, & propè diuinum in seipso  
 exprimet; hic posterior, bonus tantum & iustus, inter homines habebitur. Atqui po-  
 steriorem hunc lex, illum superiorem C H R I S T I fides conformat. Est enim fidei  
 C H R I S T I, ut sæpe iam diximus, negligere omnia humana, & mortalia, neq; illa  
 nobis bona existimare, quæ hic tenentur, & possidentur, sed ad ipsa coelestia, & nõ in-  
 teritura aspirare, eorumq; locare, & ponere assequendorum spem totam in Deo, & cõfi-  
 dentiam nostram. Sed quoniam de his, multis sæpe locis ab Apostolo fit mentio, erit  
 nobis item locus de illis aliàs loquedi. Nunc redeamus ad Apostoli uerba, qui tanq;  
 rationem reddiderit, cur ex operibus legis nemo iustificetur, eò quòd per legē cogni-  
 tio peccati, hoc est, quoniam lex nihil seipsa maius demonstrat, neq; altius, sed solã ti-  
 bi notionem peccati insinuat; aliud autem est uitare humanam iniquitatē, & aliud di-  
 uinam adipisci iustitiam, longeq; diuersum, disiunctumq; est nosse peccatū, & ad græ-  
 tiam aspirare, subiungit: Nunc uero seorsum à lege iustitia Dei, manifesta facta est, te-  
 stificata ab lege, & à prophetis. Nunc inquis illa iustitia Dei, quæ sola facit uerè iu-  
 stos, in lucem est edita, atq; apparuit, de qua lex, & prophetæ dederunt testimonium,  
 neq;



neq; id parce, atq; anguste, sed plurimis in scripturæ locis. De qua Esaias in persona domini: Propè est salus mea ut ueniat, & iustitia mea ut reueletur. Ac ut non de humana, neq; de legis iustitia appareat dici, quæ in præcipiendo, aut uetâdo, damnando, absoluendo ue tota ferè consistit, etiam subiicit: Et erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium. Sola enim Dei est iustitia, quæ cum animorû pace, & silentio colitur, tanquam stirpes omnium cupiditatum ipsa ex animis elidens, neq; ullum penitus in mentibus relinquens dissidium, huiusmodi quo pacto hoc appetendû, atq; idem rursus alia ex parte fugiendum sit. Vel cum dicit huius diuinæ iustitiæ effectiones, operaq; demonstrans: Vocauit te in iustitia, & apprehendi manum tuam, & seruaui te, & dedi te in fœdus populi, & in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, & educes res de inclusione uinctos, & de domo carceris sedentes in tenebris. At hoc legis certè iustitia non facit. Hos enim ipsa potius incluserat, & uinxerat. Cui ergo esse potest dubium: talem Dei iustitiam uiuificantem eos, qui in peccatis mortui sunt, & cæcos mente illuminantem, eam esse, quæ non in lege expressa sit, sed quæ cum fide cõserta, atq; cõiuncta cingulum circumdat renibus, sicut scriptum est: Et erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius; & hanc à prophetis, & lege testificatam, tametsi nos pauca è multis testimonia, subiecimus, quæ plurima passim in tota scriptura, & de hac ipsa iustitia, & de uniuersa pariter gētium uocatione scitent, quas huius lex iustitiæ erat excitatura, & ex illis ecclesiam sanctiorem cõstitutura, de qua sic aperte, & perspicue Esaias, ut hæsitati non sit locus: Uniuersi filij tui, inquit, erunt docti à domino, & multiplicabit pacem filiorum tuorum, in iustitia fundaberis. Hæc inquam Dei iustitia seorsum nunc à lege manifesta facta est, cui nihil cum lege rationis est, atq; cõmercij. Alio enim ex genere, & ex alio ordine tota est, diuinarum uirtutum uidelicet in nobis creatrix, nō humanarum, iustitia inquam Dei manifesta facta per fidem I E S V Christi in omnes, & super omnes credentes, hanc inquit, iustitiam Dei fides I E S V Christi in lucem extulit. Antea enim in Deo quidē semper erat, & radios interdum suos, occulto tamen tramite in aliquorum mētes & corda iaciebat, præsertimq; eorum, qui essent ex semine Abraæ. Illud enim genus præcipue electum fuerat à domino, ut quoniam ex eo author, & promulgator maximi mysterij edendus erat, diuino indicatē spiritu prænosceretur ab eisdem, à quibus parturiebatur. Nunc uero I E S V Christo docētē, atq; monstrante Dei illa eminens, præcellensq; iustitia in toto mundo patefacta est meridiano solis lumine multo clarius. Nō solum enim nouere homines, qui I E S V Christo crediderunt, illam in Deo iustitiam cuiusmodi esset, sed eam ipsi in semetipsis sunt experti. Etenim quemadmodū Deus fidem intuens eorû, qui sese ei dederunt, & credendo, fidendoq; permiserunt, nullas ueteres iniurias, nihil pristinæ impietatis, nec iniquitatis illis exprobrauit; sed omnium prætorum scelerum memoria statim obliterata, omnibus eos ultro affecit beneficijs, non ut liberaret tantummodo pœna, & supplicio; sed etiam ut sanctos efficeret, atq; iustos, quo patre Deo digni effecti, cœli hæreditatem iure adire possent: sic nos eadem Dei iustitia, eadem benignitate imbuti, atq; ornati, ipsum illum unde eam haussemus, imitaremur, nihil odio, neq; iræ, nec libidini ulli tribuentes, ab earum rerum cupiditatibus alieni, per quas perturbationes huiuscemodi in animis nostris exoriuntur, ad benefaciendum tantum, & ad benemerendum intenti, quod sola fide in Deum nobis aduenire potest. Eadem enim fides per I E S V M Christum tradita nobis, & insinuata, & iustitiam talē in Deo ut cognosceremus, effecit, & ut in nobis siqualem ab eodem Deo in sitam & datam acquireremus elargita est, quæ credentibus data est, hoc est huius ipsius fidei, & credulitatis nomine non tanquam legem habentibus, nec rursus tanquam probitate, & innocentia præditis, quippe cum nec gentes legem cognoscerent, & omnes omnino homines peccatis essent oppressi; sed data est gloria, & gratia, & beneficentiæ summi Dei. Nam si Hebræis tantum data fuisset, ubi Dei æquitas pari studio affecti ad omnes conseruandos, quos pariter creasset: Si tantum probis, & innocentibus, ubi Dei gloria: aut quis eius benignitati, & uoluntariæ liberalitati fuisset locus: Data est ergo ea, & donata credentibus, qui suum nullum meritum afferunt, non enim credere, mereri est, & ijdem maxime ornant, atq; magni



gnificant gloriam omnipotentis Dei. Proinde in hac cōmunionē indignitatis, & peccati, quā cuncti comprehensi erant, nulla erat prorsus distinctio, quamobrem huic potius, quā illi tribuenda esset, sed omnes pariter egebant gloria Dei, ut iustificarentur gratis eius gratia. Opus erat, inquit, ut suam gloriam ostenderet Deus, quatenus gratis, & sua innata benignitate, non ipsorum ullo merito eos iustificaret. Hæc enim est uera uirtutis, & bonitatis, & diuinæ iustitiæ gloria, facere omnia gratis, & propter se, neque expectare, quoad quis mereatur, sed ultro suam gratiam, & benignitatem credentibus offerre, at quo interprete, quo instrumento hoc fecit Deus? per redemptionem, inquit, quæ in CHRISTO Iesu, quem proposuit Deus placamentum per fidem, in ipsius sanguine. **TVM IULIVS:** Adhuc mi frater, inquit, quæ abs te dicta sunt de iustificatione nostra, de fide in Deum, & de ipsa Dei iustitia ita mihi inhæserunt, ut nihil habeam certius, neque firmitus, quā ita habere se rem, neque id credulitate tantum simplici, sed clara & ualida ratione adductus. Nihil enim est melius, quod attribuamus Deo, quā eum talem esse, qualem hæc ipsa iustitia demonstrat. Quod si in Deo omne inest, quodcunque est optimum, & hoc, quod optimum est, inesse in eo necesse sanè est. Neque intueor tamen, omnibus meæ mentis uiribus, & omni intentione animi circumcirca aspiciens, quid illustrius offerat, & quid magis persuadeat intelligentiæ nostræ illa tantopere laudata apud homines philosophia, cum argumentis & rationibus quid concludit, atque firmat, quā hæc pura, & simplex uirtutem, & iustitiam & beneficentiam summi Dei summam narrans oratio. Itaque ea non me docuit solum, sed etiam uehementer accendit, ut hæc mundi bona quotidie magis, magisque despiciens in illis tantum bonis, quæ cœlestia, & æterna sunt, à Deo expetendis studium omne meum, & omnem curam reponam. Vi deo enim non secus ac si oculis idem cernerem, neque falli nos spe nostra, si uerè confidamus Deo, neque ipsum Deum à natura, à iustitia, à bonitate sua posse deficere. Vnus adhuc restat scrupulus, is iste ipse, in quo Paulus nunc uersatur, nec mihi ille quidē, sed his, qui fidei CHRISTI libenter saepe obrectant, qui cum reliqua fortè omnia concesserint, fidemque in Deum causam omnium uirtutum in nobis assensu fuerint, nec sine ea ad gratiam posse ueniri annuerint, illud tamen dicant, quod quotidie dicunt, nihil opus fuisse CHRISTO, nec CHRISTI morte, sed potuisse mundum inspirante Deo, nihilominus in hunc sensum & fidei mysterium sine CHRISTO peruenire, quasi hoc in nobis reprehendant, quod in istud fidei negotium, CHRISTVM ita admisceamus, ut abs Deo de salute & de Dei gratia penitus diffidamus. Nam quod Dei filium facimus, quod æqualem Deo, quod uirtutem Dei omnem in seipso deferentem, alia fortasse disputatio sit, neque propria huius loci. Quod uero sine eo erga Deum fides non sit, & quod hac una omnino ianua ad uitam sit introitus, curem admodū mi frater à te aliquid proferri in mediū, quod possemus horum talium molestissimis percōtationibus respondendo opponere. **DINVM** est hoc consiliū, quod quæris mi frater diuina cōsideratio, quam nos homunculi non tam indagare rationibus, & scrutari, quæ uenerari, suspicereque debeamus. Est enim hoc fidei præcipuum & propriū, non inuestigare curiose, quod suscipias, sed id simpliciter, & synecere credere. Verū tamen quoniam quod cū pietate agitur, nunquam ingratum id Deo, neque infensum esse solet, afferemus aliqua non tam expressa in scripturis sanctis, quā adumbrate posita, per quæ hæc possit quæstio dissolui, Deū antè deprecantes, ut sensum nobis rectū ita tribuat, inducatque in omnem nos de filio suo ueritatē, si eum nos uerentes, & honorē ei toto animo deferentes ipsius benignitatis, & sapientiæ gloriā cupimus magnificari. **FACIET** mi frater, inquit, nam & ipse dixit: Quæcūque poposceritis patrem in nomine meo, dabit uobis. **HAC** fide in Deum freti inquam, asseremus primū illud, quod indubitātū, certumque retinemus sola fide erga Deum per **IESVM** Christum posse nos saluos fieri, neque aliud nomen esse sub cœlo, ut Lucas, inquit, in quo salus mundo sit proposita. Quorum etiam utrunque cognoscere uita est æterna, & eum, scilicet, qui misit, Deum patrem, & eum qui missus est, **IESVM** Christum filium Dei. **ASSEVEREMVS**, inquit, neque de huius fidei constantia ulla omnino unquam uis nos, ullius sententiā deducat. **ATQVI** inquam, huiusce  
per sua



perfrationis nostræ & fidei argumentum primum illud, & quasi fundamētum totius  
 assensionis habemus, quod euentus rerum ita habere se rem comprobauit. Hoc enim  
 & miracula **C H R I S T I**, quæ ab eo patrata sunt plurima, & maxima indicarunt, &  
 mors ab eodem non suscepta solum, sed præuisa etiam, & sapius prænuntiata, &  
 posteaquam obiisset tertio die à mortuis eiusdem consurrectio, ac sui uiuentis disci-  
 pulis ostensio: deinde palam in cœlum tot conspecta oculis fidelium ascensio: post spi-  
 ritus sancti è cœlo discipulis missa, & dispersita in specie linguarum, & ignis donatio.  
 Virtutes quoque maximæ illis ex eodem spiritu immissæ & inditæ sanandi ægrotos,  
 liberandi à malis dæmonibus obsessos, mancos, & debiles integrandi, integros inter-  
 dum in debilitatem iniiciendi, consistendi sine timore, & perturbatione ulla aduersus  
 magistratus & potentes, ac feroces sæpe minas superborum hominū ac tyrannorum,  
 in mortem sicubi opus esset, & ueritatis defensio postularet, alacri animo eundi: atque  
 hæc omnia tot, atque tanta ut apte, & facili, & admirabiliter agerent, non solū uis quæ-  
 dam inaudita cœlestis uirtutis ac sapientiæ, sed etiam omnium linguarum usus & co-  
 gnitiones illis repente è cœlo data. Quarum quidem uirtutū, & eius, qui in Aposto-  
 lis operabatur, spiritus sancti tanta uis extitit, ut mundus, qui auaritiæ totus, & ambi-  
 tioni, superbix quoque, & omnibus turpibus illecebris deditus erat, quicquid ea sola bona  
 intelligebat, quæ ad corpus, & ad corporeas commoditates, aut quæ ad gloriam, &  
 laudem inter homines pertinerent, nullam autem animorum immortalitatem, nullum  
 Dei regnum, nullam alteram uitam, & eam quidem multo potiore cogitabat, stupe-  
 factus horum hominum, si illos ex mundo spectes, ignobilissimorum, & despectissi-  
 morum, si ex Deo, altissimorum, & maximorum, uita, oratione, miraculis, atque ea im-  
 primis constantia, qua cruciatus corporum pro **C H R I S T O**, & mortē fortiter susti-  
 nebant, conuersus repente ad Deum uerum priora uitæ instituta relinqueret, & sese  
**I E S U** Christo fidelem, subiectumque traderet. Num paruum hoc tibi aut obscurum  
 ueritatis fidei nostræ argumentū uideatur esse? **M I N I M E**, inquit, ille, sed & illustre,  
 & magnū, nequaquam enim sine Deo, nec sine diuino numine nouæ fidei mysterium  
 inexpectatum præsertim, & insolens, hominumque quotidianis & communibus studiis  
 repugnans, atque contrarium tot sanctissimorum uita & uirtutibus, tot miraculis,  
 tantarum nationum concursu & conuersione ad puriorem uitam potuit frequentari.  
**Q U I D** **I L L A** inquam, quæ in susceptione fidei, & in Euangelio nobis præcipiuntur,  
 tur, eiuscemodī ne sunt, ut aut plausibilia sint hominibus, aut cum aliarum legum  
 præceptis, atque institutis uideantur cōparanda. Cuiusmodi sunt, quod humanæ leges  
 his, quibus sunt latae, nō stabilitatem solum & otium, & ordinem uitæ in communi-  
 ne iuris, ac libertatis, sed etiam opes, imperium, potentiamque inter finitimos conantur  
 acquirere. Nos **C H R I S T I** præceptis uitæque eruditi humilitatem animi pro magni-  
 tudine, simplicitatē pro sapientia, credulitatem pro cautione, patientiam pro ulciscen-  
 tia, ignobilitatem pro gloria, pro diuitiis paupertatem, pro potentia imbecillitatem,  
 pro delitijs asperitatem uitæ eligimus, atque in his spem maximi boni consequendi  
 ponimus, quæ cæteris primo ipso aspectu molesta, difficilia, summa mala, iudicantur.  
 Hæc ne tanta commutatio opinionum, atque rerum, tamque contrarius & discrepans  
 ab perpetuo hominum usu, & uoluntatibus animorum sensus aut ueritatem in se me-  
 lioris uitæ retinere, aut sine Deo adipisci tantum autoritatis potuit? **N E H O C**  
 quidem fieri ullo potuit modo, inquit, cum tamen nobis iam expertis, & ab **I E S U**  
 Christo edoctis, quantum cœlum à terra distat, tantum hæc uita, quæ oculis carneis  
 despicabilis, & sordida, plenaque miseriæ, & stultitiæ uidetur esse, illis mentis, & spiri-  
 tus integrioribus oculis cœlestis lætitiæ & uerissimarum iucunditatum plenam sese  
 ostendat. **N E M P E** quia à mundo penitus auulsa est, & in Deo tota defixa, eumque  
 suum possidet bonum, quod summum est in omni natura bonum. **H A C** ratione ipsa  
 inquit, **H I C** inquam **I V L I** necesse est hoc ut consideretur, quale sit, quo quid  
 mundi dicitur esse, aut Dei. Sic enim pronunciamus, atque sentimus quasi alterutrius  
 tantum nos esse necesse sit, utriusque uero esse nequaquam sit licitū. **E X P E C T O**,  
 inquit, quid dicas. **H O C** inquam, quod uidetur repugnare inter se, & contrariū esse  
 Deo seruire, & mundo, sicut ipse, dixit, Non potestis Deo seruire, & Mammonæ. Id



porro uerbum Syrorum lingua diuitias significat, quarum quidem nomine omnis cura rerum terrenarum, omnis procuratio corporum comprehenditur. Sed Deus, & mundus domini nostri sunt, non ambo simul, id enim fieri nequit, sed alteruter eorum, prout utriusque magis uoluerimus dedere, illumque, quem elegerimus, dominum & Deum nobis uoluerimus constituere. Vtri enim haeremus potius, & in utro magis desideria nostra collocauerimus, is a nobis potior, & praesentior habebitur Deus: qui si mundum praepotauerimus dominum, carnales homines reddemur: si Deum, spirituales. Verum, ut opinor, distinguendum perspicue est inter spiritualem hominem, & inter carnalem, ut quod ad mysterium CHRISTI pertinet, fidei nostrae rationem melius post exponamus. Porro fiet hoc percomode, si operationes carnis, & operationes spiritus ex eiusdem huius Apostoli uerbis in medium proferemus, qui sic ad Galatas inquit, scribens: Manifesta sunt opera carnis, quae sunt haec, Adulteriũ, scortatio, impuritas, petulantia, falsus deorum cultus, ueneficiũ, inimicitia, iurgium, obrectatio, iracundia, rixa, seditiones, factiones, maleuolentia, caedes, ebrietates, comestationes, & similia his, quae uobis praedico, quemadmodum praedixi, quod qui talia agunt, regni Dei non erunt haeredes: Manifesta sunt opera carnis, inquit, quonia carnalia, & corpora sensus feriunt, & a carnalibus oculis conspiciuntur: quae quidem carnis opera, alia finis nobis sunt, & id, ad quod tendimus, extremum: alia sunt in his, quae spectant, & pertinent ad finem. Finis corpus est, & corporis comoda, quae in Graeco epigrammate satis expressa sunt, quo dicitur optimũ esse beneualere, honorari pulcherrimum, suauissimum eo frui quo quis maxime cupit. Ita ualitudo, suauitas, dignitas carnalium hominum summa, & maxima bona sunt, & ille ex Euangelio hoc idẽ indicat, qui plenis domi horreis, ac cellis omnibus, dicit animae suae. Anima habes bona multa reposita in plures annos, requiesce iam, comede, bibe, gaude. Haec enim bona si cum pace, & sine dimicatione quaerentur, aut iam quaesita, & parta possiderentur, nimirum in his humanorum in corpore uotorum summa consisteret. Quoniam autem affectata, anhelata, auide undique quaesita sunt, neque omnibus pariter queunt communia esse, iccirco in his oppugnandis, insidiandis, contra petedis seditiones, & rixas excitari necesse est, & reliqua mala facinora omnia suscipi, quae non sponte sua, sed horum obtinendorum bonorum gratia perpetrantur. Ista igitur carnis opera, & qui hisce dediti operibus sunt, carnales homines habentur, qui omnes curas suas, & studia omnia ad carnem, corpusque referunt, nihil cogitationibus rerum a sensu remotarum, nihil futurarum post hanc uitam expectationi, nihil Dei prouidentiae, nihil immortalitati, nihil denique fidei erga Deum tribuentes: sed illud tantum solidum & uerum tenere se arbitantes, quod manibus comprehensum sit: Atque hi tales ipsi cum sint, non modo regnum Dei, legemque recte, & ordine uiuendi nullam, sed ne ius quidem uitae perpetuum, & firmum possunt recipere. Moritur enim caro, & carnalem secum hominem in eandem mortem rapit, ipsaque dei legibus nequaquam subiecta est, iccircoque omnis eius sapientia, apud Deum stultitia est, quoque abscedit a Deo longius, quod hi faciunt, qui diuitijs, & potestatibus inhiandis quotidie magis in mundum se inuoluunt: hoc fit terrena ista tractado, appetendoque dementior. Atque hic homo carnalis a Ioanne euangelista notatus, qui non ex Deo, sed ex sanguinibus, & ex uoluntate carnis, ac uiri natus est, a quo se cupiebat Dauid liberari, cum instaret apud Deum, Libera me de sanguinibus Deus, deus salutis meae, inquit, Hic est, quem Adam nobis primus pater progenuit postquam peccatum fecerat, & Dei dicto non fuerat audiens, cum carnem nihil etiam tum admodum appetentem, neque arrogantem sibi, sed rationi prorsus, atque menti subiectam & deditam insperata illa uictoria, quam nec ipsa quidem ualde concupierat, ad superbiam excitauit, in eamque extulit insolentiam, & temeritatem, ut maius illa deinde ius suum in homine, quam rationis semper pugnauerit esse. Quod carnis regnum mors iure est consecuta, quandoquidem caro cum operibus suis uitae perpetuitatem non recipit, idque ab origine primi parentis peccatum unum cum morte in nos quoque, qui sumus progenies ipsius, & in uniuersam posteritatem propagatum est. Huic autem carnali e contrario spiritualis ille homo opponitur, qui fructus eos appetit, & ea sibi prima proponit, quae sunt propria spiritus, Porro autem illa sunt, Charitas, gaudium



dium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia. Quorum quidem omnium si ex origine, atque ex auctore illa spectentur, Deus caput est. Haerunt enim ab eo ista omnia, & referuntur rursus ad eum. Si uero ex nostra parte, illa propter fidem nobis insinuatur, simulac primum enim confidere incipimus Deo, & praemia ab eo illa expectare uelle, quae sunt ab humanis sensibus abscondita, statim dimissa carne ad spiritum nos reuocamus, repudiatisque mundanis, & terrenis bonis causas omnes una excindimus sollicitudinum, & cupiditatum, animoque intestinis morbis, ac perturbationibus liberato pacati, atque modesti, omnibus benigne facientes, nunquam obrectantes cuiquam, neque ad corpus uelut ad finem aliquid referentes, sed omnia in Deo nostra reponentes, agimus beatam etiam in hoc seculo uitam, plenam laetitiae, & uerissimae iucunditatis, cui nimirum uitae neque lex scripta, neque mors dominatur. Immortalis enim spiritus est, & eius opera aeterna. Atque hi sunt, qui per fidem nascuntur ex Deo, & filij Dei fiunt. Primum quia illi similes in omni illa diuina uirtute, atque iustitia contendunt fieri, tanquam filij parenti: deinde quoniam abdicato patre mundo, & pristino repudiato terreni generis nomine in aliud nomen, & familiam aliam transeunt, uelut in coeleste genus adoptati, unamque illam, & sola expectant haereditatem, quam de coelestibus bonis illis largiatur Deus. **AUDIO**, inquit, **VLIVS**, & hanc admirabilem fidei potentiam etiam atque etiam magis nosco, cuius certe & auctor, & doctor fuit **CHRISTVS**, de quo si aliud argumentum nullum habeamus fuisse illum filium Dei, eundemque humani generis redemptorem, haec una quidem ratio, mea iam sententia satis sit, quod gustum, & fructum diuinae huius sapientiae attulit ipse in mundum, caecisque hominum mentibus lumen praetulit, quod nulla nostra lucubratio, nulla ingenij uis, nullum unquam studium potuisset inuestigare, idque nisi ipse e sinu & gremio patris profectus ab eodem patre Deo ad nos detulisset, iaceremus adhuc omnes sine mente, & errarem sine duce, & nullo bono consilio actiones nostras, uitamque dirigeremus. Quamobrem perge tu quidem, ut coepisti. Etsi enim satis edoctus sum, nam persuasus semper antea fui, tamen audire etiam nunc expeto, quae diciturus es. **ATQVI** mi frater ne alterum quidem illud argumentum silentio praetereundum est, quod Paulus ad Ephesios scribens inquit aut magis, quam explicat, quae ait: In quo habemus (**CHRISTO** uidelicet) redemptionem, per sanguinem ipsius, dimissionem peccatorum secundum diuitias gratiae ipsius Dei, per quam exuberans fuit in nos in omni sapientia, & prudentia notificando nobis mysterium uoluntatis suae ex beneplacito suo, quo proposuerat in seipso, dispensata plenitudine temporum sub unum caput redigere omnia, in **CHRISTO** quaecumque in coelo, & quaecumque in terra. In seipso, id est, per **CHRISTVM** constituit Deus reuocare omnes ad cultum, & ad honorem sui, ut ipse esset omnium Deus, qui idem fuisset & creator, ut ne tam diuturno errore laberentur homines ponentes in mundo, & in mundanis dijs spem, & inani illa fiducia ad interitum deducti. **PRAECLARVM** & hoc argumentum est, inquit, dignaque imprimis Dei bonitate, & sapientia deliberatio, cuius utique deliberationis unicus in omni aeuo transactor & administrator fuit **CHRISTVS**, cuius & actio ista ipsa, & actionis euentus satis plane indicauit, & in tanto Dei consilio intelligendo fuisse in illo diuinam sapientiam, & in exequendo, ac perficiendo diuinam etiam potestatem. Nunquam enim homo duntaxat si extitisset, aut tam alte ille sapere, aut tantum complecti potestate ualisset. At nunc quidem orbis ab eo edoctus uniuersus, quanquam diuisus postea in ritus, atque sectas: unicum tamen omnium dominum, & Deum unum agnoscit, ac ueneratur. Ipsum autem consilium summi Dei, quo per **CHRISTVM** is uoluit cuncta sub se caput reuocare, & redigere, cum uenerabile per sese est. Nihil enim illius maiestate dignius, quam repulsa, atque illusa inanum deorum turba gloriam suam aequae omnibus hominibus, nationibusque patefacere: in quo Iudaei sane quam ridicule stulti sunt, qui tantum coeli, terraeque effectorem peculiarem suum, & proprium uocant Deum, quasi aut caeteri quoque homines non sint, aut si sint homines, non tamen ab eodem Deo facti, aut creati existant, aut si utrumque horum ita esse suscipiatur, pacto tamen aliquo & conuento Iudaeis obstrictus sit Deus, non se alium praeter eos populum in fide, &

beneuo



benevolentia sua recepturum esse. Sed, ut dicebam, cum uenerabile est per se consilium Dei, & hæc illius communis atque æqua erga omnes homines uoluntas, cumque omnibus nobis commodum, & salutare (illo enim cuncti consilio ad perpetuam salutem uocati sumus) tum uero ratio, & uia consilij illius perficiendi non modo inaudita, & noua, sed admirabilis, sed incredibilis, sed nescio unde inuenta, atque in lucem educta extitit. Quid enim tam nouum, tamque præter omnium opinionem accidere unquam potuit, quam ita instrui, atque erudiri homines, qui in mundo uersarentur, & hæc tam uarias, tamque innumerabiles oculis & manibus, omniisque corporis contactu perciperent uoluptates, quosque ad consecandas corporum commoditates uita, ad dominandi cupiditatem natura, ad appetendam laudem animi uis quædam erectior stimulareret, ut hoc ita constituerent, idque certissimum existimarent, si ueram uitam adipisci cuperent, hæc omneis res, quæ de mundo expetantur, diuitias, scilicet, honores, uoluptatesque relinquendas, & pro nihilo esse habendas, ut cum hæc, quæ cernimus, & tangimus dimissemus, tum ea speraremus atque expectaremus, quæ ab oculis, & ab omni sensu prorsus remota essent, præceptumque CHRISTI adimpleremus, sic nos adhortantis, dum ait: Qui uult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Quandoquidem repudiare, & abijcere mundum, unum, atque idem propemodum iudicatur, ac semetipsum exuere, atque abnegare. Atque hoc cum mirabile admodum, & nouum ex parte imperantis, ac præcipientis CHRISTI, tum etiam mirabilius ex eorum factis, qui paruenerunt. Creditum enim est, assensum est, concursum est in hanc rationem uitæ, & sententiam, neque id infrequente populo, sed totis generibus hominum, & nationibus. Quodque tu frater paulo antè dicebas, ratio tota uiuendi in contrarias partes commutata est, ut quæ apud mundum despiciatui ducuntur, ea prima, & præcipua Christiano homini habeantur, quæ autem in mundo plurimi fiunt, postrema. Sed ego nimis longe progredior, tuæque cursum impeditio orationis. Tu uero ad institutum sermonem reuertere, & pertexe reliqua. ADIUVAS me inquam mi frater, non impedis, cum præcurris orationi meæ, uiamque mihi aperis, qua facilius, & planius ad illa diuina mysteria aditū queam, quæ sunt in omnibus humanis considerationibus cæterarum longe altissima, uel potius non humana nobis, sed diuina mente, inspirationeque traduntur, ut ego nunc ex his, quæ à te dicta sunt, sancto inflante spiritu aperiri mihi sentio arcani consilij euidentius rationem, & CHRISTI mysterium totum patefieri. De quo idem Paulus scribens ad Colossenses perobscure mihi loqui uidebatur, quæ sic ait: Pro corpore CHRISTI, quod ecclesia est, cuius ego factus sum minister, secundum dispensationem Dei datam mihi erga uos, ut impleam uerbum Dei, mysterium absconditum à seculis & à generationibus, quod nunc manifestum factum est sanctis eius, quibus uoluit Deus notificare, quæ diuitiæ sint gloriæ huius mysterij in gentibus, qui est CHRISTVS, in uobis spes gloriæ. Hæc, ut dicebam, Pauli uerba mihi admodum abstrusa esse uidebantur, cum hoc mysterium non CHRISTI, aut de CHRISTO, sed ipsummet CHRISTVM esse diceret: nunc intelligo planè mysterium fidei nostræ non tam de CHRISTO esse, quam CHRISTVM ipsum: ipse etenim met mysterium est fidei, & fides illa ipsa, sine qua nemini apud deum gratiæ, neque amicitiae est locus. Quod si quis cum admittat fidem erga Deum, Christum tamen rejiciat, is eam ipsam fidem, quam admittit, spernere eo ipso in quo admittit, & repudiare intelligendus est. ATQVI INQVIT IVLIVS, hoc quidem certe iam abstrusius est, quam ut possit per me statim percipi: Itaque attento sum animo, quorsum tandem euasura sit oratio tua. PERCIPIES IULI, inquam, simul ac paulo amplius progressi fuerimus, & aliquid adiunxerimus ad ea, quæ superiori oratione à nobis tractata sunt, cum noua, & mirabilia fidei Christi præcepta, & opera recensentes maxime mirabamur in tam contrarijs mundo, repugnantibusque sententijs, ut quod paupertatem, quod ignobilitatē, quod iacturam, quod laborem illis comodis anteponeamus, quæ sunt his è regione opposita: locum tamen habuisse, & autoritatem sibi uindicasse hanc tam insuetam, & asperam, maximeque aduersantem communibus hominum sensibus sententiã Christi, Deique uoluntatem, usque eò quidem, ut mundum totum pertraheret ad sese, ipsumque à seipso deficere,



deficere, & in alienam naturam quasi transire cogeret. **DICTA** SVNT illa inquit, & in his mysterij **CHRISTI** maxima uis demonstrata. **SED ENIM IULI** adhuc superest, inquam, maius quiddam, & potentius, quod diuinam illam iustitiam, de qua sapius à nobis iam dictum est, maxime in nobis depingit, atque format, cuius iustitiæ, tantique celestis boni ac muneris fides nostra erga Deum ab ipsomet Deo nobis sola est conciliatrix. **QVID NAM** illud tandem, inquit: **ID IN QVAM**, quod non solum tolerare, ac pati, atque æquo ferre animo iniurias, iniquitates, contumelias, damna, & detrimenta cuiusque modi in animum inducimus, sed quod excelsius multo atque maius, diuinæque illi iustitiæ maxime simile, ac geminum est, etiã inimicis benefacere; bona pro malis reddere: quibus odio sumus, eos ipsi diligere; postremo quas sollicitudines, atque curas rerum humanarum nostra causa non suscipimus, eas pro aliorum salute, solatio, comoditateque suscipere non recusamus, ut hoc ipsum quod sumus, quod uiuimus, quod in natura producti stetimus, nemini omnino fraudi, damno ue sit. Sed quod Dei summi, & præpotentis proprium imprimis est, ad comodum, & utilitatem ualeat uniuersis. **PLANE ISTUD** est, inquit, quo diuinæ iustitiæ, & bonitatis similitudinem imitando maxime assequimur. Sed hæc mi frater nequaquam terrena cogitata sunt, uerum celestia prorsus. Quando enim sponte ab hominis meditatione, atque cura aut animaduersa omnino, aut si quis aliquando in eam cogitationem incidit, non irrisa illico, & repudiata extiterunt: **AT QVI IULI** tum, inquam, celestia existimanda sunt, cum ad cælum, & ad Deum sunt conuersa. Qui si Deus iustificat eos, qui à carne ad spiritum, & à mundo ad eum ipsum per fidem se recipiunt, accipiuntque in gratiam suam, quæ quidem gratia hæere ibi non potest, ubi æstus mundanarum feruent cupiditatum, non ne necesse est ad Deum per fidem illam accedenti, per quam ipse iustificat impios, mundana hæc studia uniuersa reiicere, & in eo uno spem suæ salutis ponere: **P R O R S V S**, inquit, necesse est: sed ita, ut qui opes mundi non possident, hoc ipso gaudeant bono, quod ad sectandam uiam uitæ soluti sunt, & liberi: qui uero possident, ab eis nihilominus amore, animoque diuellantur, & cum Deo conglutinentur. **P R O B E** istuc, inquam, sed & hoc puto te mihi concessurum, non posse ab eodem & mundum diligere, & Deum: nimium enim absunt, nimisque diuersa sunt, & ambo inter se, & quæ ad utrumque ducunt curæ, studia, uoluntates: quod significare solebat doctor, cum diceret neminem duobus dominis seruire posse, quod aut unum dilecturus, alterum despecturus, aut huic adhæsurus, ab illo autem altero discessurus esset: & quod est apertius, qui animam suam diligeret, perditurum eam, & qui in hoc mundo illam odio habuisset, in uita æterna reperiturum eam. **C O N C E D O**, inquit, etenim quid potest contradici? **Q V O Q V I S** igitur, inquam, in hoc mundo tanquam in theatro aliquo, & uelut spectaculi, ac scenæ tragico apparatu hisce popularibus studiis & cupiditatibus se dedens maior honoribus, opibus, diuitiis, superior imperio, potestate, gloriaque existit, quoque illius magis inceptis & conatibus fortuna suffragatur, ut uel inter ciues autoritate antecellat, uel in præliis, & certaminibus uictor, spolia, & trophæa referat in urbem suam, maximisque cum plausu clamoribus, & gratulationibus accipiatur, hunc necesse est amantem, & studiosum rerum talium, si dictis, & confessis consistare uolumus, arctioribus mundo uinculis alligatum, & tanquam clauis affixum, ita implicari his terrenis bonis, & usque eodem hæere in mundi cupiditatibus, ut inter illas alacritates, lætitiâs, ouationes, conuiuia à summo Deo magis magisque auertatur, & terrenis studiis illaqueatus, ac deuinctus, à spe salutis, uerique boni sui magis longe absit. **Q V I D N I** absit, inquit, cum non ab Deo solum, sed à seipso quæque, & à bonitate naturæ sæpe suæ, consilioque recto fortunæ euentus prosperi cogant deficere? Et tamē ista sunt, inquam, quæ ad mundum, & sectatores mundi homines, quorum semper multo maxima extitit multitudo, felicitatis & fortitudinis, & sapientie obtineant appellationem. **S V N T** inquit, sed perturbato iudicio, quando sola animi bona probat Deus. **M E M I N I S T I N**, inquã, eius, quod ait Paulus: Quod stulta, & imbecilla, & quæ pro nihilo in mundo sunt, elegit Deus, ut sapientia, & fortia, & illustra mundi confunderet. Et item eius, quod in Euangelio est, quod altum in hominibus est, id abominationem esse coram Deo: **M E M I N I** inquit, idque mihi uidetur prorsus per fidem **CHRISTI**



fuisse factum. RECORDARE igitur, quod paulo ante posuisti, cum dixisti sic posse quaeri, quid opus fuit CHRISTO, & morte CHRISTI: non ne potuit mundus Deo inspirante per fidem in eum totus iustificari? Nunc enim tibi (saluis tamen semper illis altioribus diuinitatis consilijs) praecise respondeo non potuisse, nisi forte nostri libertatem arbitrij, qua hominis naturam praecipue constare uoluit Deus, idem etiam eam sub uim, & sub necessitate redigere uoluisset. Nam inspiratio illa ex Deo, si ijs, qui inspirabantur, uim allatura erat, eosque in id, quod uoluisset Deus, etiam inuitos, aut inopinantes omnino pertractura, non tam inspiratione, quam imperio, & potestate summi Dei ad iustificandos homines fuit opus. Sin autem suasionem duntaxat agere uoluit Deus, & quos inspirabat, non uim illis afferre, sed tantum hortando, & docendo illos ad sese adducere intendebat, quemadmodum quidem in sanctis illis uiris patriarchis, & prophetis fuit factum, non omneis mouebat illa inspiratio, sed tantum uoluntate, & consilio bono ad accipiendum paratos: qui cum per pauci existerent, quippe qui singuli per interualla inspirabantur, non fuit diuinae bonitatis & beneficentiae largitatem caelestis boni in tam exiguo numero conclusam uelle. Igitur suasionem semel & doctrinam ad omneis homines, tanquam qui liberi, & suae spontis essent, non uim, neque potestate uti uoluit. Suasionem autem, non per insomnias, neque per obscuras prophetarum uoces, quibus erudiri pauci, & ad Deum conuerti poterant: sed illustri, & euidenti, & ea, qua oculi cunctorum, & animi maxime permouerentur, ut & qui tardi ingenio, & qui moribus agrestes, & qui opinione de se inflati essent, & qui mundo, carnique dediti, omnes pariter claritate, magnitudineque exempli admoniti, atque edocti intelligerent, si cum Deo frui immortali uita uellemus, contemnenda nobis esse terrae bona, & appetenda caelestia. Itaque hominem unum elegit, & formauit ipse Deus, qui diuini huius documentum ueritatem totam in semetipso deferret, suoque omnibus exemplo ostenderet, quantum uerae felicitatis, & gloriae sequeretur eam uitam, quae in terris misera, despectaque habeatur, dummodo illa non ingratis, neque contra animi sententiam, sed libenter ex Deo, & propter Deum suscepta esset. TVM IULIVS exclamans, o mi frater, inquit, diuinum profecto hoc consilium, diuina ueritas, quam quidem nisi patefecisset nobis Deus, ratio hominis nulla unquam apprehendisset. At quanto lumine iam effulget bonitas & consilium misericordiae Dei, & erga humanum genus beneuolentia: sed tu perge quaeso, & exple aueritatem meam, qui studio feror incensus, ut ea auribus percipiam, quae tamen propemodum mente iam praecipio. VOLENS inquam, homines Deus ueritatis non ignaros solum, uerum etiam negligentes, conuertere ad amorem, & desiderium sui, atque ut beneficium suum latissime diffunderet, hominem unum elegit: qui tum uerbo, & doctrina, tum ipso opere, & facto manu duceret eos in adeptionem summi boni, ut cum doceret eos spernenda esse terrae bona, ferendas iniquorum iniurias, labores, si res posceret, pro ueritate subeundos, obeundam mortem, princeps ipse iniret eam uiam, quam caeteris monstraret, primus in cruce tolli, primus ludibrio ab hominibus haberi, primus in omni uita, omnibus uitae commodis, iucunditatibusque destitui, non solum aequo, sed etiam lato animo perferret, ac pateretur. Qui item cum praedicaret, & annunciaret, quanta eiusmodi uitam, quam agebat ipse unam, ac docebat, plenam patientiae uidelicet, & laboris, caelestium donorum praemia, quanta felicitatis magnitudo, quae uita, quae gloria sequeretur, non probasset ista hominibus in mundi cura inuolutis, nisi consurgendo ipse a mortuis, & in caelum palam ascendendo impleta in se ostendisset, quae caeteris pollicebatur. Illo etenim imprimis facto, illo exemplo moniti, qui & docentem illum antea audierant, & mox mortuum, suscitatumque uiderant, euntemque in caelum conspicati fuerant, pauloque post sanctum illum de deo spiritum etiam hauserant, conuersi ad considerationem sui, spernere mundum tum maxime, & pro nihilo ea ducere, quae terrenis hominibus prima existimantur, per fidemque in IESUM Christum ad amorem solius Dei totis animis ferri, tendereque coeperunt, cum ita statuerent, atque decernerent, quaecumque IESVS dixisset, atque egisset, ea sola uera, sancta, rataque apud Deum esse, & de eius imprimis consilio atque sententia allata in mundum fuisse, solosque ad Dei gratiam admitti posse eos, qui per fidem in IESU Christo sub potestatem ipsius Dei se sic subiecissent, ut nihil mundo iuris, aut dominatus



natus in seipso esse sinerent; quæ uiuendi ratio & cōditio ipse est Christus mysteriū fidei nostræ. Nec tantum illi hoc ita senserunt, sed dimanante ab eorum cordibus, & linguis unā cum spiritus sancti auxilio illa incensa erga Deum, & proximū charitate totus pene correptus terrarum orbis eodem igne amoris in Deum conflagrauit, si demq; I E S V Christi, atq; adeo Christum ipsum studiose est cōplexus. Nunc uideamus quid iam ista concludunt, ut possimus necessitatē aduentus Christi non cōmodum, iam duntaxat, & utilitatem cognoscere. Nam si fidem habere Deo, & in Deum, illi est credere, planeq; considerare, hoc autem facere nemo satis potest, qui mundo etiā confidat, & mundi præmijs, honoribusq; ducatur, qui per fidem quærit apud Deum iustificari, quò dignus bonis cœlestibus efficiatur, is mundum, & glórias mundi renuntiet, necesse est, quod tamen aut sua, aut parentū uoce profitentur omnes, qui baptisimum accipiunt, dum sese Deo dedunt, & permittunt totos, pompasq; Satanæ repudiare se testantur, & penitus eas ab sese, atq; ab animo suo amouere. Necesse est itaq; mundum relinquere, & mundi res omnes, eū, qui cupiat ad Deum se adiungere, quando præsertim nec iustificari potest coram Deo, hoc est, ueram illam, & integram diuinæ iustitiæ uim nequit obtinere, qui mundo, & mundi bonis cupiditate, atq; amore sit affixus; porro autem hoc fieri non potest, nisi credatur C H R I S T O, & tanti ex illo exempli doctrina accipiatur. Igitur ille, qui sic docuit, & fecit, unus ipse est, per cuius fidem iustificamur apud summum Deum. Atq; hoc est mysterium fidei nostræ, ut spernamus mundum, & in Deo uno spem honorū omnium constituamus, quod mysterium ipse est Christus: qui quatenus homo extitit (ut mittamus nunc redemptionem cōmunis culpæ, reconciliationemq; nostrā cū Deo, quæ per ipsum ipsiusq; obedientiā facta est) quæso, quidnam aliud re uera fuit, quàm cōtemptio mundi, atq; in Deum fiducia? Ille ad hoc factus, & in hunc mundū editus, quæadmodum ipse testificatus est, ut testimoniū daret ueritati, idemq; ipse ueritas. at quæ ueritas? Nempe ista, quòd uerè uiuere est mundum abijcere, & in Deo spem totam ponere; hæc est fides, hoc mysterium, hæc sola hominis apud Deū iustificatio, in hoc salus nostra, in hoc Dei gloria, in hoc nobis cum Deo non solū pax, amorisq; & amicitiae uinculū, sed cognatio etiā, consanguinitasq; consistit, ut habeamus illum in patrem, cuius & mores imitanda eius bonitate iustitiæq; accepimus, & hæreditatem expectamus, quæ non per mortem parentis uentura nobis sit, sed per nostram in terris quidem mortē, in cœlo autem immortalitatem nos cum aeterno patre in perpetuum sit cōiunctura. Fuit igitur, fuit necessarium prorsus uenire Christum, qui non tam doctrinam ex Deo tanti mysterij ad homines deferret, quàm esset ipse illa ipsa doctrina, nec tantum documentum in seipso uitæ ex fide erga Deum, & ex contemptu mundi agendæ, sed exemplū etiā uitæ, gloriæq; illius præberet, quæ huic tali erga Deū fidei esset proposita atq; coniuncta, ut quos res asperæ, & dura illa à mundo disjunctio, humaniq; affectus deterrerent, eos resurrectio à mortuis incitaret, & in cœlum ascensio, & beatæ uitæ, ac immortalis adeptio. Itaq; nasci eum, & mori, & consurgere demum oportuit, ut plenum haberemus & integrum ab Deo omnipotente in filio eius I E S V Christo & suæ uoluntatis ac beneuolentiæ erga nos, & nostræ, si illi obtēperauerimus, beatitudinis documentum. Cui quidem I E S V Christo qui non credunt, hi Deo quemadmodū credent? Non enim Deus familiariter loqui nobiscum putandus est, neq; Græco, Hebraico uel sermone ad nos uti, sed ut is infinitam suam potestatem per motus, & cursus cœlestium orbium, ac luminum nobis explicat, sic admirabilem bonitatem suam, studiumq; nostræ salutis, & immortalitatis procurandæ, hac oratione, quæ est Christus, nobis est effatus, nos per eum scilicet à mundo, ad se uocans, & spem fidemq; nostram ab his terrenis auellere, & in eo ipso constituere nos edocens, ut eius sermo, & uox, & doctrina totus esset ipse Christus: Ita qui Christū à fidei erga Deum mysterio excludunt, neq; hi fidem intelligentia, neque Deum complectuntur. Quod enim isti aliud habebunt indicium, atq; argumentum Dei uoluntatis, & beneuolentiæ aduersus hominū genus? Quod spei & fiduciæ suæ in Deo firmamentū? quo authore, quo doctore nitentur? ut intelligant hanc unā esse uiam, & rationē ad Dei gratiam, & ad ueram uitam perueniendi, si mundi commoda posthabeantur, & in solo Deo summa



honorum constituatur; non ne sit perspicuum, iamque manifestò apparet eos, qui Christo non cōsentiant, terrenos homines esse, mundo, carnique deditos: cum simulac primū à mundo se quis auellat, & abstrahat, statim illi in mente, atque in fide eluceat Christus, non ut doctor solum tanti mysterij, sed ut ipse mysteriū, qui eum ad Deum deducat, & quasi de manu in manum parenti suo tradat ab illo in filium, ab se in fratrem, & coheredem regni cœlestis adoptandum, atque adsciscendū. Quæ igitur absurditas est rationis, atque consilij hanc tam amplam, & tam illustrē Dei præpotentis in Christo Iesu filio suo suasionē ad homines, atque doctrinam, quæadmodum uita hic degenda, & quo itinere in cœlum perueniendum sit, contemnere, ac repudiare: ut occultior alia quædam & penè singularis uia exquiratur: aut quæ mentis cæcitas diurni syderis lumen ad uitæ usus non admittere, peculiare aliud lumen quærere? Significata est per dominum IESVM uia, patefacta, monstrata, quæ recta, & unica est, per quam ad cœlū, & ad Deum ingrediētibus iter sit, nec digito solum indicata, sed ipso præeunte munita, & complanata, hanc tu nō probes: & deuiam esse contendas: quæ sine errore ullo, & nullis anfractibus est, ut calles occultos quosdā & ignota diuerticula quæras, ac perscrutare, per quæ ad Deum, & ad Dei gratiam accedas? Cum ad Deum nisi per tale fidei mysteriū perueniri non possit, quod mysterium est CHRISTVS, tu uero in ipso statim initio ab infidelitate ducas exordium: Et adhuc de CHRISTO perinde ut de homine duntaxat locuti sumus, qui idem & fuit, & semper est Deus, non fons quidē & origo ipse diuinitatis, sed sempiterna manatio ex patre cōtinenter effluens, tanquam lumen à sole, qui est eiusdem cum patre substantiæ, per quem à patre omnia facta sunt, alius quidem ille à patre, sed non alius Deus, quoniam in diuinitate, atque in essentia una est amborum & spiritus sancti cum illis, eademque prorsus naturæ ratio, quæ sit ipsa summa, & absoluta unitas. Sed quoniā de his dabitur aliud dicendi tempus, redeamus ad CHRISTVM, qui nisi Deum sibi perpetuo adiunctum habuisset, & si non extitisset idem ipse & Deus simul, & homo, quæro fuisset ne potis errare illum aliquando, an etiā errasset? Quis enim est homo, tanta firmitate animi, tanto uirtutis robore munitus, tamque sibi admirabiliter, & inuicte constans, qui non aliquo lapsu aliquando, aliquoque deflexu ad carnē, & carnis desyderia protrahatur: quæ nulla unquam animi affectio, nullus cupiditatum motus perturbet? Atque ego de his loquor, qui cum Deo uiuunt, & illius uoluntati, ac gloriæ sunt dediti, quos (nō enim semper in una illa Dei consideratione consistere humanæ cogitationi est datum) simulatque despexerint, suspirare, aut appetere aliquid mortale, ac terrenum necesse est, & ad semetipsos aliquid referre. Quod si CHRISTVS à uitæ suæ primordio usque ad crucis mortem id de se præbuit specimen, ut nusquam inclinasse ad curā, & cogitationē sui, nihil sua causa omnino uoluisset, nullis mundi illecebris exhilaratus fuisse, sed pro salute cæterorum cuncta dixisse, egisse, perpeffus esse intelligatur, quis eum cum talis esset, hominem solum duntaxat, ac non Deum unā & hominem audeat existimare? Missa nunc facio miracula, missas mortuorum suscitationes, etiā quadriduanorum, sudorum, mutorum, cæcorū redintegrationes mitto, qui in pristinum naturæ statum contra omnem naturæ uim, & cōsuetudinem solo uerbo restituti sunt, qualia agere & posse est unius Dei. De illa humana specie in eo loquor, quæ perfectā, & summam ueritatis uim, hominis penitus à mundo, & ab omnibus mundi illecebris, & cōtagionibus soluti, ac liberi profectò ferre nunquam potuisset, nisi eadem cum Deo assidue conflata, copulataque fuisset. Atque hoc argumento usus est ipsemet CHRISTVS, cum studeret mentes Iudæorum elatione animi, maleuolentiæque cæcitas ad intuendum lumen ueritatis conuertere, sic in Ioanne loquens, Qui uerbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet uitam æternam, & in iudicium non ueniet, sed à morte transiit ad uitam. Qui uerbum meum audit, inquit, & credit ei, qui misit me, uerbum ergo illius est, cui per hoc uerbum credendum est, ac non tuum uerbum bone IESV, nisi tute uerbum illius esses, cui ut credamus, nos hortaris, quasi Iudæis hoc insinuans. Nam tum quidem orationem de alijs rebus illis non explicabat IESVS, neque uerba apud eos faciebat, quemadmodum credendum, aut quo pacto agendum erga Deum esset, sed semetipsum credendum, noscendumque proponebat, tanquam



quam ipse esset Deus, & fides, & mysterium; quo uerbo inquit, pater meus, quam uos doctrina, quibus præceptis melius queat instituire, ac docere, quam memetipso, mea oratione, uita, factis: Ego enim euidentis Dei sermo sum, non in somnijs ostentatus, neque ambiguis prophetantium uocibus nunc prolatus, non in lege scripta adumbratus, in qua carnis opera plerumque sunt. Ego autem carnem omnem uobis abijciendam esse ostendo, & ad spiritum solum transeundum, in quo qui cum Deo uiuunt coniuncti, hi in iudicium non adducuntur. non enim legi ulli subiecti sunt, sed ipso facto habent uitam æternam. Ego, inquit, annuncio ueram uitam uobis, ex Deo, ut illi credatis, Deus enim uester est, & mihi item tanquam uerbo Dei credatis. Si enim somnio ut ab Deo misso, si prophetis, si legi creditis, in quibus aut non tota, aut certe non illustris, sed obscura ueritas significata est, mihi quare non creditis, qui sum uniuersa, & perspicua ueritas, qui totum hoc, quod sum, doctrina uobis sum, qui meipsum nudum, atque apertum uobis exhibeo, hominem nihil omnino de mundo haurientem, nihil meum prorsus, nihil proprium uolentem, sed omnia ad Deum patrem cogitantem, & referentem, cui ita credere debetis, ut mihi illius uerbo etiam credatis. Et rursum: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me, si quis uoluerit uoluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam querit, qui autem querit gloriam illius, qui misit eum, hic uerax est. Si nulla, inquit, esse potest doctrina præstantior, quam ista, qua ego hominem totum à mundo ad Deum retraho, & ipso illo authore Deo hoc me agentem, ac docentem uobis indicare confirmo, omnis in me planè est ueritas, & uerbum sum patris, qui non diuellor à patre, neque separor, nec me in memetipso ab illo distinctum constituo, & me uobis finem ultimumque propono. Id enim si ita esset, nec Dei ego amplius uerbum, neque in me ueritas esset, & uobis hæc quæ prædico, talia non prædicarem, meamque potius quærerem, quam alterius gloriam. Sed si quis hæc, quæ demonstro patrem uelle, & petere à uobis, uoluerit experiendo cognoscere, & huius meæ doctrinæ, atque uitæ gustum aliquem percipere, statim unà is intelliget, hanc Dei ueram & doctrinam, & uoluntatem esse, ut nemo ad se quicquam, sed ad ipsum Deum referat omnia, seseque unusquisque à mundo abstrahat, & in Deo totum collocet, quod ego princeps & facio, & facturus sum, qui sum ad eam rem natus, atque factus, ut uobis, & ipsi mundo ab Deo uerbum sim, & sermo, & hortatio. Deo autem à mundo, & à uobis sim uictima, qui iustitiam ad uos, & uitam ex ore Dei affero: uitam, inquam, illam, quæ in Deo est optima, eademque immortalis. Ad patrem autem refero mundi, & carnis mortem, quam in mea carne sum ipse interfector, ut uos in uoluntate uestra eandem perimatis. Animam enim meam deuoui ouibus meis, tantumque abest ut quicquam proprie mihi appetam, ut me totum prorsus mundo donem, atque adeo ei à patre donatus sim, ut uitam pro his sanguinemque effundam, qui ex mundo ad Deum uoluerint se transferre. Hæc IESVS & similia multa in populis illis exponens, spiritalis uitæ ueram beatitudinem, & diuinitatem, naturamque suam docere illos nitentur, qui tamen carnis impliciti illecebris, & mundi curis occupati uim illam spiritus capere non tam nequibant, quam nolebant. Torpebant enim & pigrabantur commouere se, & ex illis terrenis sordibus extollere, atque eijcere, quæ illis consuetudine factæ erant perquam suaues. Repugnabat uerbo Dei hominum illorum ambitio, obsistebat auaritia, aduersabatur uoluptas, & qui est angelus Sathanæ uiolentissimus, liuor & maleuolentia omnem in illis uim recte intelligendi, & iudicandi penitus corrumpebat, cum tamen morte post obita à CHRISTO Iesu, & cruce illo cœlesti sanguine cruentata, impletoque omni nostræ redemptionis mysterio perfracti obices, & repagula Sathanæ deiecta sunt, uicitque Dei sermo, & factus est IESVS mortuus, quam ante mortem fuisset, multo potentior. Qui cum etiam tum uiuens prædicaret, & doceret, Iudæisque se credendum, noscendumque offerret, nunquam eos tamen in eam animi aduersionem potuit inferre, ut attenderent, atque intelligerent, etsi ipse quoque sibi assumere uideretur diuinitatis honorem, nunquam eum tamen suam ullam omnino, sed tantum patris sui gloriam ab illis expectare. Quemadmodum pulcherrimis, & optimis de rebus oratio apte, commodeque



pronunciata non suam ipsius, sed oratoris gloriam in animis eorum, qui audiunt, constituit. Hoc ipse indicat de se in Ioanne, ad Iudæos inquit: Non possum ego facere à me ipso quicquam, sicut audio, iudico, & iudicatio mea iusta est, quoniam non quero uoluntatem meam, sed uoluntatem mittentis me patris. Et rursus alio loco: Ego ex me ipso locutus non sum, sed qui misit me pater, ipse mihi mandauit, quid dicerem, & scio, quod mandatum eius uita æterna est. Istud autem ipsum mandatum paulo supra expositum fuerat, granum frumenti in terra mortuū, multum fructum ferre. Et, qui amet animam suam in hoc mundo, in uitam æternam eam perdere. Et, tollendam crucem, Christumque sequendum, & similia. Porro quoniam sermone alio, aut quo genere orationis commodius, & aptius ad homines loqui, & uoluntatem suam expromere potuit Deus, quam CHRISTO filio suo: qui cunctus fuit concio patris ad sese uocantis homines, & eos sibi in filios adoptare cupientis, cunctus fuit, inquam, non solum quod dixit, & fecit, sed illud ipsum quoque quod Deus, & homo extitit. Quia Deus, uim & maiestatem patris in seipso miraculis indicans, & uoluntatem eius illis miris, & insolitis operibus enuncians. Quia homo, in contraria omnino parte mundo sese, & mundanis omnibus affectibus constituens, ludibriaque & ærumnas, & crucem, & mortem sponte perferens, ut cunctis fieret palam, iam non per ambages obscure dictorum, nec per uisa dormientium, sed per gesta, mores, uitamque IESU Christi eos, qui ad diuinitatis præmium uelint peruenire, à mundi spe, ac fiducia oportere esse remotos. Hoc diuinæ doctrinæ pulcherrimum & maximū documentū, hanc summā ueritatis uim exemplo unius in carne hominis, in potestate Dei mundo toti exhibitam, & demonstratam, Maumethanæ legis sectatores, qui CHRISTVM alioquin miris laudibus extollunt, ut eum quasi intueri, atque agnoscere uelle uideantur, nescio quo pacto mox hallucinati aspernantur, atque illudunt quā dedecorosum putant esse CHRISTO, si is raptus ad mortem, & in crucem actus sit, mundani homines nimirum, nihil nisi terrenum, & carneum meditantibus, ut qui inspicere non potuerint, quæ sit gloria spiritualis uiri, quamque contraria existimationibus humanis. Sed illi quidem ita contagionibus mundi infecti, immeriti penitus sunt, ut uideatur noua lex illis reperta, quæ eos non ab ignorantia tenebris extraheret ad ueritatis lucem excitaret; sed quæ ultro omne in illis lumen, omnem aciem spiritus hebetaret, atque extingueret, penitusque eos in corpore, atque in corporeis cogitationibus infingeret, quæ primum eos ad Iudaicas redigit obseruantias, ut spem non minimam salutis in illis ponant; deinde nullam artium liberalium atque optimarum magnopere illis consecretandam proponit; postremo ea illis præmia actæ uitæ in cælo dat, quæ sunt in hac quoque uita modestis, & probis, & sapientibus hominibus turpia. Sed uides mi frater, dum de iustificatione legis, & fidei loquimur, quam multa simus de CHRISTI fide persecuti, per quā solam iustificari homines apud Deum asserimus. ET ILLE: Hodierno die, mi frater, inquit, omnis mihi ignorantia caligo penitus ex animo discussa est, egoque & diei, & luci restitutus sum. Nunc enim lucent mihi planè in animo fidei nostræ mysteria, quæ antè per obscura esse uidebantur, cum quod credendum erat, facile id quidem, & incunctanter crederem, cretis; hodie uero primum quod noscendum etiam de illis fuit, Dei beneficio, ut æqualium meorum, cum sic obijceretur, cur tanto tempore post CHRISTVS ad seruandum hominum genus uenit? quid ita tantum ante se seculorum passus est sine cognitione ueritatis præterire? ei ego dubitationi nunc facillime respondeam, eos quicumque hanc uitæ sectam omni tempore secuti sunt, ut mundum, & mundi commoda; præ cœlestibus commodis nihil fecerint, summumque in ipso Deo præmium sibi constituerint, per fidem illos CHRISTI cum Deo coniunctos fuisse; hoc enim est ipsum fidei mysterium, qui CHRISTVS est, cuius uis tota in hac inductione animi, sententiaque consistit, uti ab uno Deo præmia in cælo nosstra expectemus, bona autem & blandicias mundi negligamus, & tamen quod ad personam CHRISTI attinet, qui eius tantum hoc mysterium diuino munere habuerunt



buerunt cognitum, illis eadem bonitas Dei authorē, & caput mysterij profectio indi-  
 cante credenda est, ut uel uenturum spiritu antē prospicerent, uel posteaquā uenisset,  
 etiam inauditum intelligerent, si qui extitere uspiam, hodieq; existunt, ad quos hoc  
 nondum sanctissimum **CHRISTI** nomen fama q; peruenerit. **JAM ILLUD**,  
 inquam, Iuli intelligere te quoq; puto, quemadmodum homines, qui prius generati  
 mundo sunt, ex Deo rursus renascantur, & repudiato patre mundo, filij Dei fiant. hoc  
 est illud ipsum mysterium, quod **CHRISTVS** est; qui quā homo extitit, princeps  
 in nomen & genus summi Dei adoptione est uocatus. Quatenus autem fuit, estq; my-  
 sterium, in illo cuncti, & per illud honorem consequimur eundem, ut adoptati à sum-  
 mo Deo, & filij eius effecti, dij ipsi quoq; iure appellemur. Atq; hæc est generatio po-  
 puli Dei, quæ non ex Iudæis, neq; ex semine Abraam carnali illo, & corporeo, sed ex  
 femine fidei, quæ in Abraam patre nostro principio eluxit, & in proprio uerbo Dei,  
 & ipso fidei mysterio, quod fuit **IESVS** Christus, ornandis & frequentandis cœli re-  
 gionibus diuinitus est procreata; de qua, tametsi ipsum **CHRISTI** mysteriū omni-  
 bus antē seculis occultum extitit, ut nemini prophetarum, ac patriarcharum, sed ne  
 angelorum quidem cuiquam consilium Dei de **CHRISTO** perspicue fuerit pate-  
 factum, ipsa tamen nouæ prolis creatio, & sanctioris populi constitutio, ac nouæ ur-  
 bis Hierusalem ædificatio antiquitus ab Deo pluribus est demonstrata. Quid enim  
 est, quod sic loquitur Dauid: Et anima mea illi uiuet, & semen meum seruiet ipsi, an-  
 nunciabitur domino generatio uentura, & annunciant cœli iustitiā eius populo,  
 qui nascetur, quē fecit dominus. Et in Esaiā Deus: Alienigenis, inquit, qui apprehen-  
 dent fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius,  
 quàm filijs, & filiabus, nomen sempiternum dabo illis, quod non peribit. Non ne &  
 populo, quem dominus facturus erat, cum diu quidem antea populus Iudæorū esset  
 factus, & alienigenis, qui fœdus domini apprehensuri erant, hoc est planè nō Iudæis,  
 nomen melius multo ab summo Deo promittebatur spiritualibus filijs uidelicet, q; **CHRISTO**  
 filijs terrenis, atq; carnalibus, quod idem est, atq; Iudæis: Quid de ipso **CHRISTO**  
 Esaias, quàm aperte, quàmq; perspicue, ut uideatur penè id ipsum intueri mysteriū,  
 quod nos occultum fuisse dicimus, cum sic inducit loquentem Deum: Ego suscitau-  
 eum in iustitiā, & omnes uias eius dirigam: ipse ædificabit ciuitatem meam, & capti-  
 uitatem meam dimittet, non precio, nec munere. Et rursus uim innuens futuri myste-  
 rij: Conuertit, inquit, Deus sapientes retrorsum, & scientiam eorum stultam facit, sus-  
 citat uerbū serui sui, & consilium angelorū complet. Vel, cum de nouo populo præ-  
 dicit: Ambulare faciā cæcos per uiam, quam non nouerunt, per semitas, quas non co-  
 gnouerunt, calcare faciā eos, ponam tenebras ante eos in lucem, & praua in rectū.  
 Nam quid obsecro erat ignotius, quid magis deuium ab itinere publico, quàm hæc  
 inire uitæ semitas, quæ nobis à **CHRISTO** Iesu monstratæ sunt: quas nisi princeps  
 ipse præeundo indicasset, & omnibus impedimentis, obicibusq; præseptas progressu  
 ipse suo purgasset, atque aperuisset, nemini eas non modo ingredi, sed ne dispicere  
 quidem fuisset licitū. **ITAE**ST, inquit, sed quæso mi frater, quidnam clarius esse  
 iam potest, aut mysterio fidei, eiusq; effectū, & operatione inter gentes, aut proph-  
 tarū uaticinijs ista ipsa annunciantibus: cum præsertim omnes fere, qui à spiritu san-  
 cto prædocti uenturum seculum cognouerūt, cum denunciarent populo Iſraëlitico,  
 Iudaicoq; excidium, urbi Hierusalem uastitatem, & ruīnam, solitudinem regioni, in-  
 ternicionem propè Hebræorū filijs, filiorumq; parentibus, repente post innumerabi-  
 les illas iacturas, & calamitates, tanquam mutato choro concinant corrigentem, re-  
 stituentemq; omnia, & ad seculum beatius transferentem Deum, ut facile appareat  
 hominibus non tardissimis reiecto carnali populo, aliū à Deo spiritualem populū  
 institui, quo cum fœdus sempiternum futurum Domino sit. **RECTE**, inquam, lo-  
 queris Iuli, sed quando, quoad est nobis à Deo traditū fidei **CHRISTI** mysterium  
 satis aperuimus, cuius cognitio, sicut ipsa re experiere ad intelligenda Pauli sensa,  
 quæ nimis interdum retrusa, absconditaq; uidentur, mirum quantum profutura sit,  
 uideamus nunc, de quo antē fuit dubitatum, quid in se momenti, aut necessitatis ad  
 salutem consequendam baptismus habeat. Sic enim, si memoria tenes, disputabamus,  
 non uideri



non uideri nobis iure derogari circuncisioni ipsi illi uidelicet, quæ in præputio carnis usurpabatur, cum in eo signo, & uelut indicio suæ professionis Iudæi spem ponerent, quando eandem nos uim ad amicitiam cum Deo, & ad salutem acquirendam in baptismo nostro, quod item signum externum est, constituimus, de quo dicendum est, baptismum eum, qui ex aqua, & chrismate sacro fiat, non esse omnino necessarium ad fidei iustitiam, & tamen quodam modo necessariū esse. Nam cum sit baptismus professio eius sectæ, quam sequi uolumus, & earum rerū, quas Deo promittimus, quasi pactio quædam ore enunciata, ac prolata, & coram Ecclesia, coetūq; fidelium testificata, per quam testificationem membrum Ecclesiæ, quæ corpus CHRISTI est, efficiamur, quod omnes in unum corpus, ut ait Paulus, baptizamur, si incidat casus, & tempus eiusmodi, ut recepto, & credito CHRISTI mysterio id ipsum statim facitis, & opere usurpemus, protinusq; mundum re ipsa, per alienam tamen uim dimittamus, ad eum finem utique, ut Deum, & promissiones Dei assequamur, salutē absq; hoc baptismo sine dubio inuenimus, sicut inuenit eam ille Iatro, qui pendēti CHRISTO in cruce, pendens ipse adhæsit. Quid enim erat opus illi, ut pñteretur CHRISTVM sequi uelle, quē reuera sequebatur? & mundum uelle dimittere, quem tum maxime dimittebat? Quo in supplicio crucis, etsi legibus mortem subire, ac ferre in corpore cogebatur, animi tamen liber, ipsum illum animum, quem in potestate habebat, ad præbendum se CHRISTO comitem applicabat, proptereaq; absque aqua in sanguine, & spiritu est baptizatus. Quod item compluribus postea contingere potuit, quemadmodum de Emerentiana uirgine, & Aducto martyre monumentis est proditum, & si qui alij eiusmodi, quos in ipsa agnitione CHRISTI & fidei mysteriū, quod intellexerant, opere statim implentes, atq; ut CHRISTO cōiuncti essent, mundum, atq; uitam prompto animo relinquentes, nullo alio accepto baptismo, præter hunc spiritualem, & intestinum, quo nullus tamen sanctior est, ipsa Dei benignitas in gremio suæ immortalitatis excepit. At qui post agnitionem mysterij, spatium habuerunt & cōmodum sanctissimo hoc baptisimi lauacro se abluendi, & in eo proficendi, quales ipsi erga Deum esse uellent, & quo pacto hæere illi, mundumq; renuntiare præoptarent, si facere id neglexerunt, salutem quoque hī suam, & fidem ipsam eam, quam susceperant, prodidisse sunt existimandi. aut enim, qui sic faciunt, per superbiam, contumaciāq; contemnunt, aut agunt profectō perfidiose, qui cum sese CHRISTO dedere uelle simulauerint, deditiōem ipsam uerbis concipere, & confiteri palam non audeant, neq; Deo se per baptismum, tanquam per sygrapham obligare. Ad hæc accedit, quod si mysterium intellexerunt, dum ipsi mysterij iudicia, testimoniaq; nō usurpant, exemplo cæteris officiant, neque ipsi ad corpus Ecclesiæ, & CHRISTI se adiungunt, quod per hoc sacramentū potissimum in unitate continetur: si non intellexerunt, ne illis quidem signis, & ceremonijs doceri curant, & admoneri, ut per corporeos eiusmodi ritus, ad spiritualem cognitionem perueniant. Quapropter sancte, & uere ab Apostolo est dictum, Corde credi ad iustitiam, ore autem confessionem fieri ad salutem. Quippe cum fides cordis sit, quæ Deo præcipue grata homines sola credentes iustificet apud eundem Deum, oris autem confessio & fidem illam cordis comprobet, & iustitiam conferuet fidei, ex qua est nobis uera ex Deo uita: quæ quidem confessio nisi suscipiatur, quasi pudendum nobis mysterium esse uideatur, quod gloriatione dignissimum est. Itaq; ab eodem Paulo peropportune est adiectum scripturæ testimonium, sic dicentis, Quod omnis, qui credit in illum, non confundetur. De quo & dominus in Euangelio: Qui me negauerit coram hominibus, negabo eū & ego coram Deo, inquit. Atq; eadem ista in lege ueteri, de circuncisione potuissent dici, quam Moyses de populi illius duritate, per uicaciāq; expositulans, Israëlitas, ut eam in corde coram Deo adhiberent, flagitabat. Et Hieremias populum monebat, ut circuncisus esset præputiū cordis coram Deo, quod spiritualis circuncisio illi, quæ in carne erat, circuncisioni & ueritate, & honore apud Deum anteedebat, & tamen illam ipsam carnalem circuncisionē prætermittere non erat fas, nisi q; post inuectum fidei lumen circuncisio per baptismum sublata est. Baptismus autem ut qui ad summum iam, absolutumq; peruenit, factus est sempiternus, iam de operibus



ribus mi frater, quæ aspernantur hæretici, nec ea ullius esse ad salutem momenti di-  
 cunt, quam illi salutem una in fide uolunt esse positam, non ne sublata quæstio omnis  
 est: cum si fidei uirtus, & ipsum mysterium intelligatur, nullis cum operibus malis  
 queat fides cohærere, de illis operibus loquor, quæ ex constituto fiunt, & ab animo  
 prauo, maloq; sunt profecta. Nam quin lapsu, & titubatione aliquando possit fide-  
 lis offendere, nos nihil contra dicimus: habitus, propositum, deliberatio que delin-  
 quendi à uera fide remotissima sunt. Quo enim pacto reliquit mundum, & ad Deum  
 se contulit is, qui nihilo secius mundi uoluptates, & commoda omnia uenatur: &  
 quod cupiditatibus suis queat suppeditare, iræ, auaritiæq;, & ipsi deseruit ambitio-  
 nis: Ac nulla quidem tanta non modo est, sed ne esse quidem potest pestis, imma-  
 nitasq; uitiorum, nullus tantus acerus scelerum, tam profligata, & perdita in omni  
 flagitiorum genere uoluntas, quæ simul ac per fidem CHRISTI adiunxerit se  
 ad Deum, & mundum præ illius amore studioq; repulerit, ipsiq; sese Deo totam tra-  
 diderit, atque permiserit, non statim ea, atque euestigio deletis omnibus maculis  
 illis ulceribusq; peccati, pura mundaq; resplendeat, & nouæ fidei aduentu sanctifi-  
 cata, illam cœlestem induat iustitiam, per quam ad Deum proxime bonitate acce-  
 dat, qua iam hausta uirtute, & tanto illo munere diuinæ liberalitatis accepto, quis  
 non intelligat, nihil iam fore illi in cuncta uita propositum, nisi ut Deum imitando  
 omnia omnibus bona faciat semper, & dicat, ab omni semper iniuria, & ab omni ter-  
 rena, ac sordida abstineat cupiditate, aliorum animo æquo iniurias perferat, nihil  
 omnino extraordinarium appetat, saluos, atque honestos uelit esse omnes, etiam  
 inimicos, cum nemine litii, nec altercationibus contendat: Quod qui mundum ni-  
 hili pendunt, his ista, quæ diximus, non solum facilia factu, uerum etiam suauia, &  
 iucunda sunt, & cum fide erga Deum ita coniuncta, ut diuelli non possint. Tu uer-  
 o qui tantum tribuis fidei, ut nihil operibus bonis habendum honoris in uita, &  
 salute adipiscenda putes, amabo de qua fide istud sentis: Nam cum ista quidem, quæ  
 per IESVM CHRISTVM in unum Deum fides est, non potest oratio tua con-  
 uenire, siquidem illa cordis fides est, neque solum credit Deo, uerum etiam uni illi ipsi  
 confidit, ex quo sequitur omnium humanorum bonorum contemptio. Tu cum te  
 dicis credere, & hoc uno uerbo sic niteris, ut totum in eo, quantumcunq; est, quod  
 pertinet ad salutem, ponendum esse confirmes, confidas autem mundo, cui rei indi-  
 cio est oratio, uita, mores denique reliqui tui, tum tanquam omni munere perfunctus,  
 quod Deo, & fidei in Deum debitum sit, erumpas iam liber in omne genus flagitio-  
 rum: nihilq; turpe ducas, quod libidini tuæ placitum sit: in mundum te totum in-  
 gurgites, & cunctis, qui tibi non assentiuntur, contumelias dicas, fortunas aliorum  
 direptum eas, matrimonijs nefarijs illigere, seruias iracundiæ, uinolentiæ, intempe-  
 rantia, atque ex his lustris egressus sic demum eructes uerbum fidei, ut ex ea pen-  
 dere una salutis spem constituas, nec bonis operibus, & moribus tribuendum esse  
 quicquam apud Deum disputes: Quid tam absurdum esse, aut tam abhorrens à uero  
 potest: Quemadmodum porrò Paulum attendis, cuius te dicitas & nomen sequi,  
 & auctoritatem: Non ne is palam, & diserte ponit homines per fidem CHRISTI  
 iustificari, & ea quidem illos insigniri iustitia, quæ maior omni humana uirtute sit,  
 ut fidei, iustitiæq; appareat unum, atque eundem esse constrictum sempiterni uin-  
 culo foederis consensum. Porrò iustitia sine operibus bonis esse quæ potest: Nam  
 & alio loco Paulus, Dei sumus effectio, inquit, conditi in Christo IESV in ope-  
 ribus bonis, quibus præparauit Deus, ut in eis ambulemus. Nos uero dicamus,  
 quod sicut fides adueniens uetera omnia crimina delet, atque diluit, unaq; satis est  
 ad obtinendam gratiam summi Dei, sic fidem ipsam, posteaquam aduenit, homi-  
 nemq; cum Deo coniunxerit, non posse eam deinde cum moribus malis cohærere,  
 propter eam causam quidem, quod nec fides sine iustitia est, & prauè agendo, recteq;  
 loquendo, non est credere id Deo, sed simulare. Ita aut iustitiam etiam non es adeptus,  
 si fidem uerbis tantum, & non corde comprehendisti, aut si eam corde, statim etiam  
 iustitia fidem consecuta est. Porrò oris confessio sic ualet ad salutem, si cordis cre-  
 dulitas profecerit ad iustitiam. Verum de his hæcenus: non enim cognito iam fidei  
 I mysterio



mysterio ulla uel minima dubitatio in his rebus amplius potest residere. Nos Deum  
 potius precemur, horum ut hominum mētes, in eum sensum inducat, ut fidem, quam  
 uerbis profitentur, moribus, & iustitia teneant, digniq; ab eodem efficiantur, quo-  
 rum ad reprimendas aliorum immoderatas cupiditates, plus etiam exempli, & au-  
 thoritatis uita, quam persuasione habeat oratio. **P R E C E M V R** sane Iulius in-  
 quit, etenim Christianum hoc imprimis & nostrum est, atque illi iustitiæ, quæ ex fide  
 existit, maxime consentaneum. **N V N C R E D E A M V S** ad Apostoli uerba: Lon-  
 go quidem interuallo, sed tamen non sine magna, & necessaria ratione illa est à nobis  
 facta digressio, Exposuimus enim, & demonstrauius, id quod necesse imprimis fuit,  
 quemadmodum nemo hominum apud Deum, nisi per fidem **C H R I S T I** possit ius-  
 tificari, sic enim loquitur Paulus: Nunc seorsum à lege iustitia Dei manifesta facta  
 est, testificata ab lege, & à prophetis. Legem hic appellans ueterem scripturam to-  
 tam, in qua ubiq; elucet testimonia aduentus **C H R I S T I**, & noui illius populi,  
 qui in fide & iustitia cum Deo coniunctus, & sempiterno fœdere cum eo copulatus  
 futurus erat. Iustitia, inquit, Dei per fidem **I E S V** Christi, in omnes, & super omnes  
 credentes, ex quibus uerbis patet, non eos tantum qui se dicunt credere, sed qui sic  
 crediderunt, ut iustitiam fidei adipiscerentur, illos **I E S V** Christi uere fideles esse.  
 Atque ut comprimat semper Iudæorum insolentiam, qui ægre admodum ferebant  
 alios, qui extra legē essent, fieri secum socios eiusdem à Deo muneris & gratiæ, qua  
 si quibus lex data antè esset, his solis deberetur & gratia, prosequitur Paulus, Non  
 enim, inquit, est distinctio. At quid ita non est? aut cur Iudæus non anteponatur  
 Græco? Quia omnes, inquit, peccauerunt, & egent gloria Dei, ut iustificentur gratis  
 ipsius gratia. Quia omnes, inquit, in causa parī sunt, ut nullum à se afferat quispiam  
 discrimen meriti, sed apud Deum unusquisq; peccando offenderit. Egent ergo omnes  
 clementia, & benignitate summi Dei, cuius exercitatio in Deo sic etiam gloriosior  
 est, quam si in benemeritos sua præmia dispertiret. Nunc enim totum quicquid est  
 uirtutis, atq; boni, quod per fidem assequimur, totum, inquam, ex Deo est, & ex diuini-  
 tis illius iustitiæ, bonitatisq; thesauris, cuius si essemus nos aliqua ex parte nobis ipsis  
 authores, quantum esset illud, quod ex nobis præberemus, tantum esset de Dei glo-  
 ria, munificentiaq; detractum. Iustificamur igitur omnes per fidem, sola illius gra-  
 tia, hoc est, nullo nostro merito eiusmodi, ut illud donum nobis à Deo debitum esse  
 uideatur. At quo pacto iustificamur? quo pacto etiam si in posterum efficiamur iusti,  
 ueteres tamen culpas, maculasq; deponimus? per redemptionē, inquit, quæ in Chri-  
 sto **I E S V**. Nam Christus **I E S V S** cum sine peccato ullo esset, & tanquam pec-  
 cator nihilominus morte esset mulctatus, compensatio huiuscemodi facta est, ut ue-  
 tus peccatum nobis nō debeat amplius exprobrari. Si enim permissum est, ut qui nō  
 peccauit, plecteretur, cur non permittatur, ut qui peccauit, à poena sit liberatus? con-  
 fusum enim, & perturbatum iam est mortis iudicium. Mortuus porrò est **I E S V S**,  
 non suis peccatis, sed nostris, quam mortem ipse sponte suscepit, ut placato per suos  
 dolores & cruciatus Deo, nos mortem comitem peccati effugeremus. Quid autem  
 iste **I E S V S** quemadmodum hoc effecit, aut qua ratione in hanc mentem est illa-  
 psus, ut tantum amoris erga nos, & pro nobis studij, curæq; susciperet? Quoniam, in-  
 quit, hunc Deus proposuit placamentum per fidem in ipsius sanguine, Deus ipse  
 met, inquit, non solum gratiam, & amicitiam suam instituit nobis largiri, sed per quod  
 etiam illam mereremur, adiecit. Dedit enim nobis filium suum, à quo ipse placaretur,  
 & omni ueterum nostrarum iniuriarum memoria deleta, humano generi, per eum re-  
 conciliaretur, quod nulla per nos ratione potuit effici. Quisquis enim nostrum, mor-  
 tem illam suscepisset, licet pro omnibus unus se deuouisset, idē egisset optimo ani-  
 mo, piæq; uoluntate: tamen ex infecto genere oriundus uix suam ille culpam, nedum  
 salutem aliorum redimere potuisset. Atque in hoc maxime effulget magnitudo, &  
 maiestas, & gloria summi Dei, qui totum expleuit nobis beneficium suum. Nec se so-  
 lum placabilē, sed hostiam etiā, qua placaretur exhibuit, ut quo meriti minus nostra  
 à parte esset, hoc magis clementiam, & bonitatem, & iustitiam illius deamaremus. Sed  
 licet nihil ex nobis sit dignum, nihil uim aut rationem ullam meriti continens: tamen  
 aliquid



aliquid à nobis proficiscatur necesse est, in quo confidat Dei gratia, & iustitia, id porro non est operis, sed bonæ duntaxat erga Deum uoluntatis, quæ solam per fidem **CHRISTI** contingere nobis potest. Fides enim est quæ confidit, & totam se committit Deo, quod tum sit, cum & in futurum Deo placere instituiamus, & de præterito confidimus omnem ex pristinis nostris sceleribus offensionem in illa diuina mente penitus esse deletam, atq; horum utrunq; per fidem in Christo **IESV** assequimur, & disciplinam uidelicet agenda ex Dei uoluntate, ac imitatione uitæ, & redemptionem iandiu meritæ per nos propter peccata nostra mortis. Quorum utrunque in sanguine **CHRISTI** nobis representatum est, quod etiam ipsum subtilius est uidendum, quemadmodum sanguis **CHRISTI** peccata nostra abluerit. Ac primum legem Moylis ita iubere cognouimus, ut sanguine semper aliquo peccata expiantur, cui oportuit legi satisfieri, qua de re in epistola ad Hebræos copiose est scriptum. Sub ea enim lege dum uoluit nasci **CHRISTVS**, illud quoq; ex lege facere constituit, ut quos liberare redimeretq; uolebat, pro his suum ipse sanguinem effunderet; suum autem, ob eam rem, ut non breuem illis, & cito interituram, sed æternam, & stabilem redemptionem inueniret. Nam sanguis uictimarū, qui pro commisso, & perpetrato delicto fundebatur, susceptam quidem antea maculam abluibat, non erat autem futuræ integritatis, & innocentia sponfor. Itaque ad easdem sæpenumero uictimas, & ad eadem sacrificia erat reuertendum. Sanguis uero **CHRISTI** quod ad peccata uetera attinuit, legis, & sacrificij propriam expiationem fecit, quod ad uentura autem, maiore etiam mysterio omne humanum genus est complexus. Etenim gentes exteræ, quæ lege non tenebantur, & illam forsitan uim purgandi & expiandi per cruorem uictimarum factam nō intelligebant, hoc certe documēto instructæ, eruditæq; sunt, quod mors illa **CHRISTI**, illa crux, ille sanguis coelestis, doctrina omnibus nobis extitit, quemadmodum uitam nos quoq; & mortem ab illecebris mundi penitus disiungam, & in deo fixam decurrere debeamus. Itaq; tum per fidem in **CHRISTI** sanguine Deum nobis conciliamus, si in illo sanguine, illaq; **CHRISTI** morte nos etiā assensione animi, uoluntateq; cōmoriāmur, id est, si mundi, & uitæ huius blandimentis pro nihilo habitis bonorum omnium summam in Deo constituamus. Qui enim sic agunt, atque constituunt, illi cum **CHRISTO** peccatis mortui sunt, & ad fructum æternæ uitæ cum eodem postea suscitati. In illo igitur sanguine, Christi q; morte, cum fides tota nostra, tum Dei reconciliatio, & pax nobiscum facta consistit. Sequitur autem: In demonstrationem iustitiæ suæ, ex remissione præteritorum peccatorum in tolerantia Dei. Proposuit, inquit, **IESVM** placamentum Deus, in cuius sanguine ipse per fidem placaretur, ut demonstraret iustitiam suam, & summam immensamq; bonitatem, per quam remisit peccata, quæ diu tolerauerat. Illa enim bonitas, illa longanimitas omnipotentis Dei in hoc quoq; semper apparuit, quod pertulit, & sustinuit eos, qui peccauerunt: sustinuit autem, non ut eos grauius plecteret, sed ut ansam & occasionem ignoscendi in illis inueniret. Huius porro perpetuæ Dei uoluntatis, & clementiæ testis fuit **IESVS**, in quo etiam antiquis, & diu antè mortuis patribus, qui non in mundo omnia sua defixerant, sed ad Deum bonam partem cogitationum suarū direxerant, redemptio est facta. Et quoniam hoc est Pauli nationem aliquando integram, & Ecclesiam **CHRISTI**, & genus hominū interdum uniuersum perinde ætatum gradibus diuidere, ac dispertire, acsi de singulari homine loqueretur, mundi q; ætates, & tempora ætatibus hominis accommodare: sic nunc in isto loco de humano genere toto perinde, ut de homine uno loquens, humanitatē, & tolerantiam, & bonitatem summi Dei, quam ipse fermè iustitiam appellat, qua de re satis alijs locis est dictum, quam in singulis hominibus adhibet Deus, ut eorum peccata diu, multumq; toleret, expectetq; occasionem ignoscendi, atq; parcendi, eandem ipsam clementiam, & bonitatē in humano genere toto adhibuit, cuius cum tot seculorū pertulisset peccata, quo tempore maxime illa percrebuerant, ad summumq; peruenerant, præcudit ille tandem patientiam suam. Verum ita præcudit, ut humanum genus, quod propter delictorum, & scelerū magnitudinem summo supplicio afficere debebat, summo sibi expiaret, uinciretq; beneficio. Atq; hoc est dignum Dei natura, & beneficentia,



hoc illius benignitati, bonitatiq; consentaneum. Quid enim est, quod agat conuenientius sibi Deus, quam ut in hunc modum tractet, atque excipiat eos, qui prauis motibus, opinionibusq; imbuti, ignari quid expediat, uiam sibi ipsi muniunt ad exitum, ut sustineat eos uidelicet, ut foueat, ut adiuuet, si forte uelint hi per ipsum Deum liberari: Hæc est illa Dei iustitia, de qua toties à nobis est dictum, quæ maxime demonstrat, atq; illustrat ipsius Dei gloriam, quam nos, qui in CHRISTVM credimus; fiduciaq; nostram in Deo ponimus, per fidem ueram imitamur, diuini illa generis, non humani, quam non lex, non ius scriptum, non hominum mores, non parentum disciplina, sed fides sola nobis insinuat. Nam si uelimus iustitiam interpretari in hoc loco illam, quæ habeat similitudinem legis, quæ ei, qui deliquit, nisi irrogata poena, ueniam dare non audeat, idcircoq; sanguinẽ CHRISTI Deus expetuerit, ut possit illo modo quasi iuri, & legibus satisfactione facta, hominibus deinde ignoscere, uideatur ex altera parte habere ista res iniustitiæ similitudinem. Quis enim æquũ, iustumq; sit, quod nocens absoluator, innocentem condemnare? Quid enim dixerit quispiam, non ne CHRISTVS sanguine suo, pro cunctorum peccatis Deo satisfecit? Satisfecit enim uero, sed ista satisfactio subtilius est intelligenda. Non enim quod in exercitu sæpe fit, ut cohors, aut legio, si reliquerit locum, uel signum si amiserit, puniantur pauci, cæteri omni poena liberati discedant, sic contigit in CHRISTO, ut plecteretur ipse, reliqui uero liberarentur omnes. Sed hi tantum liberi facti sunt, qui & mori ipsi cum CHRISTO uolunt, ut sit necesse si per Christum salui esse uolumus, eandem nos mortẽ pati, quam ipse perpeffus est; necesse sit, inquam, non eodẽ tamen penitus modo. Nam Christus carnẽ hominis peremit in cruce, tanquam peccati fomitem, ut peccatũ extingueret, quod è carne totum exæstuat, quod nos in illa carne CHRISTVS carnem etiam nostrã fide, & uoluntate peremptã habemus, peccatisq; moreremur. At hoc nemini contingere potest, nisi uolenti, & Christo IESV fidem istam habenti. Sic enim nos à morte, moriens liberauit Christus, ut qui ad uitam cum illo con surgere uellent, carnem suam unã cum illius carne crucifigerent, in quo est uniuersa redemptio, non præteritorum solum, sed futurorum etiam peccatorum. Sumus igitur hac ratione potissimũ salutem cõsecuti, quod uolumus Christo cõmori, si accidat ut res, & ueritas ita poscat, etiam corpore: sin id minus opus sit, semper tamẽ uoluntate, cuius index nobis mysterij, idemq; sacramentũ, baptismus est. Carnis autẽ mors iudicio, & fide, & uoluntate suscepta, hoc utiq; in se habet, quod peccato amplius locus non est, uiuitq; deinceps spiritualis iam homo, qui est ex Deo creatus, non amplius carnalis, qui ab Adam progenitus est, ut alio loco Paulus; Veritas, inquit, est in Christo IESV, deponere uos ex priori modo uiuendi, ueterem hominem corruptum per cupiditates deceptionis, & renouari spiritu mentis uestræ, & indui nouum hominem ex Deo conditum in iustitia & sanctitate ueritatis. Atqui tota uis in nobis mysterij, & CHRISTI est, ut cum illo in carne commoriamur, & cum eodem unã in spiritu uiuamus, neq; potest quispiam, ad illam ueræ iustitiæ uitam cum Christo consurgere, in quo caro peccati nõ antè sit occisa. Quapropter ipse Christus, qui fuit nobis exemplum, & doctrina, & Dei patris oratio, quod in pleno, & perfecto documento contendæ carnis necesse fuit, non solum uoluntate, uerum etiã ipsa re omnibus modis in carne est afflictus. Sic enim ipse de se in Luca pronuntiauit, quod talia oportuit pati Christum & sic intrare in gloriã suã. Nos uero, qui ab illa tanta perfectione, præstantiaq; Iesu Christi longe absumus, satisfacimus in eo Deo, si promptam uoluntatem ad eadẽ perferẽda afferimus. Hoc est enim carnẽ in nobis iam occidere, quod facere plane nõ possumus, nisi ab amoribus mundi prius diuellamur. Vbi uero ad opus ipsum dominus dederit uiriũ, ferẽda, & patiẽda incõmoda sunt, dolorq; corporis subeũdus, & ipsa mors tolerãda. Hæc em̃ fides in Deũ est, & Christi imitatio, per quã aditus nobis in coelũ aperitur, quẽ patefecit & aperuit ipse Christus. Ita & Paulus in Hierusalẽ trãsiturus, adhortãs eos, quos in fide instruxerat, illud imprimis illos admonet, q; per afflictiones multas oporteat nos introire in regnũ Dei, siue id uolũtate propria sic cõstituiamus, siue operibus exequamur. Et ad Corinthios, Semp mortificationẽ domini Iesu



Iesu in corpore circūferimus, inquit, ut & uita Iesu in corpore nostro manifesta fiat. Et iterum; Semper nos uiuentes in mortem tradimur propter Iesum, ut & uita Iesu manifesta fiat in mortali carne nostra, aut uestra, id est, carnis nostræ uita, qua peccato uiuitur, in mortem traditur ob Iesum, cuius uim, & mysterium in nobis suscipimus, ut in eadem carne ob peccatum mortali dempto eliminatoq; peccato, eadem uita im- mortalitas appareat, quæ in Christi Iesu carne manifesta est facta. Itemq; de mysterio Christi euidentius ad eosdem Corinthios: Quod si Christus unus pro omnibus mortuus est, ut qui uiuunt, non amplius sibi ipsis uiuât, sed illi, qui pro ipsis mortuus & excitatus est. Et ad Galatas: Christus dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eripiat nos ex præsentî seculo prauo. Et alio loco: Vt Deo uiuam, inquit, Christo cōcru- cifixus sum, uiuo autem non amplius ego, uiuit autem in me Christus, & qui sunt Christi, carnem crucifixerunt cum affectionibus, & cupiditatibus suis. Et eodē sensu ad Ephesios, Christum soluissē parietem septimedium inter Deum, & nos ait; quo di- stinebamur, & impediabamur, ne iungi, & adherere Deo possemus; ipsum autē septū fuisse in carne nostra cum Deo inimicitiam, quam soluimus, cum peccato morimur. Neq; soluissēmus, nisi soluta ea prius fuisset à Christo. Ipse enim fuit, qui sua obediē- tia erga Deum, cui sese totum, dimisso mundo, tradidit, factus est in nobis, & in huma- no genere cum Deo recōciliatio. Quem Christum cum imitamur, cōmorientes cum illo simul carni peccati propter obedientiam Dei, ut ipse idem Paulus ait, Tūc Chri- stum addiscimus, & in Christo edocemur. Et ad Titum; Christus dedit seipsum pro nobis, ut redimat nos ab omni iniquitate, & purget sibi ipsi populum acquisititum, æmulatorem bonorū operum. Et Petrus: Christus passus est pro nobis carne, inquit, ut uos eandem mentē induamini, quoniā qui passus est in carne, destitit à peccato. Io- annis quoq; illa per os domini nostri de carne Christi, quæ panis est mūdi, sine quo ui- ta esse nō potest, & item de sanguine plena mysteriorū, & sublimitatis oratio admodū planè indicat morte Christi nō tam simplici modo peccata nostra deleri, ut in lege ue- teri per uictimam debebantur, quanq; & illi quoq; ritui, & religioni satisfecit Christi immolatio, sed plenū esse mysteriū illius mortis & crucis ad nostrā liberationē, si car- nem nostram, cū ipsius mortuam esse uelimus, si Christum ipsum Iesum induamus, si illius afflictā, & maceratam carnē salutarî cibo assumpto in nostrā ipsorū carnē alen- dam, nutriendamq; adhibeamus. Sed de uî tota rationeq; mysterij Christi quoniam sā- tis hoc loco dictū, & fortassis alibi dicetur, pergamus ad Apostoli uerba, qui bonita- tem & iustitiā Dei in eo magnificans, quod remisit peccata ea tandē, diu quæ tolera- uerat, aliū etiam modū, & tempus unā cū modo, quo iustitiā Dei declarata sit, adiun- git, sic iterū repetēs: Ad demonstratiōē iustitiæ suæ in hoc præsentî tēpore qualiter ipse iustus est, & iustificans eū, qui est ex fide Iesu, hoc secundū quod repetitur ad de- monstratiōē iustitiæ habet expressiōē, ac si diceret, ad demonstratiōē, inquā, iusti- tiæ suæ in hoc tēpore, quo misit filiū suū ad nos uidelicet, totumq; sese nobis, & amo- rem suum erga nos patefecit, nec tantū in eo ostēdit iustitiā suā, quod remisit, igno- uitq; peccata, quæ tolerauerat, sed quod de illa sua diuina, singulariq; iustitiā bonam etiam partē in nos per fidē Christi deriuauit, ut faceret nos ad imitationē, & similitu- dinē sui iustos, quod idem est, quod suprā dixerat, ex fide in fidē. Per fidē enim eandē Christi & Dei iustitiā in ipso Deo patuit, & in nobis impressa, insinuataq; est.

Vbi ergo gloriatio? exclusa est, per qualē legē? operum? nequaq; sed per legē fidei. Putamus ergo fide iustificari hominē seorsum ab operibus legis. An Iudæorū Deus solus? nō autē & gentium? certe & gentiū. Quoniā quidē unus Deus, qui iustificabit circuncisionem ex fide, & præputium per fidem. Legem igitur abrogamus per fidem? absit, sed legem constituimus.

EXCLUSA est, inquit, ò Iudæe gloriatio tua, qua de lege te iactas, nec per aliā legem operum, quæ sit melior tua, nanq; fieri id non potest: lex enim Iudæorum, ut di- ximus, ut quæ ueri Dei notionem præter cæteras haberet, peccatumq; & recte factū ex illius nutu, & uoluntate diiudicaret, sola erat idonea, quæ appellaretur lex, nec le-  
I 3 ge alia



ge alia ipsa, neque eius opera alijs operibus poterant uinci: sed exclusa est per legem fidei, dignior enim facta est fides, qua author: & interprete cum Deo nos coniungamus, et si minus proprio uocabulo, tantum ut legi operum uerbum illud legis in fide redderet, lex fidei appellata est, quod idem est & fides, per fidem enim legis opera, quantum ad acquirendam iustitiam, & Dei gratiam pertinet, à principe laude exclusa sunt, hoc etiam magis, quod ea si qua est, quæ ex lege ueniat ad iustificandum commoditas, angustis illa finibus circumscripta est, & clausa, & in una tantum, neque ea maxima natione habet locum. Iudæis enim duntaxat illa lex est lata, ut si ex operibus legis solum sit iustificatio, exiguum tantum genus iustificari, ceteros omnes à iustificatione excludi necesse sit. At Deus, qui unus ubique, & semper omniumque omnino nationum idem est Deus, nullis terminis patitur benignitatem suam, beneficentiamque concludi. Itaque utitur potius fidei instrumento, quam legis, quod ad salutem omnium longe est communius. Nihil autem tam Dei est, quam omnibus esse æqualiter beneficium, atque communem. Cui rei si fidei instrumentum est aptius, eo semper uno utitur Deus, quod in quaque re est optimum. Fides porro & facile, & generaliter omnibus est exposita, ut per eam quisque possit ad Deum sese applicare, atque conferre. Itaque ea & circumcisionem iustificat, & sine circumcisione etiam præputium. Neque nos cum fidem legi anteponimus, facimus iniuriam legi, tãquam uelimus illam antiquare, sed legem potius sancimus, cum ad suum finem, quod intenta illa est, eam deducimus. Siue enim lex Dei omnipotentis gratiam præcipue exquirebat, per fidem Christi ea uoti compos melius effecta est: siue Messiam suum beatioris seculi authorem expectabat, fides Messiam illi Christum demonstrauit: siue adeo in illis carnalibus, corporeisque obseruantijs ueritatem spiritus illa innuebat, spiritualemque doctrinã quodammodo parturiebat, hac iam inuecta spiritus doctrina reddita est & ipsa perfectior, atque completior. Non dicitur autem antiquari, neque aboleri id quod perficitur, sicuti nec puer cum ad uirilitatem perductus est, de naturæ suæ substantia amisisse quicquam, sed acquisiuisse perfectionem magis est dicendus.

Quid igitur dicemus Abraam patrem nostrum inuenisse secundum carnem? si enim Abraam ex operibus fuit iustificatus, habet, quo gloriatur, sed non aduersus Deum. Quid enim ait scriptura? credidit Abraam Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Operanti uero merces non reputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: non operanti autem, uerum credenti in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius in iustitiam.

R V R S V S affirmat quantum plus & gloriæ, & gratiæ acquirat apud Deum fides, quam opera, exemplo patris nostri Abraam, qui si antea etiam in operibus, & actionibus suis rectus fuit uir, & iustus (hoc enim est, quod ait: Quid dicemus Abraam patrem nostrum inuenisse secundum carnem?) id est, quam gratiam, quam laudem ex operibus carnis, humanis scilicet, & tanquam ex homine actionibus inuenisse: qui ut etiam in illis fuerit planè probus, inter homines fuit, & inter illos potuit iure suo gloriari, erga Deum quidem certe non potuit, at quamobrem nõ potuit? quia illius, quam agebat, exercebatque inter homines, iustitiæ, ipse sibi erat author. Sibi enim ipse constituebat, & præscribebat, quid esset faciendum, ut æquitatem cum cæteris, & societatem conseruaret. Illaque in eo iustitia & ab humano consilio proficiscebatur, & in humanis opinionibus tota consistebat, ut nulla esset in eo Dei gloria, sed omnis & in homine, & ex hominibus gloriatio. Fides uero erga Deum, & quam Deo Abraam habuit, fecit illum, ut non suo iudicio quicquam, sed Dei consilio, atque præscripto ageret omnia. Itaque & patriam, cognationemque suam illo iubente deseruit, & posuit tabernacula, quibus in locis est iussus, & ad concubitus uxoris iam desperatos se retulit, & filium Deo præbuit in sacrificium, & denique factus est illi in omnibus obedientissimus. Quod si opera iustitiæ, quæ ab humana uoluntate, consilioque proficiscuntur, aliquid quam habent gloriam, quanto maiorem illa, quæ ab diuinis consilijs, & uoluntatibus sunt profecta: tanto uidelicet, quãto humanis uirtutibus diuina uirtus, iustitiæque an-  
tecel



tecellit. Fidei ergo iustitia diuinæ non humanæ nobilitatis est, in qua & eius, qui credidit, gloriatio tota ex Deo est, & ad Deum rursus conuertitur, ut neq; initium, neq; exitus huius gloriæ aliud quippiam sit, quam ipse Deus. Gloriæ autem talis fundamentum est fides, quandoquidē in fidem solam hæc Dei excellens iustitia transmittitur. Igitur patere omnibus necesse est, quantopere sit fides, fideiq; iustitia operibus legis, aut humanis iustitiæ actionibus anteponenda. Ac ne ambigui quicquā in considerantium animis relinquamus, omneisq; ut euellamus dubitantium scrupulos, exanimet unusquisq; secum, & cū animo intus suo, quæ sit ista operum, & quæ fidei iustitia: tum quantum huic ab illa intersit, intelliget. Operum iustitia ea est, qua quis in factis, & actionibus suis fidens, quod recte, atq; integre cū hominibus se gesserit, collocat in illis spem cū laudis, tum salutis etiā sue, ut siue ex hominibus, siue ex ipso Deo spectandum præmium sit, paratū sibi id esse confidat nō alicuius dono, aut beneficio, sed merito imprimis suo, quod sic Apostolus exponit: Operanti uero merces nō cōputatur secundum gratiā, sed secundum debitū. Deberi enim mercedem sibi putat, qui operas dedit, in quo quædā est unicuiq; in seipso cōfidentia, & nonnulla etiam uel tacita arrogantia, ut sibi ille admodū placeat, quisquis est, & honorē perfuncti operis sibi metipso attribuat: Dei autem omnipotentis in eo nulla clementiæ, & liberalitatis sit gloria. Qui uero nullis suis meritis, actionibus uel confusus, cōferat se ad summum Deum, satis in illo statuens & potestatis & benignitatis esse, ut uelit, ualeatq; quāuis impium & improbum per fidem accedentem ad se iustificare, hic alio genere præstantioris iustitiæ probus effectus ostendit, atq; illustrat maxime Dei præpotētis gloriā. Atq; ille quidem primus operum sectator, sic adhibet in gerendis, suscipiendisq; rebus iustitiam, quatenus tantum legi, hominibusq; satisfaciat. Hic uero ex Deo & ex Dei dono iustificatus illas operum, legisq; iustitias tricamenta quædam terrenarum cogitationum esse putat, ut quæ nihil aliud sint, quam explicare in eo se uelle, quod totum sit implicatio, hoc est, cum cupiditate, & studio in rebus terrenis hæreas, nō inde ut euellaris, sed quemadmodum ordine quodam, & cum ratione in illis mouearis, exquirere: hic autē iustus Dei, quē sic appellat Deus in Abacuc inquiring, Iustus meus ex fide uiuet, qui per fidem ex Deo & iustitiam adipiscitur & uitam; diuiniore longe modo, maioris iustitiæ sit compos, legemq; sibi gerendæ uitæ non ex lege operū, sed ex imitatione Dei constituit. Fit enim ut à quo aliquid discendo perceperimus, cū id postea, quod didicimus, adhibemus in usum ipsi, atq; experimur, eius, à quo id accepimus, studeamus esse similes, in quo doctoris nostri, & præceptoris gloria per nos maxime amplificatur, & ostenditur. Hic tu Iudæe qui hanc ex fide nostri iustificationem non admittis, qui cunctos ad opera legis reuocas, quemadmodum cōstituis gloriam summi Dei? Accedunt gentes ut Deo sese offerant, illius gratiam expetentes, illius benignitati confidere paratæ. Quid ais? tu Iudæe: frustra inquis laboratis, & adnitimi, non est hæc ad Deum perueniendi uia, ad nos primo confugiatis oportet, & legem nostram accipiatis, carnemq; præputij circūcidamini, atq; omnia legis iusta impleatis, si donum uitæ, & gratiæ apud Deum quaeritis obtinere. Hoc cōtine est glorificare Deum? an infinitam illius maiestatem in angustiū uelle redigere? qui si nō potest nec parcere, nec iustificare absq; lege, & uictimis, ubi illius potentia: si nō uult, ubi bonitas, ac beneficentia? At enim semel id ita constituit, ut sic fieret, rationemq; & modum, quo ipse placaretur, in lege instituit, nempe tum quidem tarditati tuæ cōsulens, cum tu spiritualis disciplinæ penitus expers, eiusq; in tuis primis illis rudimentis prorsus indocilis in corpore, & corporeis sensibus totus inhærebas. Quin tu recto nunc itinere fidei & humilitatis tendentes ad summum Deum in legis amplius semitas, ac diuerticula, & ad contractus operum ne coge, cunctasq; in nobis uirtutis, & iustitiæ partes Dei esse sine, & nō nostras, quod sic & uirtus nostra perfectior, & Dei maiestas clarior, atq; augustior etiam sit, sicuti quidem fuit in patre nostro Abraam, qui non ex operibus suis, quæ fecerat, sed ex fide, quam habuit Deo, meruit iustificari. Quam præsertim in Deum fidem, non autem ex lege iustitiam sequitur beatitudo à Dauide etiam tuo significata, & testata.

Quemadmodum & Dauid dicit beatificationē hominis cui Deus comparat



putat iustitiam absque operibus: Beati quorum remissæ sunt iniquitates & quorum obiecta sunt peccata: beatus uir, cui non imputauerit Dominus peccatum,

H I C enim certe, qui beatus dicitur, non ex operibus legis, quæ minime seruauit, alioquin quomodo eguisset, ut sibi ab Deo peccata remitterentur: sed ex ipsa peccatorum dimissione consecutus est ab Deo beatitudinem, in qua adipiscenda nullas ipse suas partes attulit, nisi hanc ipsam fidem, quod credidit à Deo, etiã sine operibus misericordiam sibi posse, clementiamq; præstari, ac omnem hanc gratiam beatificationis suæ soli Deo acceptam retulit.

Beatificatio igitur ista in circuncisionem: an & in præputium: Dicimus enim quod reputata est Abraæ fides in iustitiam, quomodo ergo reputata: cum esset in circuncisione, an cum in præputio: non in circuncisione, sed in præputio: & signum accepit circuncisionis notam iustitiæ ex fide, quæ fuerat in præputio, ut esset pater omnium credentium per præputium, ut reputaretur & illis iustitia, & pater circuncisionis his qui non ex circuncisione solum, sed qui etiam incederent uestigijs eius fidei, quæ fuisset in præputio patris nostri Abraam.

I S T A, inquit, beatitudo, quæ ex fidei iustitia, & propter eiusmodi iustitiam nobis tribuitur, per quam quidẽ iustitiam deletis à Deo omnium peccatorum nostrorum maculis ad illius summam uoluntatem omnibus in rebus spectandam, atq; exequendam, & prompti efficiamur, & habiles, quemadmodum & ipse Abraam ad parendum in cunctis Deo alacer, & paratus factus deinde est. Ista inquam, beatitudo attributa est Abraæ, cum adhuc in præputio esset, necdum circuncisionẽ in se admisisset. Nam circuncisio post fidem illam iustitia iam adepta Abraæ ipsi imperata est, quæ futura esset indicium, & ueluti nota illius ipsius ex fide iustitiæ, quam Abraam Deo credens in præputio esset adeptus, nota inquam, & indicium Abraæ genus carnale à cæteris generibus discriminaturum. Quoniam enim Deus illa fide Abraæ erga se, & in his, quæ ipse eidem Abraæ promittebat, illius certa spe & fiducia adductus dignum illũ effecerat, in cuius semine gratiam & cognationẽ suam uniuerso generi humano impertiret, quò clarius extaret suæ promissionis fides, & ad nationum, ac seculorum omnium conscientiam esset testata, illo circuncisionis uoluit signo Abraæ sobolem distingui, quod quidem signum futurum esset indicium ac monumentum eius promissi, & pacti, quod cum ipso Abraam Deus pepigisset, quæ quoniam promissio illi ab Deo ob ipsius fidem & fidei iustitiam erat facta, signum non tantũ pacti, sed illius ex fide iustitiæ, quæ id pactum expresserat, facta est circuncisio. Ita signum circuncisionis fuit nota iustitiæ, qua Abraam Deo credens in præputio fuit ab eodem Deo insignitus, atq; ornatus. Quod autem hic circuncisionem signum iustitiæ, in Genesi eandem signum pacti appellat, in quo libro sic scriptũ est: Et circuncidatis carnẽ præputij uestri, & erit in signum pacti inter me, & uos. Erat autem hoc pactum ex promissione Dei cum Abraam eiusmodi, ut cum hereditate terræ & multiplicatione innumerabilis posteritatis id etiam illi polliceretur Deus, quòd ex semine ipsius prodiret olim, in lucemq; ederetur, qui eandem gratiam Dei, & iustitiam, terramq; re uera æternæ possessionis in omnes tribus terræ propagaturus esset, qui ubi uenisset, omnibusq; fuisset factum manifestum ex semine illum Abraæ secundum Dei promissionẽ profectum esse, Deumq; præstitisse, quòd fuisset pollicitus, tum sublato circuncisionis signo, quòd deinde inane, & irritum futurum esset, ad eam fidem in Deum concursus cunctorum fieret, per quam Abraam in præputio positus, Dei amicitiam, & gratiam, insignemq; ab eo donum cœlestis iustitiæ consequi ualuisset. Ita circuncisio, quæ signũ fidei, ac iustitiæ Abraæ in seipsa fert, si non sit sub signo fides, ac iustitia, inane signũ est, & quatenus pactum indicat futuri ex Deo doni, quòd in semine Abraæ sanctificari



carentur omnes gentes, iam exhibito dono amplius signum non est. Abraam porrò ipse dupliciter factus est pater, & generis sui, ac posteritatis per circūcisionem, & humani generis totius per fidem. Pater quidem omnium credentium, cum etiam tūc in præputio esset, fidemq; Deo habuisset, ut quicumq; item in præputio constituti simili in Deum habuissent fidem, simili apud Deum iustificarētur gratia, fidesq; illis in iustitiam reputaretur. Pater autem circūcisionis, hoc est generis, & posteritatis suæ: si illud tantum signum posterī sequantur circūcisionis, carnalis tantum pater: Si autem, quod signo illo admonentur, eiusdē fidei uestigijs, quibus ille in præputio ingressus est, uelint & posterī eius incedere, uere illis pater, neq; corporis solū, sed animi etiam sui, & fidei erga Deum, partæq; propter eam ipsam fidē iustitiæ integram illis hereditatem relinquens. Ex quo planē patet fidem ubiq; esse & ualere omnia: quod quidem ad acquirendam Dei gratiam, & ad conciliandum ab eo cœlestis iustitiæ donum ad unumquencq; hominum spectat atq; pertinet, quādo nec sine fide ualet quicquam circūcisio, & cum fide præputium circūcisionem non desiderat.

Non enim propter legem promissio fuit Abraæ, & semini eius hæredem eum esse mundi, sed propter iustitiam fidei. Si enim qui ex lege, hi hæredes, inanis facta est fides, & uana promissio. Lex enim iram fabricatur. Nam ubi non est lex, neq; ibi præuaricatio: propter hoc ex fide ut per gratiam, quo firma sit promissio omni semini, non solum quod ex lege, sed & quod ex fide Abraæ, qui est pater omnium nostrum, sicut scriptum est: Quoniam patrem multarum gentium posui te.

PROMISSIO illa, quæ facta est Abraæ ab Deo, inquit, non ratione legis nec propter legē facta est, sed propter iustitiam fidei. Quia enim credidit Abraam Deo, & id reputatum est illi ad iustitiam, propterea ipsi Deus præclaram illam promissionem fecit hæredem eum fore mundi. Quæ promissio quanquam non eisdem uerbis in Genesi est perscripta, ex alijs tamen uerbis colligitur, quod in semine ipsius erant sanctificandæ omnes tribus terræ: atq; hæc promissio non propter legem Abraæ facta est, sed propter illam fidem, quam is Deo habuisset, quod ei præcipienti, ac pollicenti in cunctis credidisset, atq; obtemperasset, propterq; eam iustitiam, in cuius genere, & nomine fides illa Abraæ à Deo est existimata. Ita cum Abraæ illa tum promittebat Deus, neq; legem ita spectabat, ut ad eam suas promissiones dirigeret, neq; posteaquam illi quæ promiserat impleuit, id est legi, & legis operibus ab eo datum: sed cum illi Abraæ fidei, atq; iustitiæ tributum, tum diuinæ imprimis constantiæ & ueritati. Etenim si propter legem & illa promissio tunc Abraæ facta, & post Iudæorū generi eiusdem ratione legis exhibita fuisset, inanis illico Abraæ fides, & Dei promissio irrita extitisset. Ac quod ad Abraam pertinet, si fuisset ab Deo spectata in suis promissionibus lex, quid honoris, quid gratiæ obtinuisset apud Deum fides Abraæ, si non ipsi, nec fidei eius præcipue, ac primo, sed generi, & posteritati ipsius datum fuisset, ut digni tantis ab Deo promissionibus haberentur, qui in legem Moysis consensissent, & suum in illa nomen professi, tam religiose, & diligenter coluissent: quando non præuaricatoribus, sed probis, & rectis suam impertitur benignitatem Deus. Quid ergo interfuit, utrum crederet Deo Abraam, nec ne crederet, si non propter se, nec propter fidem suā, sed ratione legis, eiusq; posteritatis, quæ sub lege futura erat, illa ab Deo fuisset promissio enunciata? Deinde quam Abraæ gratiam posterī eius debuissent, dum hereditatem promissorū, quam accepissent, non parenti suo Abraæ, nec fidei parentis, sed suis operibus retulissent acceptam? Postremò ne credere quidem firme Abraam Deo, omnemq; suam fidē in illius promissis constituere potuisset, si legem potissimum, & in lege posteritatem spectasset illa promissio. Quo pacto enim quod pependisset ex incertis posterorum factis, spemq; constantiæ, & stabilitatis in alienis uoluntatibus sitam habuisset, potuisset ab alio quopiam homine nō suum negotium gerente, nec stipulante sibi ipsi tanto post uenturum tam firme credi, ut non



aliqua in animo ambiguitas resideret: non est autem eiusdem ambigere, & fidem habere. Quamobrem si in quo Abraam fidem habebat, in eo ipso rursus dubitare cogebatur, neque fides in eo certa inerat, & quoquo modo facta est, certe illi frustra est facta promissio. Porro ex altera parte Dei promissio Abrae facta si non Abraam ipsum, sed posteritatem eius imprimis spectasset, causam nullam grauem, nec dignam tanta maiestate in Deo habuisset, quamobrem ipsi Abrae potissimum uideretur esse facienda. Etenim cum quid cui promittitur, quod sit illi in eius posteritate persoluentum, id cum praestatur, & datur, si non eius, cui promissum fuit, sed eius, qui post deum accipit, praecipue habetur ratio, quis non uideat inanem & uacuum rationis ac consilij, leuicq; potius ac futili, quam graui, & certo authore dignam promissionem illam extitisse: cuius nimirum ad eum cui fuerit facta, pars omnino nulla pertineat. Deinde si ob legem, & legis causa facta est promissio, ob eam rem profecto facta est, ut non habentibus legem, sed seruantibus ille honos haberetur, at per legem magis prauaricatores effecti sunt, qui illam adsciuerunt, quoniam ubi lex, ibi est prauaricatio, iramq; Dei aduersum se potius prouocauerunt, quam beneuolentiam, & gratiam illius promerere. Ergo in omnem partem uana reddita est Dei omnipotentis promissio. Enimvero in Deum uanitas non cadit, de quo est scriptum: In aeternum domine permanet uerbum tuum, in seculum seculi ueritas tua. Fidei ergo Abrae, & cum fide iustitiae & in eo ipso, & in posteritate eius maxime persoluit Deus, quae parenti ipsi, & capiti generis promiserat. Ideoque ex fide, inquit Apostolus, ut totum esset gratia, ac non meriti merces, proptereaq; maneret immobilis cuncto semini Abrae Dei promissio. Quod enim gratis, & innata sua bonitate ab Deo promittitur, id cum solum Deum habeat authorem, pendeatq; ab immutabili, & aeterno, aeternum quoque ipsum, & immutabile est. Quod uero labori, industriae, diligentiaeq; proponitur, cum ex hominum pendeat consilijs, & actionibus, quae infirmae semper, & uacillantes sunt, incertum item ipsum, & debile nullum unquam habet perenne firmamentum stabilitatis suae. Iam fides, quae digna tantis honoribus a Deo efficitur, nullum ipsa ex se meriti pondus affert, sed tantum ut materia formae, sic illa Dei gloriae, & beneficentiae parata, atq; exposita est, ut cum fuerit a Deo diuinae iustitiae munere insignita, per eam Dei bonitas, & iustitia magis ostendatur. Quae si fides tantum gratiae apud Deum, & beneuolentiae in Abraam est assecuta, cur non item assequatur in nobis? aut quamobrem nos non multo digniores, qui haereditatem adeamus patris nostri Abrae, cum fidei illius filij simus, propter quam fidem illi est facta promissio, quam qui eum carnis duntaxat, & generis agnoscunt parentem? Quanquam carnalis illa Iudaeis cum Abraam cognatio, hunc ab Deo honorem merita est, ut ad eos potissimum docendos, & conseruandos Dei filius mitteretur, si fidem illa filij Dei, sine qua salus esse non potest, suscipere, & altero quoque genere consanguinitatis, quod spirituale totum, & per fidem est, Abraam patri suo coniungere se uoluisset. Nam & IESVS ipse patrem suum attestabat se ad eos solos missum esse, atq; ut oues requireret, quae perierat domus Israel. Sed cum illi patre Abraam in carne sola duntaxat gloriarentur, fidem autem patris nulla ratione admitterent, neque de spirituali genere, quod praestantius multo per fidem est, quicquam praclarum, aut sublime cogitarent, ex primo honore, atq; ordine in postremum reiecti his qui per fidem filios Abrae se faciebant, de haereditate Dei concessere. Etenim non carnis consanguinitas prima ducenda est, sed potior multo, atq; praestantior, Dei magis naturae similis, & proxima est spiritus cognatio, quae per fidem ipsam ad eum, & iustitiam ab eo adipiscuntibus cum ipso omnipotente Deo contrahitur, in qua nos praecipue Abrae filij sumus, ideoque est ei ab Deo dictum, patrem illum multarum gentium fore, carnalium filiorum uidelicet, aliorumque spiritualium. Porro fides est Abrae in nobis imitatio & spiritualis nostra ad eum propinquitas, cum id, quod egit ille, ut parentes, & domum, & patriam suam relinqueret, Deoque in alias eum regiones, & ad spes alias uocanti per fidem, & obedientiam se deducendum traderet, item nos agamus, mundumque patrem nostrum & carnales affectus omnes, praesentiaque mundi bona, ab ipso Deo uocati liberiter dimittamus, ac futurorum spe in ipso Deo consistentes per fidem innitamus. Atque  
ut ad



ut admirans intueare huius sanctissimi, sapientissimiq; doctoris sensa, & cogitationes ex summis diuinitatis consilijs esse depromptas, attende quemadmodum fidei uim, incredibilemque potentiam in paternitate Abraæ ante oculos nostros ponat.

**I N S T A R** eius, cui credidit Dei uiuificantis mortuos, & uocatis ea que non sunt, ut si essent, qui præter spem in spe credidit, quod futurus ipse esset pater multarum gentium secundum quod dictum: Sic erit semen tuum. Et non uacillans fide, non considerauit corpus suum iam enectum centum ferè natus annos, nec enectionem uulua Sarai, sed in promissione Dei non ambegit incredulitate, sed corroboratus est fide, dans gloriam Deo, & per suasus certo, quoniam quod promiserat, potens est & facere. Ideo & reputatum est ei in iustitiam.

**P A T E R** multarum gentium, inquit, & in eo similis quodam modo Deo illi ipsi, cui credidit, quasi fides ea, quam habuit Abraam Deo, similem eum Dei effecerit. Nam cum Deus in uitam restituat mortuos, & uocet ea, quæ non sunt, haud secus ac si essent. Cum, inquit, in mortuis nihil omnino insit uitæ, & in ijs, quæ non sunt nihil essentia, in Deo tamen utraq; utrunq; habent, & uitam mortua, & esse non entia, ut simulatq; Dei uoluntas & mandatum adsit, & præsto sit, quod non erat, & reuiuiscat mortuum quod iacebat. Sic Abraæ fides eisdem ferè ingressa uestigijs, & suscitauit mortuos, & qui nequaquam erant, nec alioquin futuri fuerant, eos ut essent, fecit. Ac mortuos quidem suscitauit, quatenus ipsummet Abraam, qui quod ad uim generandi attinet, mortuus iam erat & natura, & corpore, sic uiuificauit, ut idoneus fieret generationi, quam uegetationem prius enecti propter ætatem corporis tam ualide ille hauit, ut non solum ad Isaac, sed ad alios complures postea liberos noua uis corporis fuerit propagata. Quæ uero illam innumerabilem Abraæ posteritatem fides eadè progenuit, totq; illi nepotes, & nepotum filios, tantamq; successionem & sobolem in lucem, & diem & naturam ipsam protulit, qui sine ea nulli unquam fuissent, hoc fuit in illo uocare eos, qui nusquam erant, æque ut si fuissent. Ita Abraam per fidem eadem ferè potuit quæ Deus per naturam. Verum ita ipse potuit, ut omnem suam tamen potentiam ex Deo, & Dei erga se gratia, munificentiaq; acciperet. Nec solum in his fides Abraæ Dei uirtutem est imitata, sed in illa ratione etiam, quod cum Deus creator omnium quidem hominum sit, & per illam creationem quodammodo pater, pater autem uerius, atq; coniunctius eorum, qui per fidem illi sese dedentes, in eoq; renascentes, ipsum eum imitari, ei obtemperare, bonorumq; eius hæreditatem præcipue student sibi comparare; sic Abraam iustius multo sobolis suæ per fidem, quam feminis per carnem habendus est pater. Ac ut demonstraret quo ex genere fides Abraæ, quam firma, quam ualens, quam præter usum & morem communis credulitatis fuerit, persequitur exponens de ipso Abraam: Qui præter spem, inquit, in spe credidit, qui cum respiciens sese, uxoremq; secum suam nullam omnino spem generandi haberet, sed in eiusmodi spe prorsus esset peremptus, Dei magnitudinem, bonitatemq; attendens, certissimam in spem uenit, uiuidusq; effectus in ea est, fore sibi progeniem frequentissimæ posteritatis, eamq; spem, & erga Deum fidem corporis statim uigor ad conferendum genus, & facultas procreandi est consecuta. Non enim ambegit incredulitate ad promissionem Dei, sed omnes animi, & mentis suæ neruos ad credendum, & confidendum Deo intendit, dans illi meritam gloriam, quod non solum ex instrumento inutili per se, & effecto posset Deus efficere quæcumq; uellet, sed etiam quod promississet, certo esset effecturus, ideoq; hæc illi fides loco iustitiæ existimata est. At quomodo iustitiæ loco: aut, ut in Hebræo est, iustitia. Videtur enim ita esse scriptum: Et credidit domino, & reputatum est illud ipsi iustitia. Quo pacto, inquã, fides Abraæ pro iustitia reputata est: Quia cum per operum iustitiam mercedem, atq; honorem à Deo expectemus, fides in Abraam habita est dignior, quæ illa ex Deo præmia assequeretur,



quæ humana iustitia sibi solet arrogare. Ita fides Abraæ in iustitiæ loco æstimata est, tantoq; præstantioris, & nobilioris iustitiæ, quanto in his honoribus & præmijs fidei tribuendis totum & gratiæ, & liberalitati Dei summi fertur acceptum, fructumq; illius beneficentiæ, & gloriæ nullum nostrum meritum, nulla quæ nobis iure debeatur, merces decerpit. Hoc Abraam pater noster fecit, qui cum omnino desperasset de se & de uiribus suis, omneis spei suæ partes in Deo uno constituit, ut ab eo solo agnosceret quicquid acquirerebat, atq; ita gloriam iustam & debitam dedit Deo, neque de ea ipse quicquam humanæ suæ iustitiæ operibus imminuit, quod fuit uere credere Deo, atq; confidere. Iam cum ex alio genere Dei iustitia, atq; hominum sit, quantum quisq; affert de humana iustitia, tantum occupat loci, quo accipiat minus de diuina: ut si ad hauriendam puro è fonte aquam accedamus, hydriamq; afferamus, in qua non nihil turbulentiæ insit aquæ, neq; purum habemus iam amplius, neq; plenum, quod petebamus: sic fides uas ad capiendam Dei iustitiam sola idoneum, non debet alterius genere iustitiæ, nec operibus, nisi ex diuina iustitia factis, ullo modo confidere,

**NON** scriptum autem propter eum solum est, quod reputatum ipsi est, sed & propter nos, quibus debet reputari credentibus in eum, qui suscitauit **I E S V M** Christum dominum nostrum à mortuis, qui traditus fuit propter peccata nostra, & suscitatus ob iustificationem nostri.

**Q U O V D** de Abraam commemorat scriptura, inquit, non est eiusmodi, ut in eo uno debeat ualere. Non enim fides propter Abraam, sed Abraam propter fidem apud Deum gratiam obtinuit, & in eiusdem honorem fidei iustificatus est. Quæ si in illo tantum fides potuit, potest etiam in nobis, ut per eam iusti, & Deo grati efficiamur, si crediderimus, uidelicet & mortuum corpus ab Deo denuo uiuificari, & nouam prolem per fidem procreari. Atq; ista Abraam in semetipso credidit. Nos in **C H R I S T O** Iesu eadem credimus Domino nostro, Credimus enim **C H R I S T V M** Iesum, cum esset in mortem datus ob peccata nostra ut carnem peccati in nobis suæ carnis morte aboleret, atq; extingueret: ac si legis piacula etiam attendamus, ut subiret ipse supplicium pro uniuersis, lueretq; suo sanguine poenam, quam populi peccata meruissent, ipseq; uelut hostia peccatum in se omne susciperet. Cum esset igitur mortuus propter delicta nostra, à Deo etiam patre credimus è mortuis eum excitatum post fuisse, & in uitam rursus, nec iam mortalem restitutum, ut nos quoq; unam cum eo, peccato prius mortui, iustitiæ deinceps uiueremus. Atque hæc fides nostra ut spiritalior longe est, ita etiam præstantior. Etenim Deus ex Abraam per fidem corporeæ generationis longam posteritatem pertexuit; per fidem autem **C H R I S T I** infinitæ propè spiritalis generationis est author. In quo accurate illud inspicendum est, quam alto, & recondito consilio Deus fidem illam Abraæ, fidei nostræ, & corporea in eo signa carneasq; seminis, & generis propagationes nostris spiritalibus procreationibus præmiserit, qui circumcidi uoluit cunctam domum Abraæ eiusq; posteritatem in eo membro, quod est natura factum, attributumq; generationi, ut signo illo potissimum indicaretur fidem reddidisse Abraæ, quod natura iam ademerat, ut si posteriore tempore qui per carnem genus ex Abraam duxissent, ab aui sui fide erga Deum deficerent, commonefierent illo ipsomet circumcisionis signo sanctius aliud genus & meliorem sobolem semper Deum ex fide reparaturum esse. Quod cum per **I E S V M** Christum, & per fidem **C H R I S T I** qua Deo credidimus, factum sit, nouaq; spiritalis iam, non corporea proles in lucem & ueritatem sit edita, hærent adhuc tamen Iudæi in carne & præputio, nec à carnalibus possunt ad spiritalia conuerti. Credimus igitur **I E S V M** Christum mortuum peccatis nostris fuisse postea à Deo è mortuis excitatum, idq; ipsum fuisse mysterium nostræ redemptionis, quod & traditus fuit in mortem, donatusq; mundo ab Deo patre propter peccata nostra, ut diximus, & suscitatus rursus ad uitam ob iustificationem nostri, ut nos ad iustitiæ uitam resurgeremus. Peccatum enim in nobis mortis est, iustitia autem ex fide causa est uitæ. Abstulit ergo à nobis **C H R I S T V S** morte sua peccatum, & exur



& ex resurrectione sua tradidit iustitiam, ut quemadmodum ille reuixit in corpore, sic nos in spiritu ad iustitiam reuiuiscamus. Quod utrunque alibi Apostolus: Ut mortui peccato, inquit, iustitiæ uiuamus. Hæc enim uirtus est fidei nostræ in Deum per IESVM Christum, ut si crediderimus datum eum à patre, & donatum nobis ut morte sua in nobis causam peccati perimeret, ipsi nos quoque peccatum in nobis interimeremus. Rursus si fidem hanc reciperemus, suscitatum eum à Deo patre suo, postquam mortis supplicio pro nobis affectus esset, & in uitam nouam, deincepsq; immortalem fuisse restitutum, etiam nos cum eo in nouam uitam eiusdem beneficio Dei consergeremus, non illam carnis pristinam, quam prius abieceramus sponte CHRISTO commorientes, sed in eam iustitiæ uitam, quæ cum Deo, & cum immortalitate semper est coniuncta. Suscitatus est ergo propter iustificationem nostram, id est, ut nos fide suscitaremur ad uitam iustitiæ. Non enim erat satis mortuos esse peccato, neque id solum Dei beneficentia erga nos postulabat, sed illud quoque fides nostra ab Deo nobis impetrauit, ut per ex resurrectionem CHRISTI in ipsa Dei iustitiâ perpetuò iam uiuamus, in quo fides nostra fidei Abræ, ut spiritus corpori, & ueritas imagini respondere cernitur, siue adeo potius longe antecellere. Ille enim corporis, & ætatis uitio iam inhabilis ad generandum per fidem est adeptus, ut in eo membro reuiuisceret, quod gignendi uim habet. Nos in ea animi parte propter carnis uitium mortui, quæ iustitiæ & ueritatis & diuini luminis particeps est, uimq; in se continet noscendi, & imitandi Dei, ac sese ad eum patrem per spiritum applicandi, per suscitationem CHRISTI in ea parte ipsa, & in ueræ rationis lumine credendo Deo, fidendoq; reuiximus. Atq; ut ille sterilitatem fide perdidit, fecunditatem est affectus, sic nos peccatum extinximus, & iustitiam sumus nacti per fidem, quam in Deo suscepimus ex morte, & suscitatione Domini nostri IESV Christi.

IUSTIFICATI igitur ex fide pacem habemus aduersus Deum per Dominum nostrum IESVM Christum, per quem & introductionem habuimus fide in gratiam hanc, in qua insistimus, & gloriamur in spe gloriæ Dei. Neque hoc solum, sed & gloriamur in oppressiõibus, scientes, quòd oppressiõ tolerantiã operatur, tolerantia autem probationem, probatio uero spem, spes autem non frustratur, quoniam amor Dei effusus est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis.

POSTQUAM de fide, & uirtute fidei multa & magna sunt dicta, eò nunc se confert Apostolus, ut statum nostrum in fide manentium cuiusmodi sit, ostendat: cuius uerborum sententiam planè ut intelligamus, illud CHRISTI mysterium de quo antè satis dictum est, in memoria est habendum: per quod perspicuum factum est fidem CHRISTI potissimum consistere in eo, ut mundi posthabitis bonis ad Deum unum, & ipsius Dei præmia toto animo contendamus; quod mysterium quidem ipsemet fuit CHRISTVS. Qui enim huius cœlestis uere mysterij uim mente penitus imbibierunt, hi sunt, qui per fidem CHRISTO in carne commorientes, in animo, & uirtute ad iustitiam cum eodem sunt excitati, nec qualemcunque iustitiam, sed illam gerentem imaginem iustitiæ summæ Dei. Hi ergo tales fide iustificati pacem habent cum Deo. Hostem enim Dei ipsi in se interemerunt, carnem peccati uidelicet, per quam rectoribus mundi & tenebrarum harum impio antea militiæ sacramento erant obstricti, quodammodoq; in Dei contumeliam uiuebant, cum accepta ab eo naturæ & rationis beneficia non ad agendas illi gratias, sed ad contemptum & ignominiam nominis eius conuertebant, hoc perempto Dei hoste, quod nullo alio modo, quàm per CHRISTVM, & CHRISTI fidem fieri potuit, eadem fide iustificati per ipsum Dei filium cum Deo in gratiam sunt reconciliati. Ideoq; ait Apostolus, quòd iustificati iam ex fide pacem habemus erga Deum per dominum nostrum IESVM Christum. Neq; pacati solum, & in amicitiam cum Deo copulati, sed per eundem CHRISTVM dominum nostrum in hanc quoq; gratiam fide peruenimus



ipsomet deducente, & introitum nobis aperiente **CHRISTO**, in qua gratia insistentes, firmisq; in ea uestigijs constituti efferimus nos, atq; extollimus in spe gloriae Dei. Non solum, inquit, ita cum Deo reconciliati sumus, ut nihil ab eo iam poenae, nihil iracundiae extimescere debeamus, sed ultro etiam ab eo regnum gloriaeq; speremus, qua spe uiuimus laeti, atque alacres. Quod si huic spei obstare uideantur, quae ex mundo damna multa incommodaq; exsunt, quae uulgius mala esse arbitratur, neque ea putat cum hac Dei amicitia, & spe caelestis gloriae conuenire posse, responsione his Apostolus occurrit, exemplo quasi à gymnicijs certaminibus inducto, in quibus qui se ad cursum, aut pugilatum apparant, non antequam exercitato per famem, sitimq;, & per labores corpore sudorem & puluerem, & solem ipsum ferre tolerareq; didicerint, ad uictoriae spem habentur idonei; sic nos, inquit, non solum extollimur spe quod Dei gloriae futuri sumus participes, sed in illis quoque oppressiõibus, gloriam nostram ponimus, quae nos undiq; affligunt, & premunt, probe scientes, quod oppressio, atq; arumna tolerantiam in nobis confirmat, tolerantia autem efficit probationem. Vbi enim perferre & tolerare didicerimus, tunc probamur, idoneiq; habemur, neq; à cæteris tantum, sed à nobis quoq; ipsis. Ipso enim experimento percepimus esse nos ad dura, & aspera perpetienda fortes. Porro autem ipsa probatio spem alacriorem in nobis excitat, magis nos Deo etiam futuros cordi, cui nostram fidem, constantiamq; in rebus molestis, aduersisq; exhibuerimus. Quae spes profectò nobis poenitenda non est. Non enim illudimur ab ea, non decipimur, non illa nos nequicquam ut speremus facit, quando certus, & fidelis sponsor illius est amor ille erga Deum, quem totis cordibus hausimus, & Dei item erga nos, effusus in nos per spiritum sanctum, qui ab eodem Deo nobis datus est. **HICIVLIUS**, amoris huius, inquit, uel diuini erga nos, uel nostri aduersus Deum ex quo spes nostrae ueritas demonstranda suscipitur, uideo causam ab Apostolo spiritum sanctum afferri, qui Apostolis datus est, non occulto solum afflatu, sed missione manifesta, cum in flammeis linguis singulis eorum dispertitus est, quo quidem spiritu sancto certi sunt facti spem apud Deum futurorum bonorum suam nequaquam irritam, neque inanem euenti fore. Non enim tantum habuerunt necesse credere, sed uiderunt planè, & tanquam manu contrectauerunt extare erga se studium, & beneuolentiam summi Dei. Itaque amore ipsi uicissim aduersus Deum conflagrauerunt, spiritusq; idem in illis sanctus certissimus sponsor & ipsorum fidei, & Dei erga ipsos uoluntatis fuit. Nobis uero, qui in hoc mundo ita uiuimus, ut quotidianis uariarum prelijs cupiditatum exposita sit uita nostra, qui ita stamus in fide, ut nonnunquam tamen, atq; utinam ne nimium saepe carni, & cupiditati ipsi concedamus, quid polliceri potest certi iste in Deum amor nullo praesertim perspicuo spiritus sancti dono confirmatus: aut quomodo nostra non potest spes decipi? Nam quod in hoc loco à plerisque sanctis uiris asseritur amorem hunc nobis, & spiritum simul sanctum in baptismo infundi, non mihi satisfacit, quippe multos qui uideam sacramento illo initiatos, nec amoris tamen erga Deum, nec spiritus sancti ullius participes esse. **TVM EGO**: Rem quaeris Iuli cognitione dignam, locumq; ipsum sanè acute es conspiciatus, in quo percontandi occasio idonea sit. Facile enim haesitare quis possit, ubi Apostolus cernitur ualido uelle quasi argumento corroborare spem nostram, quod uacua, & inanis ea esse non possit, illud praecipue in confirmando ponere, quod non minus ipsum alia confirmatione egeat. & iure quoque illud adiecisti, si Apostolis ipsis spiritus sanctus fuit aperte datus, ut dubitare non possent, nos non eadem, qua illi conditione ad cognitionem tanti benefici esse uocatos, quorum imbecillitati consulendum etiam fuit, ut ea à Paulo argumenta ponerentur, quae non in praesentia solum, uerum etiam ad posteros uim comprobandi, & confirmandi, si quis forte labasceret, essent habitura. Veruntamen ad Deum eundem ipsum confugientes, quod in omnibus arduis, & difficilibus quaestionibus conuenit à nobis fieri, ipsiusq; clementiam & bonitatem implorantes oremus suppliciter, ut ex eodem spiritu sancto, de quo loqui instituiimus, ueritatis nobis lumen ostendens sensum horum uerborum, & argumenti uim, in quo permagna est fidei, & spei nostrae confirmatio, patefacere dignetur. Ac ut reuocem te saepius mihi frater



frater ad considerationem mysterij fidei, quod est **CHRISTVS**, de quo tot & tanta dudum locuti sumus, recordaris profecto uim totam & spei, & fidei erga Deum nostræ in eo consistere, si contemptis mundi huius rebus nos totos in Deo penitus constituerimus, nihilque duxerimus neque expetendum, neque bonum, nisi quod ab eo ipso nobis promissum, ostentatumque sit, quo fundamento posito, uideamus modo de spiritu sancto, quo ille nobis pacto immittatur, & quemadmodum is certissimus sit sponsor futuros nos compotes cœlestis ab Deo gloriæ. Etenim si hoc istud ipsum, quod mysterium fidei nobis, & **CHRISTVS** ipse enunciat negligenda esse terræ bona, & appetenda cœlestia, uerioris est iam, & melioris spiritus, ac rationis, quam illa sunt, quæ mundo nos, & mundanis cupiditatibus deuinciunt: ut cum ratiocinemur quærendas esse opes, ambiendos honores, expetendam ab hominibus gloriam: si hoc inquam quod credimus ad cœlum esse, & ad Deum solum adnitendum, dumque is possideatur, & teneatur, reliqua pro nihilo ducenda, neque de mundo est, ut quod repugnans omnino, contrariumque sit cogitationibus humanis, & spiritus tamen est, quam ille mundi multo præstantior, ipso primo statim afflatu fidei **CHRISTI** diuini iam spiritus incipimus esse participes, quam ut terreni homines existimari debeamus. Atque hæc sunt fores, & primus quasi introitus ad plenam in Deum fidem, quem quidem aperuit nobis baptismus. Hoc enim sanctum, imprimisque salutare ecclesiæ sacramentum obices eos repellit, & disijcit, quos ad aspernam fidem **CHRISTI** prauis imbuta opinionibus sibi ipsa prius præstruxerit contumacia. Sed intrandum magis est. Sequitur enim alterum spiritus sancti donum, quo illa, quæ in ueteri scriptura in corporibus, & corporum actionibus designata sunt, nos ad spirituales intelligentiam transferimus. Quis enim aliter Rex perpetuus Dauid, regnum sempiternum, possessio terræ finem non habitura, templum semper stabile, chori, coetusque illi canentes æternam laudem Deo queunt rite intelligi, nisi ad spiritum in quo solo est perpetuitas, referantur? Quid ualebit circuncisio, quid sabbatorum requies, quid illa ipsa fides in Abraam, filijque eius Isaac immolatio, si non horum omnium spiritualis intelligentia sit? Quanquam quid singula commemorem, cum quæ in Iudæorum legitimis germanisque uoluminibus perscripta sunt, ad eandem omnia spiritus rationem accipienda sint, quod Iudæi ipsi non uiderunt, ut qui uelo interposito impediabantur, illo nimirum quo Moyses legem illis promulgans os suum obtexerat, quo nos reiecto uelo in faciem ipsam legislatoris aspeximus. Hoc ne inane tibi donum à spiritu sancto nobis tributum uidetur esse? **MINIME** uero, inquit ille, sed & insigne, & certum, ut iam ex his duobus indicijs satis nosse ualeamus spiritum sanctum à Deo nobis datum esse. **ENIMVERO** **IULI** cum alia quoties Paulus dicat spiritum arrabonem nobis datum futurorum bonorum, hoc est eorum, quæ oculis non comprehenduntur, sed sunt cœlestia, & immortalia, tametsi principes illum Apostoli, ædificatores ecclesiæ **CHRISTI** in flamma, & sonitu etiam acceperunt, ut sentire eum, uidereque possent, num iccirco nos non sentiemus, quod eum oculis minime cernimus, cum tamen in intimis nostris sensibus, hoc est, in ipsa cognitione, atque mente illius nobis uis perspicua fiat? Nam quid est habere nos spiritum arrabonem futurorum bonorum, nisi quod cum sola spiritualia æterna sint, qui spiritualia intelligat, atque optet, habere eum iam immortalitatis arrabonem? sicut ad Corinthios scribens ait Apostolus, Etenim qui sumus in tabernaculo geminus onerati propterea quod nolumus exui, sed superindui, ut absorbeat mortalitys à uita. Qui autem fecit nos in hoc ipsum Deus est, qui idem dedit nobis arrabonem spiritus, ut ista ipsa intelligeremus uidelicet, quæ optamus. Et alio loco, Qui confirmat nos uobiscum in **CHRISTVM**, & unxit nos Deus, qui & obsignauit nos, & dedit arrabonem spiritus in cordibus nostris. Et ad Ephesios, In **CHRISTO** inquit, speratis & uos audientes uerbum ueritatis Euangelium salutis uestre, in quo & credentes obsignati estis spiritu promissionis sancto, qui est arrabo hæreditatis nostræ. Certe enim is, qui intelligentiam nobis diuinorum ueram dat spiritus, cum idem etiam spem, & fiduciam dat illorum quæ penes deum sunt adipiscendorum, uere illam dare nobis est accipiendus, ut sit idem spiritus & doctor, & arrabo futurorum nobis bonorum



bonorum: quem Ioannes spiritum uocat ueritatis eumque à mundo non posse capi affirmat, quia cum non cognoscit mundus. Qui enim queat nosse? cum spiritus sanctus nihil omnino rationis cum mundo habens, nos quoque abstrahat & auellat ab eo, ad superioraque pertrahat: ipse autem mundus in suis terrenis sordibus iaceat obuolutus?

PLANE ita est Iulius, inquit, & hoc certe spiritu, quod inficiari nemo potest, altiores efficitur, quam ut in terrenis rebus aut animi & mentis lumen, aut spei nostrae fructum defigamus. QUID IULI, inquam, cum illas eodem spiritu adipiscimur uirtutes, quibus comparatae illae, quae ex lege, & operibus legis sunt, usque adeo sordeant, necesse est, ut propemodum iustius in uitae partem, quam in uirtutis numerari posse uideantur, cum non ita suum cuique reddimus, ut nostrum teneamus, non ita sumus benefici aduersus amicos, ut inimicis malum minitemur, non sic fauemus, & suffragamur optatis ceterorum, ut dignitatem, & commoda, & fortunas nostras priores habeamus, sed diuino illo genere iustitiae per fidem CHRISTI ornati, atque repleti, quo proxime accedimus similitudine ad ipsum Deum, in iuuando, benignaque faciendo pares omnes ducimus quibus cum quippiam agendum nobis, & communicandum sit, cum rem, operam, fidem, consilium, auctoritatemque nostram inimicis aequae, atque amicis paratam esse uolumus: cum omnia agimus salutis ceterorum causa, nihilque omnino ad nos, sed ad Deum ipsum cuncta referimus: cum inter humanas curas & sollicitudines rerum innumerabilium, quas mundi aestus hominibus affert, nihil animo commouemur, sed in omni motu, tempestateque fortunae tanquam inter fluctus scopuli firmi, atque haerentes in spe Dei consistimus: cum sic nos gerimus, sic uiuimus, sic proximos exemplo nostri erudimus, ut praenobis feramus speciem non terrenorum hominum, sed mortalium quodam modo deorum. Ista ne tot, ac tanta contra usum consuetudinemque naturae Christianae mentis miracula, sic enim profectò appellanda illa sunt, absque manifesta spiritus sancti missione patrari posse à nobis ac effici credendum est? quae maiorem mihi uim habere etiam uidentur, clariuscque praebere documentum potentiae, & beneuolentiae summi Dei erga nos, necnon ueritatis fidei eius, quam profiteremur, quam si mortuorum corpora ad uitam reuocamus. Siquidem longe potentius est, & maiore admiratione dignum, uniuersam hominis naturam peremptam iam inde de principio in patre nostro Adam, & tot annorum millibus in terram defossam ac consepultam excitare subito ad caelum, & ex corporea spiritali reddere, quam uita defunctos facere ut reuiuiscant. EST SANE inquit, Et uero ista mi frater mihi iam aperiunt aliquanto etiam euidentiore ex his esse nobis, quam fuerit ex igne, atque flamma Apostolis, spiritus sancti missionem. Et si illi quidem omni ratione illum hauserunt, & nimirum, quam nos, multo abundantius: sed ille ignis tunc, & flammæ splendor illis datus est, ut quemadmodum qui aedificium aliquid instituunt, fundamentum ipsi operis explorant, & intuentur, quò deinde eorum freti fide, ac diligentia qui succedunt, confidant extructionis firmitati: sic primae illi ecclesiae fundamenta operis cum iaciebantur, inspicunda data sunt, ut de quo principibus illis omnibus modis fuisset compertum, id postea nos pro non dubio acciperemus. AT QVI IULI de his potissimum uirtutibus & potentijs loquitur Paulus, cum Galatas dehortans à susceptione legis, in cuius fuerant ritus, & obseruantias à falsis apostolis inducti: Qui igitur, inquit, suppeditat uobis spiritum, & operatur uirtutes in uobis, ex operibus legis, an ex auscultatione fidei id facit? Dum enim manifestum, & commune indicium ponit uirtutes eas, quibus exorantur, qui auscultant fidei, de his profectò uirtutibus loqui est existimandus, quae hominem faciunt ipsum in semetipso, quam in ullis extraordinarijs operibus & factis admirabiliorem: quanquam, ut dixi, nihil tam extra ordinem sit, quam in corpore, carneque humana Deum habere ita coniunctum, ut in omnibus dictis, atque factis diuinæ semper uirtutis imago ex nobis effulgeat, quas nimirum uirtutes, cum se ad fidem Christi Galatae contulissent, erant consecuti, ut continentes, ut probi, ut aequanimitate praediti, ut iniuriarum, damnorum, contumeliarumque tolerantes, ut à mundi, & fortunae premijs, honoribusque omnibus ob amorem Christi facile essent disiuncti. Quarum quidem uirtutum ne umbram quidem, aut simulacrum aliquod expressius poterat



poterat lex in moribus cuiusq̄, animoq̄ formare, ad quam tum quidem legem, cum  
 se referrent Galatæ, præclaram illam **CHRISTI**, & fidei ædificationē destruebant,  
 uimq̄ diuinæ iustitiæ, quæ homines in cœlum rapit, & ab omni seruitute animos li-  
 berat, sub legem rursus & sub præcepta legis subiiciebant, ut fierent seipsis eo pacto  
 inferiores. **ERGO IVRE** reprehēsi ab Apostolo, & tanq̄ amētes castigati sunt,  
 inquit. **QVARTVM** restat adhuc, inquam, quod est palmarium, quo spiritum iam  
 sanctum in igne & flamma aspicias, largumq̄ ex eo lumen ad hanc Pauli indicandam  
 illustrandamq̄ sententiam tuo arbitratu deriuēs. De amore ipso loquor, quem erga  
 Deum sic toto corde concipimus, ut exuberet largiter, & in omnes deinde proximos  
 etiam redundet, nihilq̄ esse nobis gratum, neq̄ iucundum sinat, quod non sit Deus.  
 Nec uero idcirco Deum ipsum amamus, quod speremus, atq̄ expectemus ab eo ter-  
 ræ bona, liberos, sedes, domicilia, fortunas, & annuos agrorum fructus in pace, atque  
 otio fruendos. Hæc enim religio est Iudæorum propria, ob eam causam colentium  
 Deum, ut ipsis bene sit, & ipsorum liberis in his utiq̄ rebus, quæ ad incolumitatem,  
 & commoda mortalis uitæ spectant. Neq̄ rursus amore in Deum ea gratia accendi-  
 mur, ut cum hîc ad uoluntatem nostram uixerimus, animoq̄ & cupiditatibus uarijs  
 fuerimus obsecuti, nec quicquam nisi terrenum, & carnale cogitauerimus, tum de-  
 mum freti Dei misericordia, per quam peccatis nostris ad ignoscendum facilis est, ita  
 cœli præmium ab eo expectemus, ut quicquid in hac uita nobis iucundum, & suaue  
 habitū est, idem postea in cœlo & in altera illa uita nobis representetur, hoc uno dif-  
 ferens, quod tum futurum sit sempiternum. Ad hos enim fineis, & hanc huiuscemo-  
 di beatitudinem Maumethana tota lex intenta est, hoc deterior etiam, quàm Iudæo-  
 rum, quod illa tamen Moyſis lex à corporeis, & externis obseruantijs initium faciēs,  
 procedebat ad spiritualia: Hæc cum in spiritualibus ipsis fidei **CHRISTI** auxilio  
 positam se comperisset, ad carnem, & corpus retro reuoluta est. Verum, ut dicebam,  
 nos non ob hæc res Deum amamus, & colimus, quod in his, quæ extra ipsum nosq̄  
 sunt, indulgentiam ipsius experiamur, ac benignitatem: sed ipsum eummet, ipsum,  
 inquit, per se diuigimus, ipsum appetimus, ipsum uolumus, neq̄ est in cœlo, neq̄ est in  
 terra, neq̄ in uoluptatibus, neq̄ in magnis honoribus, neq̄ in bonis alijs quicq̄, cuius  
 flagremus studio, præterquam ipsius Dei. Hic amor in nobis, atq̄ hæc in cordibus  
 nostris charitas ubi accensa fuerit, quis non intelligat conuerso more naturæ mole-  
 sta fore nobis, quæ uulgò suauiâ ducuntur, & quæ aspera cæteris, nobis per iucun-  
 da: ut quod Paulus hic ait in oppressionibus, omnibusq̄ incōmodis gauisuri simus,  
 & de nostris damnis, calamitatibusq̄ gloriaturi. **EARE QUIDEM**, inquit  
**IVLIVS**, quod tum maxime locum occasionemq̄ habituri sumus approbandæ  
 domino Deo nostræ erga eum fidei, eximitæq̄ uoluntatis. Et uere mi frater, mecum  
 ipse, & cum animo meo reputans agnosco rem ita sese habere, ut tu dicis, ut cum ad  
 hunc gradum fidei perducti fuerimus, qui amoris, & charitatis totus est, tum sentia-  
 mus in nobis non hominem habitare iam amplius, sed Deum, siquidem maiora etiam  
 omnia tunc agimus, quàm pro humanis uiribus. **QVID MIRVM IULI**, in-  
 quam, cum & dimidium nostri tum penitus extinctum sit, atque adeo multo maxi-  
 ma potius pars, quantum scilicet ex nobis mortale, & caducum ad terram cōuersum  
 est, & in eius loco subditum, quod est cœleste, & sempiternum: Etenim quod iracun-  
 dum est in nobis, quod auarum, quod elatum, quod cōtumax, quod insidiosum, quod  
 uoluptati, molliciei, cupiditatiq̄ addictum, tunc euanescat totum necesse est, quibus  
 quidem ex partibus plurima fermè natura hominis constata est, atq̄ ex his constat.  
 Illud autem modicum, & nobile, & è cœlo originem ducens, quod plerunq̄ oppres-  
 sum, & redactum in angustum coarctatur, sæpe undiq̄ & à cupiditatibus premitur,  
 & catenatum pertrahitur illo in Deum amore excitatum, atq̄ adiutum, uimq̄ ignea  
 è cœlo nactum abruptis, aut liquefactis captiuitatis suæ uinculis, non in libertatem  
 sese modo, sed in imperium etiam uindicat, imperium autē eiusmodi, quo & reliquas  
 partes animi in eundem secum erga Deum affectum trahat, & ipsum terrenis rebus  
 iam deinde tanquam ad se minime pertinētibus nulla animi parte moueatur. De quo  
 amore, & charitatis dono Paulus ad Corinthios æmulantes inter se maiora charisma-  
 ta, illudq̄



ta, illudque præsertim linguarum excellere existimantes; Sectamini ne, inquit, meliora charismata; etiam præcellentem uobis uiam ostendo, sectemini charitatē, sine qua reliqua omnia dona spiritus sancti mortua sunt. **A S S E N T I O R**, inquit, & certissimum habeo, cum ad hoc studium amoris aduersus Deum peruenerimus, nihil esse, quod nobis à fortuna metuendum sit, nihil, quod ab insidijs hominum, aut uiolentijs formidandum, maximumque hoc esse iudiciū intelligo spiritus sancti intra nos tabernaculum sibi ad comorandum statuentis, cum ærumnas, & labores, & res omnes asperas non modo sine ulla mœstitia, sed cum lætitiā etiam ferimus, & cum uoluptate. Quemadmodum de Apostolis scriptum est, discessisse eos è conspectu concilij gaudentes, quoniam digni habiti essent, pro nomine **I E S U** cōtumeliam perpeti. **I A M V E R O I V L I** spiritus iste, de quo iam dudum loquimur, tibi ne uideatur præstantior esse, & melior, quam is, qui nos assidue in terrenis curis retinet occupatos, an illū tu fortasse huic anteponis? **E G O N E V T** anteponam, inquit; iam si ista essem sententiā, quid me fieri posset amentius? **N E M P E E R G O** illum, inquā, qui nos ad cœlum & spem æternorum bonorum semper uocat, digniorem, & potiorem, & diuiniorem esse spiritū arbitrare, quā eum, cuius hortatu & monitiōis spei nostræ in terris omnia subsidia ponimus? **N O N** arbitror, inquit, sed intelligo certo. **E R G O** ueriores etiam, nisi tu sine ueritate præstare aliquid alicui, & dignius esse existimas. **M I N I M E**, inquit ille, puto, contraque habeo hoc potius constitutum, cum mendax, & falsum quicquid est, infirmū id semper, & ignobile, sordidumque sit, nullam ibi præstantiam, neque dignitatem esse, ubi non sit ueritas. Si ergo spiritus iste ex mundo non est, & est præstantior multo, quā ille mundanus, ac ueritatem omnem in se continet, cum aperit nobis fidei **C H R I S T I** mysterium, mundumque pro Deo ut derelinquamus, hortatur, cum corporea, & terrena illa opera ad spiritualem nobis intelligentiā conuertit, cum diuinis uirtutibus nos exornat, cum amore in Deum totos rapit, nequaquam est pertimescendum profectō, nec uel minimum dubitandum, quod spes nostra nos fallat, quam reposuimus in bonitate, & gratiā & clementiā summi Dei, nos esse illum uidelicet in præmium fidei nostræ, & ipsius gloriā affecuturos, cum præsertim iste amor, qui in Deum nos inflammat, unus sit, atque idem cum Dei amore aduersus nos; in eodem enim spiritu sancto, qui & amor Dei est, & ipse Deus, in cordibus nostris inhabitante, & beneuolentiā Dei erga nos ostenditur, & nostra inflammatur erga ipsum Deum uoluntas; ita tamen ut nostrū hoc ipsum Deum quod amamus, ab ipso amore in nos Dei profectum sit. Ille enim nobis plurima nimirū, & maxima amoris sui indicia ostendit. Ille uirtutes nobis dedit, ille ueras intelligentias, ille animi robur ad perferenda aduersa; ille etiam quod nos sibi alienos, atque adeo hostes in gratiam secum reconciliaret, filium suum unigenum in mundum misit, qui demonstraret nobis ad immortalitatem iter, & beatam uitam ostenderet, non in mundi delictijs, & prosperitatibus, sed in sola fide erga Deum positam esse, quibus de rebus uideamus, quid loquatur Apostolus.

**A D H V C E N I M C H R I S T V S** cum essemus imbecilli, tempore opportuno pro impijs mortuus est. Vix enim pro iusto quisquā morietur. Nam pro bono fortē quispiā audeat mori. Cōfirmat autem suum amorem in nos Deus, quod cū adhuc peccatores nos essemus, **C H R I S T V S** pro nobis mortuus est: multo igitur magis iustificati nunc in sanguine ipsius seruabimur per ipsum ab ira. Si enim hostes cū essemus, reconciliati fuimus Deo per mortē filij eius, multo magis reconciliati seruabimur, in uita ipsius: neque hoc solum, uerum etiam gloriā habebimus in Deo per dominum nostrū **I E S U M** Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.

**R E V E R T I T V R** Paulus ad id, quod antè dixerat, quod nūc ex fide iustificati cum pacem habeamus erga Deum, sperare possumus æterna bona, atque ita sperare, ut certō illa expectemus, idque sic se habere ex amore in nobis Dei, & ex ipso spiritu sancto



sancto probauerat, nunc alijs argumentis ex CHRISTO, & CHRISTI morte, ipsoq; Dei amore erga nos idem ut comprobet, aggreditur, singulis penè uerbis arduas multorum quaestiones explanans, & dubitata dissoluens. Erant enim qui se opponerent, rationem petentes, cur non antè CHRISTVS ad hominum genus rediendum uenisset. His respondet Apostolus, quia eramus imbecilli, neq; tantum mysterium ferre adhuc poteramus, quādoquidem hominum genus tanquā homo unus primis temporibus aetatis suae lacte, nō firmo cibo nutrirī necesse habuit, ideoq; fuit non CHRISTVS populo Israēlitico, sed lex lata, quae quasi lactis in eo alendo gereret uices. At cur nunc uenit potissimum? quia tempus opportunum affuit. Vnde ista huic temporī opportunitas? huic est quaestioni alijs in locis ab Apostolo responsum, quoniam hoc praecipue tempore omnibus omnino hominibus in foueam interitus propter peccata delapsis magis enituit Dei omnipotentis gloria, & praestantius erga nos beneficium. Quod si idcirco datum nobis fuit, ut probiores, & iustiores, & Deo magis dediti redderemur, eo potissimū tempore decuit dari, quo & magis gratum nobis, & magis necessarium illud beneficium accideret. At quo pacto si hominū genus tunc maxime opertum, obrutumq; peccatis extitit, potuit esse idoneū, & ualens ad capiendum mysterium Dei? Hoc enim praeterea etiam uidetur posse opponi, cui nos quaestioni respōdemus, quia tunc maxime sibi ipsum diffidens de tota spe salutis suae, habuit necesse in Deo solo confidere, quae est fidei, & mysterij propria iam uirtus, ipsaq; Euangelij potentia, per quā unam salui esse possumus. Nunc ad declarationem, & ad Apostoli uerba ueniamus, quibus ipse exaggerat indicia benevolentiae Dei erga nos, quod pro impijs filium morti, ut liberarentur ipsi, tradidit, quibus si adhuc hostibus usq; eō indulsit, ut filium suū unicum mori pro eis uellet, quod eos secum redigeret in amicitiam, nunc amicis factis nō modo perpetuam salutem, sed ne gloriam quidem suam est denegaturus. Atq; haec quidem in his uerbis est sententia, si pro impijs enim, si pro hostibus, si pro peccatoribus filium Deus in mortē dedit: multo nunc magis eodē erga nos amore inductus pro fidelibus iam, pro iustis, pro amicis, non id modo est daturus, ut ab ira tuti simus, hoc est, ab ea poena, quā iratus Deus peccatis nostris potis est infligere, sed ut uitam etiam filij sui illā iam immortalem, & non terrenam, gloriamq; suam consequamur, idq; per eundem D. N. I. C. qui sicut nobis cum Deo reconciliationis fuit author, ita erit uitae, & gloriae impetrator. Nam quod interpositum est (Vix enim pro iusto quisquā morietur, nam pro bono quis forsitan audeat mori) sensum istum habet, ut charitatem CHRISTI magis expendamus, inquit, qui pro impijs, & pro hostibus in mortem se dedit, ex communibus eam hominum sensibus, & affectionibus aestimemus, inter quos qui pro iusto uolens mortem perferat, nullus ferē inueniatur, at pro bono fortasse quis eam audentius subeat. In quibus uerbis unum uni, iustus impijs, bonus hosti redditur. Sed qui pro iusto animam inducat mori, nemo reperiat: pro bono aliquis, ut pro filio pater, amicus pro amico, seruus pro domino, q; in hos, pro quibus morimur, ita amore & affectu cordis propensi sumus, ut bonū nostrum in illis sit. Pro iusto autē mori, in quo iudicium tantum nostrum sit, non amor praeterea etiam, neq; animi insignis affectio proorsus inauditum est. CHRISTVS ergo in quo neutrū extitit (nam & nobis antea nos impijs, & ipsi hostes eramus) cū est mortuus pro nobis, nouā profectō quandā, & omni inauditā tempore uim amoris erga nos, in Deo patre suo & in semetipso ostendit. TVM IULIVS: Moueor, inquit, animo uehementer, cū ista ex te mi frater audio, quae cū huius mihi maximi omnium doctoris magnitudinem mentis, admirabilemque scientiam, tum beneficiū omnipotentis Dei, bonitatemq; & patientiā IESV Christi ante oculos ponunt, iamq; praclare extare uideo, quod tu antè promiseras, si quis ista ipsa attentius inspexerit, diligentiusq; Euangelij doctrinam fuerit contemplatus, nequaquam eum ullo tempore de fide CHRISTI dubitaturum. Ita illustris, & perspicua uersatur mihi ob oculos fidei nostrae ueritas, multisq; multarum quaestionum, & difficilibus scrupulis per te mi frater, uel per eam potius, quae tibi tributa est ab domino Deo facultatem liberatus sum, qui etli non me illi quidem uel tantulum mouebant, ut ullis ecclesiae in decretis haesitarē; in eo tamen erāt molesti, quod eos saepe, quibus



cum disputabam, cum hæc ipsa illi, & alia non pauca obijcerent, per quæ lumini, & ueritati fidei tenebræ offundi quasi uidebantur, non poteram, sicuti quidem cupiebã, ea refellere. Nunc aduersus illos, & contra omnes præterea calumniantium argutias egregie armis spiritualibus instructus, nullum certamen deinceps pro ueritate tuenda detrectaturus sum, nullius uim ingenij formidaturus. Illud tantum doleo, quòd ad nos credentes iam peculiariter pertinet, ipsumq; ad me imprimis, etenim qui in hac fide CHRISTI nati, qui tanti mysterij participes, & consilij effecti, tanto ueritatis lumine simulatq; prodiuimus in uitam, per baptismi sacramentum illustrati fuimus, in eamq; sortem diuino munere uocati, ut supra hominis naturam ad societatem, & similitudinem ipsius Dei adiungere nos queamus, quamnam ipsi Deo gratiam, aut quod pietatis studium referimus? non ne multo maxima nostrorum pars ferè nunquam, nos uero qui doctiores, & acutiores reliquis uolumus esse, sanequã perraro in eam cogitationem deuenimus, ut statuamus nobis pie, & caste, & sobrie esse uiuendum: quod tamen consilium quasi uolucram umbram celeriter à nobis sinimus auolare, & cum sana mente eiusmodi quippiam decreuerimus, non esse nobis ab Deo, & à spiritu ad carnem discedendum, repente euestigio alij facti in id ipsum nos cõijcimus, quod fugere meditabamur. Quid est hoc? quæ hæc uis? qui animi error? quæ mentiũ caligo? Cur amor erga Deum noster, quem certe non inficiamus in cordibus habere, cur beneficiorum ab eo acceptorum memoria, cur fides, cur spes, cur diuinum illud uitæ beatæ præmium, regniq; cœlestis, ac sempiterni expectatio nos cõtinerere in officio non potest? Tantum ne ista ualeat, quæ circum nos est inducta caro? Hæc terrenæ induuix tantum habent uirium, ut me sæpenumero omnem cum Deo rationem habere meditantem è cœlo ipsæ deducant, atq; eijciant, cupientemq; hæere mentis, fideiq; complexu, in CHRISTO Iesu meo, proturbent inde tamen, diuellantq; à beata cura, & ad inquinatas ac sordidas detrahant cogitationes: Hei quam uerè cor, ne ista ingenij, scientiæq; facultas, quæ nobis idcirco à Deo donata est, ut ad eum facilius, amantiusq; accedamus, recidat in contrarium, fraudiq; nobis potius sit, qui quò plus intelligimus, hoc & offendimus grauius, & magis iure plectimur. **NOLI ORO** te, inquam, mi frater humanæ nunc statum cõditionis deslere, qui sic facti sumus, ut ne queamus in hac uita ullo à nobis pacto carnis molestias excutere: quippe illæ enim nobis natura agnatæ sunt, diesq; & noctes uiuunt nobiscum, suosq; eiusmodi habent motus, ut non solum rationi nostræ, sed ne Dei quidem uoluntati sint obtemperantes. Est enim nobis comparatum ab ipsa natura perpetuũ aduersus nosmetipsos certamen, grauisq; & laboriosa dimicatio, cum ut Paulus ait: Concupiscat caro aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, in qua assiduitate pugnandi aliquando carnem superare non mirum sit. Illam quidem Dei, & nostri prodicionem nefariam refugere debemus, ut ne carni spiritũ subijciamus uolentes, quo profectò nihil foret perfidiosius. Quòd si mente, & uoluntate perpetuò cum Deo erimus coniuncti, quemadmodum retentis mœnibus etiam si hostis uolitet in suburbij, spes tamen salutis adhuc firma est: sic nobis hærentibus in ipso Deo, uehementes, & subiti cupiditatum motus possunt interdum nos quidem affligere in terram, capere autem, abducereq; in seruitutem non possunt. Ad eam enim ipsam Dei gratiam, è qua paulisper excidimus, dono illius misericordiæ cito restituimur. Itaq; imagine similitudinis quadam, si tamen est fas ista sic proferre, & diuinis assimulare mortalia, CHRISTVS ipse quoq; in arce patris sui, solioq; omnipotentis Dei nihilominus permanens ad carnem accipiendam inter homines delapsus est, qui quòd solus omnium hominum nullos unquam eius motus, nullas omnino carnis illecebras sensit repugnantes Deo, & rationi, fuit hoc diuinæ in eo naturæ, & sine patre generationis proprium, ad quam nos facultatem non possumus aspirare. Sed nunc mi frater quoniam ad uesperum iam inclinatur dies, & ista ipsa de qua iandudum loquimur, ad curam sui nos inuitat caro, concedendum illi est, maiorq; nobis fidei nostræ, qui illam alendam, tuendamq; suscepimus, quàm illius iniuriarum ratio habenda. Cras, & perendie, quando festi dies sunt, persequemur reliqua. Nunc deambulemus paulisper si placet, animumq; ab hac seueritate disputandi relaxemus.





**M**AGNA nobis agredientibus ad hanc rationē, exercitationemq̄  
 de Deo, & de diuinis rebus scribendi, atq; tractandi, proposita spes  
 fuit, nos non ingenium modo, quod ab Deo accepimus, nec cogni-  
 tionem artium optimarum, si quam eiusdem Dei beneficio obtine-  
 mus, ad eius ipsius, unde ista profecta sunt, honorem, & laudem gra-  
 to animo conuersuros, sed ceteris etiam affectionibus animi, quæ  
 multæ sæpe, & uariæ nos à rectis cōsilijs proturbant, modum ex ijs aliquem, & cum  
 bona ratione concordiam esse reperturos. Quæ spes, & cogitatio nostra nos certe nō  
 fefellisset, si, ut mentem, & uoluntatem habere in potestate, sic etiam imperare facile  
 ceteris animi partibus potuissimus. Nam cum ea, quæ sunt consilij & uoluntatis in  
 nobis, ita iam pridem Deo per nos dicata sint, ut firmiter in eo hæreant, nec uidean-  
 tur ulla unquam ui inde se diuulsura, illam alteram partem infidam, & turbulentam,  
 quæ in affectionum uarijs permotionibus cōsistit, sic cum alijs sæpe, tum uero in hoc  
 ipso munere, officioq; scribendi, incertam, fragilemq; experimur, ut nomen optimi, &  
 charissimi fratris, quod nobis sumpseramus ad animi iucunditatem, per eam nobis  
 conuersum sit ad dolorem. Labefactauit enim animum meum, & de constantiæ statu  
 conuellit illius nobis adempti, ereptiq; memoria, quæ hoc etiam acrior remansit in  
 nobis, quod graues nostri casus, & post mortem eius secuta tempora sæpenumero  
 me cōmonuerunt, quantum mihi in illo opis, atq; subsidij ad omnes fortunæ motus  
 fuisset ablatum. Non enim profectō mediocre aliquid in eo, neq; usitatum amisimus,  
 sed cum summum illud ingenium, quod cuncti in eo, qui id nouerant, mirabantur, cæ-  
 teri propter magnitudinem famæ, atq; rei uix credibile esse arbitrabantur, ita in om-  
 ni optima arte se excoluisset, ut non solum naturam, & consuetudinem reliquorum,  
 sed nostra etiam, qui instabamus, atq; hortabamur, studia superaret, tum summus in-  
 ter nos amor, summa concordia, summa communicatio rerum, consiliorumq; omnium,  
 quæ semper fuit, hanc etiam nunc uim habet in nobis, ut nequeamus, non & incom-  
 modum nostrum tot in illo rebus iucundissimis orbat, & acerbam illius, ac immaturam  
 mortem lugere: octauum enim annum, & uigesimum uix attigerat, cum ex hac  
 uita migrauit, cum si uelimus ea, quæ gessit, & quæ consecutus est, expendere, & nu-  
 merare, non ille propè adhuc adolescens, sed iam senex fato fuisse functus uideatur.  
 Nam ut Latinas, Græcasq; literas à prima pueritia penitus hauserat, tum legendis,  
 ac perdiscendis, utriusq; linguæ optimis authoribus reliquā, quoad domi mansit, con-  
 sumpsit ætatem. Post ad me conueniendum Romam profectus, cum cerneret genus  
 illud uitæ, quod apud principes cum autoritate, & gratia in maximis rebus agen-  
 dis, deliberandisq; uersatur, egregiam quandam habere ad benemerendum de pluri-  
 mis facultatem, idem ipse uitæ genus, atq; eadem studia appetiuit. Fuit enim, si quis-  
 quam unquam, ad humanitatem, ad liberalitatem, ad beneficentiam & naturam, & uolun-  
 tate propensus. Sed ut ad res gerendas omnibus copijs, opibusq; prudentiæ in  
 omnem partem fieret paratior, ad eam sibi præcipue comparandam incubuit, quam  
 in omni parte, & actione uitæ plurimum ualere sentiebat eloquentiam. Eam porrò,  
 cum intelligeret sine philosophia expolitam planè, atque perfectam haberi non posse,  
 se, admirabili quodam, & inaudito studiorum cursu, omnia Platonis scripta, Aristote-  
 lisq; perdidicit. Non enim fuit illi ingenium ex eo genere, quod laudare tantummo-  
 do & probare, sed quod admirari, & ut superius hominis facultate, suspicere etiam so-  
 lemus: memoria porrò tanta, ut quæcunq; audierat, legerat, aspexerat, ea uel semel no-  
 tata, atq; animaduersa, in promptu postea proferre semper posset. Igitur trās-latus ad  
 actiones, & negocia, id de se breui tempore præbuit specimen uirtutis, humanitatis,  
 integritatis, prudentiæ, ut nulli iam maxime rei non cum ab ipso principe, tum à reli-



quis omnibus idoneus, & par esse iudicaretur. Sed nos hæc ipsa in eo intuentes tum quidem, & admirantes, etli in tantis coniunctissimi fratris, ad omnem uirtutem processibus, gaudio efferebamur, spemq; non dubiam eximia in eo dignitatis constitutam iam habebamus; tamen quod uim illam incredibilem ingenij in corpore præsertim tenui, & imbecillo, cuiusmodi illius corpus fuit, uix diuturnam fore sperare poteramus, erat quaedam admixta cum illa latitia nostra animi ambiguitas, & sollicitudo, quæ me miserum deniq; non fefellit. Atque ut omnia, quæ ante dixi, in fratre mei amantissimo, & mecum concordissimo, quandiu illis perfrui licitum fuit, uitam mihi iucundam, & lætam effecerunt; sic illo postea adempto, illa suauitate fraterna, illa spe, illis officijs, consuetudinibusq; priuatus, acerbum habui penè omne tempus, quod secutum est. Nec hoc ex Christiana ueritate, ac disciplina, peccatum enim meum prius ipse confiteor, neque in hoc fratri ipsi meo par esse possum; ille enim, quoad uixit, cætera ita egit, atque suscepit, ut ad Deum semper omnia referret: Ego, qui planè habeo cognitum talis animos, atque ita institutas in CHRISTI religione mentes, qualis illa fratris mei profectio extitit, non sibi finem uitæ, sed immortalitatis initium in ipsa morte acquirere, moueor tamen, & frangor animo, neq; in recordatione optimi fratris à gemitu, & lachrymis temperare possum. Quando enim sibi aliud tale inueniet solatium, iam senescens ætas mea: quando erit, qui mihi illum referat, in cuius item amore, & beneuolentia, sicut in illo faciebam, possim conuiescere? Quis mihi posthac illam curarum, cogitationumq; cõmunionem, & societatem simili cum fide consensioneq; præstabit? Atque ut hæc omnia aliquo Dei immortalis beneficio aliquando mihi contingant, illum illum animum excellentem, ac singularem, illam uim inauditam uirtutis, atque ingenij, quis mihi generi, nomini, familiaq; nostræ restituet unquam? ò fallaces ferè semper spes nostras, inanesq; & fluxas cogitationes, quæ cum sibi sæpe, magna proposuerunt, eaq; certo cursu comprehendere iam, terneretq; uidentur, repente tanquam umbris illusæ, & irritæ, nihil se solidum sectatas, sed tantum sibi pœnitere reliquum esse agnoscunt, atque intelligunt, nec tamen ista omnia ut contemnant, adducuntur. Ego cum fratrem non amiserim meum, sed in eum locum præmiserim, in quo uno beate, & sempiternæ datur uiuere, est quiddam tamen, quod me angit, & urget, nec esse sedato animo sinit, quod mihi fratrem ipsum meum desideratissimum, atque optimum, dies ac noctes offert, non ad lætitiã animi, quondam ut solebat, sed ad renouandum illius mortis dolorem. Quem aliquando omnem quæso abijciamus, & in te, ò bone I E S V, omnia uitæ solatia potius constitutamus. Namq; has curas, & sollicitudines rerum humanarum, si quis altius in eis mergat, & fluctibus illis ferri se patiatur, quis non intelligat, non ullū tutum ad portum, sed ad calamitates uitæ, & ad naufragia perducere? Vnus est portus capiendus nobis, atque tenendus, si esse uolumus salui, firma in Deo spes, & in obtemperando illius uoluntati dedita nostra uoluntas, quæ etiã si uehementiore aliquo animi motu perturbatur, & exterarum rerū impulsu concutitur; hæreere tamen in Deo parte sui potissima semper debet, neque unquam ab eo se totam dimouere. Quod si humanæ naturæ imbecillitate, nostra sæpe consilia franguntur, quæ sunt sua sponte directã ad summum Deum, tuum est, bone I E S V, præbere te ignoscentem prolapsionibus nostris. An tu cum nihil antea rei tecum nobis fuisset, cum alios quosdam etiam tunc deos, alios sineis, aliam uitam intueremur, in qua quidem ratione cæci, amētesq; eramus, accessisti ultro ad nos, ueritatem indicasti, peccata condonasti, uitam beatã promissisti. Nunc cum uolumus, cum laboramus, cum adnitimur, si non omnia profus impleuerimus, quæ abs te ad agendam diuiniorẽ uitam præcepta nobis sunt, idcirco non aderis nobis; neq; audies uocatus; nec labentis manu sustinebis; sed corruere potius, & allidi patiere? Hem I E S V bone, suscipe nos, & qui pro inimicis mortem uolens subiisti, nos certe iam amicos à morte uindica. Ac ne diutius in hac cogitatione teneatur oratio nostra, cum de Dei bonitate, & clementia ad ignoscendū dubium nemini sit, nosq; his de rebus pluribus locis dicturi simus, redeamus ad ea, quæ nobis instituta sunt, ut mysteria fidei CHRISTI in ipso Paulo peruestigemus. Quorum si partem aliquam, bonorum ingeniorum dignam cognitione, Deo nobis inspirante



inspirante, primo libro aperuimus, alter hic qui sequitur, non inferiora continebit. Nam ut surreximus mane, ego & Iulius frater, partemque eam temporis diuinis rebus dedimus, quae erat bono mori, & religioni debita, tum complexi manus inter nos, dum lectore nobiscum, ad easdem umbras perreximus, & in eadem, qua pridie fuera-  
 mus, confedimus exhedra. **TVM IVLIVS**: Non dici potest, mi frater, quam me tua hesternae disputatio delectauerit, eis de rebus habita, quae tamen solae, aut praecipue mentes bonas delectant. De Deo enim, & amore Dei erga nos, nostrorumque uicissim erga eum, qui audiunt, & intelligunt, nisi iidem penitus ab omni recto sensu aberrantes sint, iucundos quosdam motus interioris latitiae sentiant, necesse est, nequaquam comparandos cum uoluptatibus ceteris. Sed me cum alia multa affecterunt, noua mihi quidem, & antea inaudita, quae abs te prolata sunt, tum illud admirabile, penitusque reconditum praepotentis Dei consilium, quo filium ille suum unicum, in carne hominis misit, ad perhibendum testimonium ueritatis, ita me coepit, ut nunc iam non credere, nec persuasus esse, sed plane tenere, & scire mihi uidear, **CHRISTVM** esse unum, ex quo nobis sit uita, neque aliud nomen esse sub caelo, per quod credentes, salui fieri possimus. Proinde ego hac nocte mecum cuncta ista diutius uolutans, & non pauca aduocans cogitationibus meis scripturae loca, praesertimque ex Ioanne: Ille enim altius profectus in ipsa diuinitatis consilia se immergit, illam ueritatem spiritus, & natos ex mundo, aut ex Deo homines, & quorum non carnis, neque uiri uoluntas, sed Deus pater est: tum alia permulta, quae in eius Euangelio, tanquam semina uerae & uitae, & sapientiae dispersa sunt, sic percepi omnia probe, & enucleate, hoc per te introitu mihi patefacto, ut quae antea mihi erant perobscura, nunc lucere ea meridie clarius, & ante oculos posita esse uideatur. Quod idem in Paulo mihi usu uenturum confido, magno enim lumine semel introducto patere omnis recessus, & angulos quamlibet occultorum locorum necesse est. Sed tu, mi frater, intelligentiam huius mysterii, num ex commentatione multa, nocturnisque uigilijs, ac lucubrationibus, an alia quapiam ratione tibi comparasti: nam mihi quidem, si fari licet, quod cum bona uenia tua dixerim, hoc mihi hominis ingenio multo uidetur maius. **AN VERERIS**, inquam, ne mihi molestus sis, meumque offendas animum, si haec, quae loquimur de Deo, & de consilijs Dei, a meo tibi ingenio, non uideantur profecta: Non sumus, opinor, tam insolentes, Nouimus enim uires, & facultates nostras. Sed cum commisimus nos Deo, toto corde, & peccatore, ubi quid de talibus agendum, aut differendum est, tum quod menti nostrae ab eo illucescit, sic arripimus, tanquam id anteponendum longe sit ijs, quae diutissime a nobis quaesita, & inuestigata sunt. Quod ut magis credas, & mirere, Deum ipsum testamur, cui uni dediti sumus, nunquam ante hunc diem in quo de his agere coepimus, mihi huius arcani mysterii, non modo plenam notionem, sed ne uestigium quidem, ad indagandum ullum in mentem uenisse, quod nunc repente mihi totum apparuit, ut facile Dei donum id intelligatur, nec tam mea causa ab eo mihi tributum, quam & tua primum mi frater, qui ista maxime expetis, & eorum deinde omnium, qui ad Deum propius adiungere se uolentes, ea, quae mundi sunt, spernere, & repudiare sint parati. Nam qui in mundo curas, & cogitationes suas defigunt, ad haec lumina caelestis sapientiae prorsus sunt conuiuentes, tamque illa sibi habent tenebricosa, & obscura, ut nos ea lucere, & clarissima esse intelligimus. Quorum infelix sane, & miseranda est conditio, hoc quidem etiam magis, quod isti ipsi admodum sibi facti, & nimiumque esse docti, & callidi uidentur: qui nobis etiam illudere soliti sunt, quod persuasum habeamus, ea nobis praepotanda esse, quae ad manum non sunt, quorum autem est praesens, & parata possessio, ea posthabenda esse constituamus. etenim mens illis est hoc caeno, sordibusque terrenis coinquinata, & obruta, ut erigere sese ad intuendam spiritus uim nullo modo possit, nec in illo altero regno, quod a sensibus absconditum, puris tantum, & rite institutis mentibus manifestum est, partem aliquam sibi, aut locum designare. Qui si, ut fidei, & **CHRISTI** causam nunc omit-  
 tamus, uirili saltem animo, & consilio forent praediti, sine ulla nimirum dubitatione statuerent plus esse in his ponendum, quae sempiterna promittuntur, quam illis tribuendum



buendum, quæ certo noscuntur esse interitura. Quid est enim dementius, quam ihs con-  
 fidere quenquam, & gloriari, tanquam suis, quæ sua esse non possunt; atque illa con-  
 temnere, quæ si eius fieri possent, propria illi, & perpetua semper essent? Cum uero, si  
 fidei **C H R I S T I** uim, & diuinæ naturæ bonitatem attentius inspiciamus, neque in-  
 nis spes nostra, nec Dei fallax promissio esse possit, quis erit tam auersus à uero, qui  
 fidem nostram, inanem, infirmamque credulitatem, ac non stabilem, singularemque sapien-  
 tiam, illam autem rationem, quæ mundum magis sequitur, cognitionem certam, po-  
 tius quam leuem in opinando temeritatē esse constituat? **T V M I V L I V S**: **V**e-  
 rissima sunt hæc, mi frater, inquit. Nanque & ego fidei uim tacitus mecum contem-  
 plans, plus etiam sapientiæ in ea, quam credulitatis, uideor agnoscere, quanquam in-  
 est quidem utrunque, sed istud magis, nam & confidere Deo, magis quam mundo, ue-  
 rioris sapientiæ est, & sempiterna appetere, potius quam mortalia, animi multo præ-  
 stantioris. At enim ista à sensibus remota sunt. Quid tum? non ne & in istis curis, &  
 cupiditatibus, quæ mundi sunt, sæpe ea, quæ possidentur, & tenentur à nobis, spe plus  
 habendi, uel in honore, uel in pecunia erogamus, atque effundimus? certumque quod  
 est abiicimus, ut quod incertum, consecremur? in quo crebro solet cupidos homines  
 fortuna ipsa refellere. Atque hoc illis eo incommodius accidit, quod infinitis prius  
 sumptibus, laboribusque iactati, etiam si assequantur id, quod concupierunt, in quo spe-  
 rarant tandem se quieturos, in eo ipso maxime inducti, atque decepti, omnium curarum  
 stimulis, & sollicitudinibus anguntur. Nostra autem fides, hoc est, **I E S V** Christi, ea  
 nobis sola optanda, sperandaque proponit, quorum non in adeptione solum beatitudo,  
 & immortalitas, sed etiam in ipsa spe, atque expectatione iucunda uita consistit.  
 Non enim pollicetur nobis quicquam exiguum, aut mediocre, neque quod cum alia  
 re, si comparatur, ex ipsa contentione tenue, aut aspernabile queat uideri, sed ipsum  
 omnium rerum caput, naturæ totius principem, fontem lætitiæ, ueritatis, immortalita-  
 tatis, propria nobis possessione promittit, atque offert, cuius tam præcellis muneris  
 magnitudinem, si uere uolumus pendere, atque æstimare, omnis ex mundanis uolu-  
 ptatibus delectatio, omnis amplitudo imperij, atque honoris, cœnum nobis, & for-  
 des præ illo uideatur necesse est. Etenim omnes Deum, etiam inuiti, aut ignorantes  
 appetimus, summumque in eo bonum nostrum, si non cogitato, & explicito mentis con-  
 silio, at tacita naturæ cupiditate constituimus. In Deo enim omnes conditi, & facti su-  
 mus, in illo & uiuimus, & mouemur, quantumque ad illum contendimus appropin-  
 quare, ad eumque nos adiungimus, tanta nobis nostrimet & eius, quo uere sumus, sem-  
 per fit accessio, quæ usque ad diuinitatis consortium nos pertrahit, deosque esse facit,  
 ut omni mortalitatis fragilitate, morteque calcata, in sempiternis gaudijs, honoribusque  
 uiuamus. Hoc unum prorsus, si incomparabile donum est, si digna Deo uox hæc, &  
 tantæ præmij in eo fidentibus facta repromissio, uox, & oratio Dei ista ipsa **C H R I S T I**  
**S T V S** est, quo locutus est nobiscum Deus, quomodo optime, & commodissime lo-  
 qui potuit, **C H R I S T I** Iesu uidelicet exemplo, uita, sermonibus, per eum ipsum nos  
 admonens, ut à mundi cultu, amoreque diuulsi, omne in se uno amorem nostrum pone-  
 remus. Atque hæc uera, & unica in Deum fides est, quam sequitur diuinæ imitatio  
 iustitiæ, cui quidem iustitiæ similis & par uita coniuncta est particeps & ipsa diuini-  
 tatis, atque eiusdem cum ea sempiternæ beatitudinis consors, ad quam per unum  
**C H R I S T V M** est aditus. Ipse enim est illud ipsum mysterium, quod est abnegare  
 mundum, & in uno Deo spem ponere, quemadmodum ipse in Ioanne attestatur, quæ  
 discipulos commendat Patri: Ego dedi eis, inquit, sermonem tuum. Dedisti planè  
**I E S V** bone, quippe, qui temetipsum nobis, & salutem nostram tradidisti. Et mundus  
 eos odio habuit. Quid ita uero odio habuit? quia non sunt, inquit, de mundo. Iam  
 enim deseruerunt, iam repudiauerunt mundum, & idcirco odio sunt apud illum, quem  
 ipsi contempserunt. At cur de mundo non sunt? non ne & in mundo, & de mundo  
 erant nati? erant enim uero, sed ut me consequerentur, à mundo sunt diuulsi, atque ab-  
 stracti. Quia & ego, inquit, non sum de mundo, de mundo non sunt, sicut & ego non  
 sum de mundo. Quid autem quæso hoc tantum est, non esse de mundo? & esse in hoc  
 similem tui? quia aliter, inquit, uere sancti esse non possunt, Sanctifica eos Pater in ue-  
 ritate.



ritate, quæ est ista ueritas? Sermo tuus, inquit, ueritas est. Quid iste sermo, quid, inquam, est? ut abnegetur mundus, & solus expetatur Deus, quandoquidem utrique simul dediti esse non possumus. Iste sermo si in seipso spectetur, & in naturæ suæ ueritate pendatur, Deus ipse est, qui in CHRISTO fuit cum homine cōiunctus, si in nobis, uera est iustitia, & sanctitas, & uita in nos per Christum IESUM ab eodem Deo infusa, atque traducta, in quo fidei CHRISTI diuinum planè mysterium cernitur. Atque hic idem sermo, primò ut ex ore Dei egressus, & prolatus est, ab Deo in mundum fuit missus, qui fuit CHRISTVS. Deinde per nos à CHRISTO in eundem mundum propagatur, ut prædicâtes omnibus diuinam ueritatem, & tanquam palmites in uite fructu uberem ferentes, quàm plurimos in unum quasi corpus coagmentemus, quod uno capite CHRISTO, pluribus distinctum membris huius totum sermone ueritate, tanquam diuinitatis spiritu animetur, ac regatur. Sed ego nimium longe progredior, teq; ab instituta interpretatione impediō. sed ignosces mi frater: ego enim nocturnas meas cogitationes ardore animi quodam erga Deum incitatus, quin exponerem tibi, continere sane me non potui. FECISTI planè bene, mi charissime frater, qui hesternis disputationibus nostris, extremam manum imposuisti, remq; me frater, qui sic demum fore perspicuū arbitrer omnibus nosse ista uolētibus, fidem in Deum illam, quæ ex Deo sola sit, & quæ una hominibus ueram tradat iustitiam, commitemq; iustitiæ adiūgat immortalitatem, nisi in CHRISTO & per CHRISTVM nequaquam haberi posse. Quapropter hoc insigni & primario fidei mysterio, Deo nobis referate, iam indicato atq; monstrato, ad reliqua in ipso Paulo examinanda accedamus. Quod ut ordine instituto melius fiat, lege tu in codice quod scriptum est.

Propter hoc, sicut per unum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors, & sic in omnes homines mors commeauit, in quo, omnes peccauerunt, usque enim ad legem peccatum erat in mundo: peccatum autem nō imputatur, cum non est lex. Verum regnauit mors ab Adam usq; ad Moysen etiam in eos, qui non peccassent, in similitudinem præuaricationis Adam, qui est forma futuri.

CVM SVPRÀ dixisset Apostolus, de quo heri satis fuit disputatum, nos in CHRISTI morte, & sanguine Deo patri fuisse reconciliatos, & quod, si ille hoc pro nobis, cum adhuc essemus inimici, egerat tamen, & perpeffus fuerat, ut filium in mortem pater pro nobis traderet, filius mortem eam ipsam libente animo susciperet; multo nunc magis amicis iam factis uitam illam, quam ipse recuperasset à mortuis excitatus, immortalēq; iam possideret, CHRISTVM nobis daturum esse, & communiturum, ne Iudæus possit mirari, & forsitan hæsitare, quid nobis cū CHRISTI morte, & resurrectione sit, aut quo illa pacto pertineant ad nos: Eodem, inquit, quo peccatum, & mors Adæ in nos, hoc est, in omne hominum genus fusa est, & propagata. Sicut enim in peccato Adæ proprio, & uoluntario, illiusq; morte, nos nulla nostra peculiari culpa, similitudine tantum illius præuaricationis, comprehensi sumus, ut & peccatores simus pariter, & moriamur: sic in CHRISTI morte, & resurrectione nos nulla nostra propria uirtute, & iusti coram Deo effecti sumus, & uitam nouæ huius iustitiæ comitem accepimus. purgati enim à peccatis, atque illis mortui in similitudine mortis CHRISTI, & in similitudine eiusdem exurrectionis ad iustitiam restituti, uitam eandem iure, quam ipse habet, consequimur. Quemadmodum enim in Adam, qui typus fuit, & forma humanæ speciei totius, quæ ex eo erat oritura, impressio peccati & mortis iniusta eodem exemplo perualit in nos, & in totum posterum genus permanuit, ut quod ab illo, iudicio & uoluntate patratū fuit, id nobis postea, quatenus ex illo progeniti sumus etiam nil tale cogitantibus, naturale sit factum, quod à principio, & capite generis nostri dissimiles esse non possumus: sic in CHRISTO, qui typus fuit consequentium eum hominum, mors pro aliorum peccatis suscepta, uitaq; mox recepta, & peccatum interemit in his omnibus, qui e Deo geniti sunt,



sunt, hoc est, spiritali generatione procreati, & iustitiam eiusdem, uitamque insinuauit. Ac sicut propter Adam, non nostram nos, sed illius mortem morimur, hanc communem uidelicet, quæ in nobis naturæ est, in illo fuit culpæ, ex qua deinde culpa extitit, & facta est moriendi natura: sic propter CHRISTVM à mortuis excitatum non nostram uiuimus, sed CHRISTI ipsius uitam, illam iustitiæ scilicet, quod propria illa uita CHRISTI, facta est fidelibus cunctis communis. Mortuus enim nobis est CHRISTVS, ut nos illi uiuamus. Ita enim ad Corinthios: Si unus pro omnibus mortuus fuit, ergo omnes fuere mortui. Et pro omnibus mortuus fuit, ut qui uiuunt, non amplius sibi ipsi uiuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & surrexit. In CHRISTO autem mors, ut non peccatum ipsius proprium, sed nostrum secuta est, ita ista uita recta, atque sancta nobis per eum tradita, non propriæ nostræ, sed diuinæ in nobis per fidem iustitiæ est comes. Quod alibi Paulus innuit, sic inquit, Omnia duco esse quisquiliæ, dum CHRISTVM lucrifaciam, & reperiar in eo, non habens meam iustitiam ex lege, sed eam, quæ per fidem est CHRISTI quæ ex Deo est, iustitiam super fide. Exemplum itaque & uis ex forma mortis, & resurrectionis IESV Christi, similitudine eadem in nos transmissa est, sicuti peccatum, & mors per similitudinem præuaricationis Adæ in nos fuit deriuata. Sed sermo Apostoli mancus esse existimatur in hoc loco ab ijs, qui parum attendunt hoc exemplum Adæ non ideo præmitti, ut deinde sequatur in CHRISTO, quasi par pari facta relatio (nam id Paulus, aut ne quaquam possit, aut longo interuallo facit) sed sequi proxime dicta, & cum illis comparari. Sic enim CHRISTVS sanguine, & morte sua Deo nos reconciliauit, & per reconciliationem uitam etiam suam nobis dilargitus est, quemadmodum Adam peccato suo ab Deo nos distraxit, & per peccatum mortis effecit participes. Itaque illa duo uerba, propter hoc, superioribus uerbis magis adnectenda sunt, ut ita legatur: Sed etiam gloriantes in Deo per IESVM Christum dominum nostrum, per quem reconciliationem accepimus, propter hoc, id est, quia pro nobis & suscepit mortem, & exurrexit, ut non solum quis Deo nos reconciliauerit, sed qua etiam ratione, & quo pacto id egerit, à Paulo sit expositum, & ut exemplo id confirmet: Quemadmodum, inquit, per unum hominem peccatum, hoc est, simultas, & dissensio cum Deo, & per peccatum mors in hominum genus est transuecta. Sed tu fortasse Iulii, & de peccato, ut nostri appellant, originali, & de eius mortisque propagatione in posteritatem aliquid hoc loco audire uis. IMMOMO, inquit, & id quoque præterea, quomodo illam in patre primo generis nostri labem reparauerit CHRISTVS, cum nihilo post eum minus quam antea, & moriamur, & à peccando nequeamus esse immunes. FACIENDVM est, inquam, ut tu uis mi frater, & quoniam horum uerborum in Paulo difficilis est explanatio, cum auxilium ex Deo postulandum nobis est, tum tota res altius aliquanto repetenda. ID QUIDEM nobis etiam commodius fuerit, inquit, etenim quid aliud omnino quærimus, quam intelligere? BENE SANE: Verum uideamus, quid aiat scriptura, quæ Deum formasse hominem asserit è terra, gleba accepta, & inspirasse in eum flatum uitæ, hortumque mox constituisse in Eden ad Orientem, in quo hominem locauerit, quem finxisset, eduxisse quoque è terra in illo horto arborem omnem aspectu pulchram, gustatu iucundam. Porro horti in medio duas uel imprimis nobiles produxisse arbores: Arborem uitæ, cuius pomorum esus à senectute, morteque defenderet: & arborem cognitionis boni & mali. Cum ergo posuisset hominem Deus in hoc ipso horto, ut coleret eum & custodiret, ita illi omnia fruenda in eo, possidendaque permisit, ut solam interdiceret arborem noscendi boni, & mali: De cæteris inquit pomis, & nucibus cunctarum arborum uestro arbitratu comedetis, ex arbore notionis boni, & mali, fructum nullum edendi causa attingetis, qua enim die cunctaque comederitis, morte moriemini. Hoc Dei præceptum quorsum accipiendum sit, difficilis est consideratio. Nam nec inuidisse homini Deus tam præclaram cognitionem, ut illa boni, malique est, ullo modo est existimandus: & quomodo ex illa cognitione mors sequatur, item est admirandum. Sed nos contentionibus omissis, breuiter quod sentimus, exponere conabimur. Est igitur bonum duplex: Vnum est summum illud, & primum, quod Deus est, cui nullum omnino malum est contrarium, siquidem



liquidem ei, quod summe est, nihil è regione omnino est, quod aduersum respondeat. Alterum est bonum, cui contrarium opponitur, ex aduerso malum. In primo illo bono, ut omnis mali experte, uita tantummodo est. In hoc altero autem bono, quod nunquam solum, neq; syncerū, sed, ut sunt humana, mixtū cū contrario malo semper est, & uita, & mors similiter est cōiuncta. Cum ergo prohibebat hominē Deus, ab esu illius pomi, in quo boni, & mali cognitio insita erat, consulebat illius salutē, mori enim eum nolebat, uerum ita attemperabat uoluntatem suam, ut hominem tamē, quem liberum fecerat, præcepti necessitate nollet alligare. Boni itaq; illius maliq; cognitio ut uitaretur, demonstrata hominē est à Deo, ut ne in mali homo, & mortis plagas cōstringeretur, cui beatior multo fructus ueri eius boni noscendi & possidendi propositus esset, cuius gustum, & suauitatē nulla ex contrario malo amaritudo in uita, nullus mortis timor posset præterrūpere. In quo bono nimirū, qui Deus summus est, si se homo figere, & collocare constituisset, inuiolatā malis uitam, eamq; immortalē fuerat adepturus. Quoniam autē dimisso principe bono, alterum id genus boni potius est confectus, quod malum in se admixtum contineret, non mirum est, si in ea uita, quam magis appetiuit, mortem etiā contraxit, quæ uitæ illi necessariò inerat adiuncta. Sed scrupulus rursus & dubitatio; si enim huiusce boni, maliq; cognitio, effectrix est mortalitatis, quā potest illa esse in Deo? cum tamen Deus in scriptura sic loquatur, Ecce Adam factus est tanquam unus è nobis, noscens bonum, & malum, quem Dei sermonem, qui per ironiam esse prolatū uolunt, hi mihi non solum Dei maiestati, sed etiam scripturæ sanctæ grauitati, summæq; authoritati detrahare uidentur. Non enim certe, ironice id protulit, quod secutum est, ut prouideretur, ne de ligno uitæ ederet, & uiueret in æternum, quo Dei decreto Adam præceptus è paradiso exturbatus est. Nos autem dicamus huiusmodi boni, & mali diuersam in Deo ac nobis esse cognitionē, Deus enim à principio, & tanquam à causa ad cognoscendum illud decurrit, totaq; mētis, & intelligentiæ in Deo est cognitio; nos uero à sensu, ab usu, à contactu, ab experiundo, discernendocq; ad eandem nixi intelligētiam ascendimus. Porro autē non in eo, quod intelligitur, sed in eo, quod sentitur bonum, hoc & malum mortis causam affert. Itaq; ab ipso Deo non interdictū oculis hominis, qui & ipsi uim suam cognoscendi habent, quamquam non principem illam, neq; præcipuam, quæ est mentis & rationis propria; sed palato prohibitū, & gustatui fuit. Id enim iam erat bonū, malumq; in nos ipsos accersere, atq; insinuare si pomū comederetur. Hoc igitur bonū, quod prohibebat hominē Deus in pomi esu, mortemq; pœnam prauaricanti proponebat, mundus iste est, & mundana hæc uita, quæ falsis illecta, inductaq; uoluptatibus ueram adulterantibus speciē boni, ubi à uero & summo bono nos abstraxerit, in mœlitiis, & sollicitudinibus nos mergit, & in ipsam comitē mœroris deniq; rapit mortem, quod totum nobis accidit, quia mundi amatores effecti ab ipso Dei summi amore nos disiunximus. Hoc bonum secutus Adam, qui primò à Deo, tanquam in confinio utrorumq; bonorū constitutus, & simplicis illius, atq; summi, & huius cum malo, & cum calamitate mixti, ut utrum uellet, sibi deligeret: ubi se ad Euam, hoc est ad carnem suam, & ad mundanum bonum inflexit, dimisso diuino, hancq; naturæ suæ insitam cōditionem esse uoluit, ut mundi amator esset homo, & peccatū ipse commisit, mortemq; contraxit, & nos ex se progenitos in eandem mortis, atq; peccati induxit labem. Est enim in nobis etiam relictantibus, & inuitis ingeneratus profectò iste mundi amor, & dulcedo quadā mortalis uitæ, à Deo nos distrahēs, & boni illius fructū nobis diripiens, quod non summū modo, uerum etiam solum bonum est. Atq; hoc est peccatū originis mi frater, quod in natura nostra tantum labis induxit, quod si attentius considerare uelimus, quomodo & susceptū à primo patre Adam, & in nos natura transfusum sit, mortemq; acciuerit in humano genere, facile id possumus intelligētia percipere. ab hoc enim improbo, & deo infenso mundi in nobis amore cum cōtumacia illa nascitur, quæ nos Dei imperio, & uoluntati facit repugnantes, tum cupiditatum etiam in nobis, & amentium appetitionū, morborumq; animi, & perturbationū omnium turba exoritur, quæ tanquam rebellis familia, dominam suam oppugnat rationem, nullamq; ei partē temporis neq; diurni, neq; nocturni puram, & uacuam à molestia relinquūt, quod quidē hominē iure



euenit, quando ordine turbato si nos Dei imperio minus audientes sumus, nec animum ipsi nostrum in potestate habere debeamus. Natura igitur nobis iam agnatum est, quod in parente nostro fuit uoluntarium, ut & amemus mundum, & idcirco moriamur, præclaraq; hæc hæreditas mortis, atq; peccati ab illo parente nobis tradita est, quam necessario sequitur à summo bono alienatio, ut quia Deum non toto corde diligimus, omnes filij iræ in natura producatur, repulsi ab oris regionibusq; cœlestibus, & terræ dānatis partibus potius addicti, Carnis enim & cōcupiscentiæ sectam, imperiumq; sequentes, quæ ad terrā nos, & ad terrena bona deripit, spemq; in illis omnem, & fructum uitæ constituentes, dominum nobis mundum posthabito Deo facimus, & adoptamus. Ob quod uideamus, quid dicat scriptura factū fuisse Adæ: Et emisit eum, inquit, Dominus ex paradiso uoluptatis ad colendam terram, ex qua fuerat sumptus, & eiecit Adam, & collocauit eum in regione paradisi deliciarum. Vides ne mi frater totius humanæ uitæ formam, antequam Christus uenisset ad nos, in his scripturæ uerbis expressam esse? ex quibus intelligimus peccatum in nobis, quod hausimus ex Adam, atque accepimus, hoc ipsum esse, quod ad propiora hæc nobis, & præsentiora terræ bona delabentes, dominum mundum sequimur, Deum uerum relinquimus: Deus porro ipse zelotes est, neq; patitur deos alios præferri sibi, & anteponi. Ita enim inquit ad Israël: Non curuabis te ante sculptile, neq; id coles, quia ego dominus Deus tuus, dominus zelotes uisitans iniquitatem patrum in filios. Atqui sanè qui mūdum colunt, non sese curuant duntaxat ante illum, sed totos se in illum prosternunt, atque abijciunt, ut nullius sculptilis cultus, quàm hic mundi amor, & seruitus animi, quæ terrenis bonis sumus adstricti, Deo infensior atq; inimicior esse possit. **A T T E N D O,** **I N Q U I T,** & simul intelligere iam incipio, quid attulerit nobis Christus, & quem admodum is commune damnium humani generis aduentu suo correxerit, qui certe auocauit nos à mundo, & ad Deum uerum conuertit, docuitq; nos illo admirabili, uereq; diuino, uitæ suæ cursu, ut rationes uite nostras nō in hoc mundo, neq; in fluxis illius, & fugacibus bonis, sed in Deo & sempiterno bono omnes poneremus. Quam etiam deliberationem uitæ agenda in baptismo profiteremur. Verum mi frater scire ex te optarim, priusquam ad ulteriora gradiamur, quæ fuerit futura in Adam immortalitas, si peccatum ille non admisisset, & quo pacto in nobis mors ex peccato sit producta. **C U M F E C I S S E T,** inquam, hominem primum Deus, sic illum compactum esse uoluit ex mente, & corpore, hoc est, ex immortali, & ex mortali parte, ut pars tamen inferior superiori fuerit adhæsura, si in ipso fonte uitæ Deo mens primo ipsa hære uoluisset: aspectus enim ipse ad Deum, mentisq; conuersio prorsus illi subiecta, & dedita nequaquam ullam in partem sese commouens, spiritum inde illum uitæ asidue excipiebat, à quo primo facta fuerat in animam uiuentem, eumq; ipsa spiritum deinde in omne corpus rectis ordinibus trans mittebat, quod totum è rationis Deo inhærentis arbitrio dependens, nullis ipsum suis agitationibus turbatum, neque cum mente discors eodem illo Dei flatu implebatur, seseq; cum mente, & cum Deo uno nexu continebat, ut aditum nullum sibi mors, neque ianuam ad conuellendum illam consensionem posset inuenire: post uero mente, & ratione, per gustatum uetitæ arboris à Deo diuulsa, & in transversas detorta partes, cū obstructis aut declinatis meatibus illis, qui recti antea, & inter se congruentes spiritum Dei, & uitam in totum hominem influebant, mens primum ipsa, quanquam suapte natura immortalis, meliorem tamen in se diuinæ gratiæ, quàm naturæ suæ uitam amisisset, corpus quoq; quod sua sponte fragile, & pronum in terram esset, neque amplius medio intersepto cursu, uitam è Deo haurire, ut antea posset, morti concedere necesse habuit, quandoquidem nec stare ipsum ualeret per se, neque ipsius diutius in uita sustinendi ullam amplius haberet ratio potestatem. Ita omnibus in homine partibus dissipatis, atque conuulsis, secumq; & cum Deo discordibus effectis patefacta morti uia est, omnesq; sub illius potestatem postea successere. Ac duarum quidem arborum illarum, quas in paradisi medio à Deo productas legimus, altera fructus suos iam extulit cognitionem boni, maliq; uidelicet, quæ est à nobis carè admodum, atq; infeliciter miseria primum totius uitæ, deinde ad extremum ipsa morte comparata; alterius uero poma arboris nullum



nullum certe non ad finem à Deo producta sunt, quæ sunt uitæ effectiua, & immortalitatis. Nihil enim frustra, nonq; ad certos fines unquam agit Deus. Sed quoniam ita cecidit, ut seculum prius, & ista antecedens primi paræntis uitio hominum auersio à summo Deo, & ad mundum, terramq; conuersio arborem illam mortis & prauaricationis anteferret, altera arbor, quæ sit immortalitatis nobis restitutrix, filio ipsius Dei, qui nos erat à mundo ad Deum reuocaturus, tutus oq; illi seculo, in quo non amplius carnales sed spirituales uicturi sumus, fuit profectio reseruata, cuius uim, & admirabilem potestatem crux CHRISTI gloriosa in semetipsam suscepit. Ea enim uitæ uera arbor est, propagine culturæ cœlestis illinc huc traducta, quæ filium Dei in se panem uitæ & immortalitatis sublatum alte mundo exhibuit, quæ exportata fuit à Hierusalem eius ipsius humeris, quem ipsa latura erat, quò planum fieret cunctis ista animaduertentibus redemptionem humani generis non in una Iudæorum natione conclusam, sed cuncto orbi terrarum à Deo communicatam, & expositam esse, quam crucem cum esset illa teterimum antea omnibus, turpissimumq; supplicium, idcirco CHRISTVS suscepit, ut suum diuinum mysterium turpissimumq; penitus compleret, quo mundi infima omnia, asperaq; elegit, ut alta illius expetitaq; prosterneret, ne ad cœlum Deumq; ascendere nitentibus ea forent impedimento, cunctosq; commonefaceret & doceret non amplectendis mundi suauitatibus, & præmijs, sed uno Deo amando atq; expetendo ad honorem nos immortalitatis, & ad uera uitæ bona peruenire oportere. Verum ut redeamus ad conditionem humanæ uitæ, quam nobis primi parentis nostri culpa constituit: eiectione, atq; exturbato ex pacato illo loco in exteriorem terram homine, proposuit illi Deus labores, & sudores, uitamq; ut ageret difficilem, ac ærumnosam, mortiq; demum cederet, naturæ lege sanxit. Igitur ille miser gratia Dei pristina, arctaq; amicitia spoliatus, atq; orbatus, secum ipse semper discors, agitatq; metu assiduo mortis, & uitam trahens difficilem, atq; duram, mox in ipsa quoq; morte angelorum ferè illorum præda efficiebatur, qui grauiore errato, asperiore contumacia in ipsis suæ creationis primordijs Deo rebelles esse instituisent, cum Deum subijt misericordia, & cogitatio eiusmodi (liceat enim nobis, qui inter homines loquimur, & loquendo tempora producimus, de illis diuinis sine mora, & tempore consilijs humano modo loqui) in illa, inquam, æterna & incommutabili mente sic misericordia locuta est. Hocine est Deus opus tuum illud illud tuum, quod ut dignitate ceteris præcelleret, manibus ipse tuis supremum effecisti? quod ad imaginem tuam confinxisti: quod inferiori mundo, & animantibus reliquis tanto cum honore præfectum uoluisti: quò te cogitabas hæc cœli spatia, & has mentium sedes beatarum, frequentiores etiam, ornatioresq; redditurum, & in eorum loco, qui scelere suo inexpiablem cecidissent, incolas cœli homines te facturum? in quibus animum immortalem cum mortali corpore coniunxeras, non ut deterior pars meliorem obrueret, sed ut deteriori melior de sua nobilitate impertiret, quæ nunc conuersa ratio, & tota commutata est. Iacet princeps corporeæ naturæ homo à tua facie repulsus in umbra mortis, squalens, sordensq;, tantum iam natus ad mœrores, atq; ad ærumnas, ne finem quidem miseriarum in ipsa sibi morte reperiens, qui hoc dignior & nobilior uideretur fuisse factus, ut calamitosius deinde, turpiusq; concideret. Læsit ille te, uiolauit, offendit, fateor, sed tamen semetipsum grauius, nec cuiquam, quàm sibi inimicior fuit, ut certe immensam tuam bonitatem illius hæc culpa non debeat superare. Quòd si ego è tua mente non penitus excidi, si pristinus mihi apud te manet locus, si meæ tibi semper acceptæ, & nunquam ingratae acciderunt preces, miserere o pater æternus operis tui, & reduc illud in gratiam tuam, tuumq; primum uerius & potentius sit consilium, quàm hominis error, qui ea, quæ tu illi ad salutem attribueras, conuertit sibi ad perniciem. Quòd si te hæc ratio & miseri, atq; afflicti hominis non moueat misericordia, etiam ne impium illud genus perditorum angelorum, quod tibi è regione infestum semper & aduersariū est, hac tam opulenta præda, & triumpho deuicti, ac capti generis nobilissimi es donaturus? Hac oratione comotus Deus iam peccati, & iniuriæ immemor, respexit ad sese, & ad bonitatem suam, sapientiaq; sibi sua in consilio adhibita, damnum, quod primi hominis culpa cuncto generi humano



fuerat illatum, reparare constituit. **IURE ILLE** quidem mi frater, Julius inquit: quippe qui non ex misericordia minor sit, quam ex infinita uirtute, & potestate sua. **SED AD** huiusmodi reparationem, inquam, multa fuerunt opus. Nam cum semel à Deo, quod statutum est, nunquã postea possit, debeat uel rescindi, non alterius potuit sapientiã esse, quam diuinã, ita dirigere cursus rerum, ordinesq; actionum, ut in restituendo, & in reuocando ea, quæ conuulsa, collapsaq; procumbebãt, nullus fieret tumultus, nulla confusio, nulla conflictatio earum rerum, quæ simul stare, conuenireq; non possent: sed Dei consiliũ solutum, & liquidum, non impeditum, neq; anceps ad fines suos pertenderet. Itaq; cum duplicem homo mortem contraxisset, & illam corporis comitem, iam naturæ humanæ decretam, atq; adiunctam, & duriolem atq; infeliciolem alteram, qua à coniunctione & gratia summi Dei errore uoluntario idem homo cecidisset, ei in utroq; opitulari constituit Deus, ut & mentem hominis ad amorẽ sui, studiumq; retraheret, & corpus indueret, ac uestiret immortalitate. Sed hoc posterius, in quo nullæ nostræ partes sunt, totumq; est Dei potestas & deliberatio, sic est à Deo institutum, atq; ordinatum, ut optime, ac congruentissime institui potuit. Est enim corporum immortalitas in id tempus reiecta, quò lege expleta omnibus moriendi, quam semel legem latam rescindere non fuit fas, omnibus quoq; una nouã ad uitam consurgendi facultas concederetur, uel excitarentur potius omnes ad immortalitatem, non ex sua uoluntate, sed ex uocatione diuinã, qui si ut mortẽ oppetissent singuli, statim in uitam restituti fuissent, clamor, & concursatio, & strepitus abeuntium multorum, aliorumq; redeuntium: tum autem moeror in his, qui adhuc uiuerent, in illis, qui iam reuixissent exultatio, & ob futuram deinde impunitatem maior ad explendum oblatas cupiditates alacritas, Deiq; tuta contemptio, omnia in orbe terrarum confusione, & discordia, & insolitis motibus perturbassent. Itaq; sancte ac seuerè, summoq; diuinæ sapientiæ consilio in unum, atq; id extremum & ultimũ tempus cunctorum excitatio ad immortalitatem est reseruata. In altera uero parte ut ad amorem Dei homo reduceretur, mundumq; præ eo contemnere ut persuaderetur, quoniam in ea non solius Dei partes sunt, sed ad illius uirtutem, & potestatem necessaria etiam est nostræ uoluntatis consensio, quæ ab ipso nobis Deo libera est attributa, multo plus negocij ad prouidendum, & laboris fuit. Nõ enim solum suasionibus, & monitis in eam uoluntatem homo adducendus fuit, ut repudiato domino mũdo, totum se Deo dederet, atq; dicaret, sed & exemplis instruendus, & terroribus adigendus, & præmijs, atq; honoribus fuit inuitandus. quod quidem postremum in libera natura, atq; ingenua plus habere uirium, & momenti debuit. Itaq; huc potissimum incubuit diuinã sapientiã, cumq; cunctorum præmiõrum, quæ sensus moueant, præcipua uideatur esse immortalitas, quæ sit cum beata uita semper coherens, atq; coniuncta, huius maxime spe atq; expectatione consequendæ, fulciri hominem, & corroborari oportuit, ne illecebris mundi delinquitus, & captus, quæ languorẽ, & effoeminationem semper afferunt, ab illa intentione animi deficeret, quæ esset conuersa, & directã ad unum Deum. Igitur de principio Deus cum ipse per se à mundi initio usq; ad Moysen aliquot sibi homines delegisset, quos sponte sua, ut ceteros ad cupiditatem mundi prolabẽtes, in sui tamen studio, & amore retineret, lege post per Moysen promulgata & lata, prophetas per interualla temporũ misit, qui saluari fungentes legatione ad hominum genus perferrent hanc Dei erga ipsos plenam clementiæ, & benignitatis uoluntatem: qui tamen cum homines & ipsi essent, sæpeq; in his offenderẽt, à quibus alios, ut cauerent, admonebant, nec uerbi diuini uim, quam mortalis infirmitas non sustinebat, pleno documento hominibus enunciarẽt, filius est Dei ad nos postremo missus, cuius facta uerbis cum potiora etiam essent, cũ nulla præcepti uis tam absoluta esse possit, ut eam non ille uita æquaret, atq; expleret, facile est intellectum non eum nuntium duntaxat præcepti, uerbiq; paterni, sed uerbũ ipsummet, & præceptum patris fuisse. Qua de re satis à nobis heri fuit dictum. Verum is in mũdo apud nos constitutus, & ad eam rem natus, atq; factus: primum ut inter Deum & homines conciliator esset: amicitiamq; Dei per suam obedientiam nobis acquireret, quã Adam & sibi & nobis, mũdo & carni magis quam Deo obediendo, amiserat. Deinde  
quo



quo fructum huius conciliationis caperemus, ut illa nos doctrina cœlesti erudiret, mundi bona, malâq; in neutram partem nobis æstimanda; sed tantum in Deo spes ponendas esse, non solum ipse monendo, agendoq; id nos docuit, uerum etiam exemplo certo, atq; præclaro in semetipso nobis ostendit, quanta eam uitam, quam nobis agendam proponebat, apud Deum præmia, atq; ornamenta sequerentur. Surrexit itaq; in nouam uitam, & corpore immortali iam, atq; impatibili effecto, in cœlū palam ascendit, regnumq; sempiternum apud patrem est adeptus, aditu eodē nobis patefacto, ut si sequi illius uestigia uelimus, ad eandem & regni, & immortalitatis gloriā ualeamus prouehi. **DIGNVM HOC** mi frater, Julius inquit, illa diuina bonitate consiliū, plenâq; sapientiâ, & humanitatis deliberatio. Et quidem fuit æquum, ut primum cōsiliū Dei, quo ille erat ab initio hominem, ut is in perpetuum potius uiueret, fabricatus, cum de his, quæ esse possunt, quod melius est semper uelit Deus, æquū inquit fuit, ut pristinum illud Dei consiliū, errori, & peccato hominis præcelleret, hominibus ipsi per clementiam, & benignitatem id redderet, quo sua ille culpa fuerat priuatus. **ATQVI INQVAM** Iulii, si oportuit **CHRISTVM** Dei filium, hoc ita facere, ut exurrectionem corporum futuram, ipse à mortuis primus exurgens in semetipso cæteris ostēderet, eundē utiq; necesse fuit prius etiā mori. **ADMODVM** inquit. **QVID**, non ne hoc oportuit fieri reuera, non in imagine, & simulacro, quādoquidem nequaquam est diuinæ ueritatis, præstigijs uti, neq; uelle quenquam in errorem inducere? **OPORTUIT PLANE**, **NUNC** adhibe animū huc quæso, & rationem meam cōsidera. Electus est, qui suscitationem corporum hominibus in suo corpore ostenderet, eosq; illa spe, & expectatione tantī præmij ad Dominū Deum cōuerteret, qui si ipse fuit suscitandus, mori etiā anteq; suscitaretur debuit, & quidem ante mortem uitam aliquam degere. Nunc tu totum cursum hunc uitæ, mortis, suscitationisq; **IESV** Christi ita ne expendis, & æstimas, ut in eo tantū spectata sit exurrectionio, mors uero ipsa Christi & uita appendices duntaxat fuerint, nec aliquid ipse per se utilitatis & cōmodi humano generi ad cognoscendū Deum, colendumq; attulerint? **QVIS**, **HOC** impius sic fateatur, inquit? cum uita, & mors Christi tanto excellentiorem, quā corporis exurrectionio nobis ostenderit uitam, quāto beatius est fide, ac pietate hære in summo Deo, quā ipso corpore immortalem uiuere. Nanq; & hanc corporeæ uitæ perpetuitatē, si ab Deo auersa, alienaq; sit, miserimā dicere nō sum dubitaturus. **RECTE TV** quidem mi frater, inquit, etenim hac profectō magnitudine, & infinitate sapientiæ est Deus, ut cū quid agit, & constituit, non extremam tantum consilioꝝ suorum, sed & principia, & media diuinis uelit referta esse mysterijs. Sed iam cōparemus, quid ad reparandum Adæ detrimentū retulerit nobis Christus. Hoc enim opinor primo abs te fuisse quæsitū. Primū dico, quod præstantissimā omnium uitā nobis retulit eam mentis, animæq; uidelicet, quā solam uerā dicere non dubitamus, cū sumus in gratiâ, & amicitia cū Deo, quæ tota nobis per Adam fuerat amissa. Deinde quod immortalitatem corporum restituit, quanquam hanc quidē distulit in suum tempus optimis rationibus adductus. Sed eā certe in se ipse iam patefecit, planeq; ostendit nobis nō defuturam. Verū quæ illis duntaxat, qui cū pietate, & fide ad Deum se cōtulissent, iucūda, atq; optabilis, cæteris misera, atq; ærumnosa esset aduentura. Nam quod solet quarī utrū **CHRISTI** fides nobis originale peccatū abstulerit, abstulit nimirū ex ea parte, quatenus dissidebamus cū Deo, Deumq; nobis alium & dominū mundum cōstituebamus, quod erat tamē in nobis omnium malorū maximum. Carnis quidē repugnantiam, & dissidium cupiditatis cū ratione, menteq; reliquit, non ut ea nos obrueret, in terramq; deprimeret, quod ante aduentū **CHRISTI** usu ueniebat, sed ut uim in nobis uirtutis, tolerantiaq; acueret, præmiumq; nostrum corā Deo, & laudē ex uictoria nobis redderet insigniorē. Verū his iam enodatis, ut ego arbitror, & ad clariorem intelligentiā adductis, redeundū nobis est ad Apostoli uerba, nisi tu fortē aliud mauis. **HOC IPSVM**, inquit, nam mihi abs te de omnibus satis est factū. **CVM APOSTOLVS**, inquit, ex morte, & exurrectione Iesu Christi conciliationem ad nos cum Deo, & salutem, ac uitam diceret esse transmissam, ac nequis in modo, ac ratione dicti dubitaret, subiecisset statim exemplū Adæ, qui



qui & ipse potuisset à se peccatum & mortem in posteros transfundere, in hoc ipso Adæ errato aliquantum immoratur, ut melius demonstrata communi calamitate generis nostri, quantum Deo per **CHRISTVM** gratiæ debeamus, liquidius etiam intelligamus. Quemadmodum, inquit, per unum hominem peccatum in mūdum ingressum est, & per peccatum mors, & sic in omnes homines mors peruasit, in quo omnes peccauerunt, in uno illo homine uidelicet. In Adam enim generis capite omnes peccauerunt, cum peccauit ille, propriumq; & uoluntarium peccatum suum nobis cōmune & naturale reliquit. Quod & alibi Paulus: Quemadmodū in Adam, inquit, omnes moriuntur, ita in Christo omnes uiuificabūtur. Quod si in uno illo generis parente omnes peccauerūt, similes illi deinceps nati, atq; producti, peccati autē naturæ semper natura mortis apposita est, sicut in Adam peccauere omnes, ita & in Adam omnes moriuntur; eadem enim ratione, qua similes illi in peccato sumus producti, similes etiam in morte obeunda sumus. Vsq; enim ad legem, inquit, peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputatur, cum nō est lex. At quænam ista lex? nec dubitandum diutius est, quin de Moyſis lege sentiat, licet à doctissimis aliter sit interpretatū. Nam si de lege naturæ intelligat, quonam modo quæso exprobrat illa hominibus peccatum, & pœnam peccati irrogat, quæ uno ordine omnes ad pœnā, & ad mortem uocat tam innocentes, quàm noxios? Deinde quando ista naturæ lex non fuit, quam antè, in mundo cum esset nihilominus peccatum, post aduentum eius primo cœpit exprobrari, cum antea non exprobraretur: In pueris aiunt, quibus antequam lex rationis adueniat, peccata uitio non attribuuntur: Ergo in mundo Apostolus in pueris uoluit intelligi: quod nequaquam consonat. Nos uero potius intelligamus, & ante, & post Moyſis legem peccatum quidem fuisse in mundo, uerum ante legem incognitum fuisse, ideoq; nec exprobratum uera illa exprobratione scilicet, qua id peccatum est, in quo intelligitur Dei esse offensio, qui peccati intellectus per legem primum est cognitus. Ideoq; Apostolus: Per legē, inquit, est cognitio peccati. At enim fuit diu antè ab Deo & Cain, & Sodome, & in diluuiō omnibus exprobratum peccatum: sed nos de hominum iudicio, & exiſtimatione loquimur. Nam si uelimus Deum comprehendere, cum sit per legem cognitio peccati, sine lege Deus uel Moyſis, uel naturæ notionem peccati nullam habuisset; non exprobrabatur igitur peccatum cuiquā ante legem, quia nec sub uera peccati ratione cognoscebatur, neq; tamen ita anguste hoc interpretandum est, ut nemo unquam ante legem aut suū, aut alterius peccatum intellexerit, potuerūt enim id multi cognoscere, ex illis præcipue antiquioribus, qui propius ab origine, & creatione diuina cum abessent, eiusdem monitis Dei & legis uim, & peccati nosse potuerunt: sed quod in maxima multo parte, neq; hominum modo uerum etiam temporum, usu uenerat ut peccatum ignoraretur, id pro communi sumpsit Apostolus, qui etiam caute admodum locutus est, cum dixit, non imputatur: nō autem dixit, quod nemo illud imputat. Quod si occurratur ante Moyſis legem etiam alias aliarum extitisse gentium leges, quæ peccata hominibus exprobrarent, eaq; plecterent, iam dictum est solum id esse peccatum, in quo sit offensio omnipotentis Dei, quod ante Moyſis legem ignoratum mundo fuit, in quo quidem genere uno peccati sic intelligendo & hic, & ubiq; insistit Apostolus. Ante legem ergo quod erat in mundo nihilominus peccatum, post legem demū cœpit obiectari: namq; & ante legē ab Adam usq; ad Moysem mors regnauit, quod uidetur eo sensu dictum, quasi ex stipendio peccati, quod est mors, ostendere uelit peccatū in primo illo homine ab omnibus hominibus admissum unā & patratū fuisse, quippe cum omnibus item mors obeunda sit, ut ab illo fuit obita, in quo firmissimum sibi è lege aduocat argumentum. Etenim si lex, inquit, quæ est ab Deo omnia intelligente tradita, peccata quædam hominibus describit, eaq; suscipi interdicit, & uetat, quam si contra ueniatur, peccatumq; admittatur, mors est, nō obtemperāti pœna proposita, tanquam semper peccatum necessario mors sequatur; eadem profecto ratione, sed cōuerso ordine, si mors omnibus etiam ante legem illata semper est, pro aliquo utiq; peccato ab eodem summo Deo, qui & legem & in lege mortē, peccatis pœnam proposuit, illis fuit præstituta, sed nō omnes peccatis proprijs certa à se susceptis uolūtate offenderunt



derunt, qualia postea multa suscipi posse indicauit lex, & tamen omnes mortui sunt: ergo in uno homine, & parente primo ab omnibus comuniter hominibus fuit offensum. Hoc argumentum quantum uim habeat subtiliter intuentibus facile poterit apparere. Conclusum enim certè est, omnes in uno homine homines peccauisse, etià qui peculiare crimen in se non admisissent. Regnauit ergo mors ab Adam usq; ad Moysen, quod idem est, ac libero suo iure est per bacchata, neminem sibi eximium, cui parceret, ducens, ne ex eo quidem numero, qui ipsi ex sese peccatum non perpetrassent. At cur his saltem non pepercit: quia, inquit, si non proprium illorum, at originis peccatum, quod similitudine prauaricationis Adam transfulerant in sese, in illis est percussa. Forma enim totius generis humani in Adam primo extitit, ut quod in illo contigit, quantum ad peccatum spectat, quantum q; ad mortem, idem deinceps trãseat in omnes. Ipse enim Adam forma futuri est, ut quod in illo factum est, in alijs fiat. Vt & ad Philippenses: Imitatores mei estote, & considerate sic ambulantes, ut habetis formam nos, hoc est, ut quemadmodum ego me gero, item uos geratis. Sed quid: non ne & post Moysen mors regnauit: regnauit utiq;. Verum illud Apostolo imprimis est propositum, ut uno parentis primi peccato omnes omnino cõcidisse ostendat, idq; ex una omniũ morte nitatur cõprobare, quã etiã ante Moysen commune peccatum humani generis ultra fuerit, ut quasi regnare sit, suo iure, libere, ac suo arbitratu usam illã fuisse, quã postea sub lege cum quempiam legis uiolatorem perimebat, non tam suo iure in eo utebatur, quàm ex prescripto agebat, hoc est ex imperio, & potestate legis, ut regnare ante legem esset libero suo iudicio, & non interpellato iuris sui cursu generale peccatum in hominibus punire: post legem uero, ministrare iam legi, & seruitutem quandam in obtemperando illi suscipere, atq; contrahere. Nam si in hoc quoq; loco studeamus id asserere, morti dominantĩ in animas simul hominum & in corpora legem primum Moysis obuiam isse, illiusq; tyrannidem uocandis hominibus ad honorem, & cultum summi Dei, & ijs in bonis moribus instituendis repressisse, dicimus & ante legem uocatos à Deo in amorem, & cognitionem sui fuisse multos, legeq; nõ tam sublata post peccata, quàm aucta potius, multiplicataq; fuisse, quod & mox Paulus, & in alijs saepe locis repetit, atq; confirmat.

SED NON ut delictum, sic & donum. Si enim unius delicto multi occiderunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis IESU Christi, in multos abundauit: & non sicut per unum qui peccauit, donum. Iudicium enim ex uno in condemnationẽ: Donum autem ex multis delictis in iustificationem.

ABSOLUTA priore comparatione, qua ostenderat exemplo Adæ aduersus Iudæos obrectantes CHRISTO reconciliationem cum Deo, & uitam per unum IESUM Christum in omnes homines transmissam esse, sicut per Adam peccatum & mors in omnes fuerat transfusa: Nunc utriusq; factũ inter se & Adæ, & CHRISTI comparare aggreditur, utrum fuerit eorum ualidius, & fortius. In qua quidem contentione, gratia, offensione reperietur potentior, non numero quidem eorum, qui seruandi sunt, præ his, qui periere, sunt ue perituri. Non enim id nunc intendit Apostolus, nec libertatem suam cuiquam adimit, eligendi utram uelit sectam, siue interire ex prauaricatione Adæ cõstituatur, siue seruari ex obedientia CHRISTI. Nõ enim numerus eorũ hic, qui aut beneficio, aut damnatione comprehenduntur, inter se confertur, sed uis, & potestas peccati atq; gratiæ in comparationem est adducta. Primoq; ex utriusq; authore & capite, delicti ac gratiæ fit contentio: deinde ex duplicibus & gratiæ, & delicti effectibus. Ac primum: Si, inquit, unius delicto reliqui mortui sunt, hoc est, quod ipse appellat multi, ipsa multitudo uidelicet, multo magis gratia Dei, & donum, in gratia unius hominis IESU Christi in multos abundauit. In his enim uerbis uis & peccati, & gratiæ, ex nobilitate, & potentia eorum, qui utriusq; authores sunt, in cõtentionem adducitur. Peccati enim author est homo, gratiæ, & doni Deus. Si peccatum igitur ex unius peccato tantum ad mortem potuit, donum, & gratia ex



Deo multo plus ualebit. Ad quid autē sit ualitura, paulo pōst exponet, ut nimirum regnetur in uita. Porro quantum inter Deum, & hominem interest, tantum interest inter peccati uim, & uim gratiæ. Quod autem ait: Gratia Dei & donum in gratia unius hominis **I E S V** Christi in multos abundauit, sic est intelligendum, quod primus homo **I E S V S** Christus hanc in se Dei gratiam, & hoc donum accepit, & in seipso omnibus, sicut Adam primus peccatum in se concepit, & in seipso omnibus. Sicut enim Adam naturā in se hominis ad carnis, & mundi amorem posthabito Deo conuertit, & in eo omnibus Adæ filijs carnalibus illa ad mundum conuersio est facta; ita homo **I E S V S** Christus mortem carnis peccati in semetipso concipiens, eandem in omnes Dei filios spirituales immisit. At cur non spirituales homines eodem modo filij **C H R I S T I**, sicut Adæ carnales? Nempe ob eam rem, quod caput, & fons peccati, atq; carnis est homo. Ideoq; in carne filij Adæ sumus, gratiæ autem, & spiritus non est homo pater, sed Deus. Primus itaq; Adam homo peccare per sese ipse potuit, sicuti peccauit, & ideo est contaminati generis pater: surgere autem ad gratiam per sese homo non potuit, idcircoq; illam gratiā, & iustitiam, & uitam hausit ex Deo homo **C H R I S T V S** Iesus, & ex eodem Deo in **C H R I S T O** nos hausimus, qui per spiritum, & obedientiam, & fructum gratiæ Dei filij effecti sumus. Atq; hac comparatione inter authores peccati, & gratiæ facta, ad comparandos effectus utriusque peccati, gratiæq; procedit. Ac non sicut per unum, qui peccauit, donum quod, Concisus enim est horum uerborum sensus, perinde est, ut si diceret, Ac non sicut peccatum, ita donum, quorum utrunq; per unum inuectum est. At quamobrem non sic? Quoniam, inquit, iudicium quidem ex uno in condemnationem, donum autem ex multis delictis in iustificationem. Hoc est, inquit, interuallum, hæc distantia inter peccatum Adæ, & inter donum ac beneficium summi Dei; quod si ex unius iudicatione peccati omnes damnati sunt, tantumq; potuit peccatū unum, ut ualuerit cunctis ad damnationem, quantam uim illius beneficij esse oportuit, quod non ex illo uno peccato humani generis communi duntaxat, sed ex plurimis postea peculiaribus etiam peccatis nos restituerit in iustitiam?

**S I E N I M** unius delicto mors regnauit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, & doni iustitiæ qui ceperint in uita regnabunt per unum **I E S V M** Christum. Igitur sicut per unum delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unum iuste factum in omnes homines in iustificationem uitæ. Quemadmodum enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sumus multi, sic & per obedientiam unius iusti constituentur multi.

**I N E A D E M** insisit contentione Paulus apostolus delicti, atq; doni, & quod modo contulit uim, & facultatem illorum inter se, ex authoribus primum, ac deinde in seipsis & effectibus eorum comparans, atq; inquiring, quod si unum tantum potuit peccatum, ut omnes condemnaret, quantum plus potuit donum, quod ex plurimis peccatis ad iustitiam reuocaret? Nunc effectū alterum utriusq; adducit in comparationem, quod si à delicto regnum mortis per unum inductum est, multo magis per unum **I E S V M** Christum abundantiam gratiæ, & donum iustitiæ qui ceperint, regnabunt in uita, hoc est, si tanta est inter peccati authorem, authoremq; gratiæ differentia, quod unus illorū homo est, alter Deus, si tantum inter uim quoq; & peccati & gratiæ interest, quod uno ex peccato inducta est cōdemnatio, gratia nō unum modo peccatum, uerum innumerabilia peccata sustulit, cū fructus peccati sit mors, gratiæ uita, tantum etiam interuallum inter hanc mortem, hancq; uitam esse necesse est, quantum inter illa priora interfuit, ut quātum Deus homini, gratia peccato, tantum etiam uita hæc quæ ex gratia Dei per iustitiam in nos fluxit, illi mortī præponderet, quæ est ex peccato unius hominis inuecta, atq; hac effectuum utriusq; contentione facta, deinde in sequentibus uerbis modum exponit, quo per Adam læsi fuimus, & quo per **C H R I S T V M** seruati, quā dicit, quod per unius inobedientiam pecca



peccatores effecti sumus, & per unius obedientiam iusti. Verum quo pacto ex unius inobedientia nos peccauerimus, dictum iam est, nempe eo quod Adam à consideratione, & respectu Dei ad mundum, & carnem potius conuersus, in eorum non obediens Deo, eundem mundi amor est, & propterea in Deum inobedientiam transfudit ad nos, à quo mundi amore CHRISTVS sua cruce, & morte ad Deum nos reuocans subiectos ipsi Deo, & in obedientia deditos omnes, qui simul mundo cum eo mori uoluerunt, effecit.

Lex autem interuenit, ut multiplicaretur delictum, ubi autem multiplicatum est peccatum, superabundauit gratia, ut quemadmodum regnauit peccatum in morte, sic & gratia regnet per iustitiam in uitam æternam per IESVM Christum.

QVOD paulo antè posuerat in comparando, maiorem multo potentiam fuisse gratia, quæ nos ex peccatis plurimis ad iustitiam, uitamque reduxerit, quam peccati, quod unum, & per unum nos damnationi subiecerit, nunc id demonstrat, quomodo ex peccatis plurimis in nobis collectis & coaceruatis uim maiorem suam ostenderit gratia. Quoniam, inquit, ut grauius etiam, & copiosius peccaremus lex interueniens effecit. Ad peccatum enim originis & naturæ, quod est in amore mundi, & propter eam causam in imperio & dominatu carnis ac cupiditatis implicitum esse, accessit lex, quæ hoc in nobis effecit, ut cum nihilominus carni, & cupiditatibus seruiremus, tum contumaciam quoque & contemptum Dei præceptorumque eius non seruanda lege susceperemus, ex quo pondus maius additum est peccato. Itemque illud ex lege nacti sumus, quod multa, quæ suapte natura peccata non sunt, illius interdictione aut præcepto, iubentis illa fieri, aut uetantis peccata inueniuntur, si non ex præscripto legis fuerint obseruata. Lex igitur accessit, ut multiplex redderetur delictum, ut inquit, ergo idcirco ne data lex, ut frequentaretur etiam magis, & maiorem uim nancisceretur peccatum: nequaquam illa quidem ob eam rationem, & causam data est, sed ut peccatum potius cognosceretur. Per legem enim cognitio peccati. Quid autem facit ista cognitio? Hoc nimirum ut cognita nostra imbecillitate ad auxilium gratiæ Dei confugiamus, nostramque nullius momenti iustitiam ducentes, illam ab Deo ipso iustitiam expetamus, quæ in CHRISTI fide, & mortis illius dono nobis est ostentata. Proinde etiam si dicamus ideo legem fuisse datam, ut multiplicaretur delictum, non absurde sentiamus, dum ne in hoc tamen fini insistamus. Non enim finis, & extremum legis est, ut grauius peccetur, sed ut admittis & cognitis grauioribus peccatis, ad quæ propulsanda uirtus nostra est impotens, fiducia in Deo nostra, & in ipsius gratia ac benignitate tota constituatur. Quo uno modo maxime, lex ad fidem CHRISTI fuit præparatio, ideoque Iudæis potissimum diuino egregio beneficio data, ut genus ab Deo iam inde in patre suo Abraam electum, & e quo oriturus erat CHRISTVS, illorum ex lege peccatorum multiplicatione admonitum, & principem recognosceret se, & sibi ipsi diffidens ad Deum iam humilitate, non legis opere se adiungeret. Superabundauit igitur gratia, ubi multiplicatum est peccatum apud Iudæos uidelicet, in quo & ipsa gratia potentiam suam apertius indicauit, & gratiam illam nobis impotentis Dei amplior atque illustrior facta est gloria. Superabundauit autem, ut quemadmodum peccatum in mortem nostram regnauerat, id est, per mortem oppressos nos tenuerat, ipsa ita nunc Dei gratia in nobis regnet per iustitiam, per quam ubi iustos nos effecerit, ab illa iustitiæ uita, in uitam æternam, & beatam, intromittat, authore IESU Christo domino nostro, qui fuit nobis Adam iustitiæ, & uitæ immortalis: sicut alter ille prior fuerat mortis.

Quid igitur dicemus? manebimus in peccato, ut gratia multiplicata sit? absit. Qui mortui sumus peccato, quomodo amplius uiuemus in eo? An ignoratis quod quotquot baptizati sumus in CHRISTVM Iesum, in mortem eius baptizati sumus?



E C C E uis baptismi & mysterium fidei nostræ, statusq; eorum qui fidem C H R I  
 S T I rite amplectuntur, de quo nunc loquitur Apostolus, paulopost de statu eorū,  
 qui uiuūt in lege, etiam locuturus. Cum enim C H R I S T V S morte sua carnē in se  
 perimeret, quæ in eo caro non fuit peccati, sed similitudinem carnis peccati in se per-  
 tulit; ipse enim se pro nobis fecit peccatum, ut in carne nostra peccatum perimeret.  
 Nos qui carnem peccati uere amicti sumus, qui ex Adam illam infectam, & contami-  
 natā traximus, morimur in morte C H R I S T I cum baptismum accipimus, in eorū  
 profitemur nos Sathana, & pompis eius renuntiatas atq; abiectis, Deo soli credere, &  
 confidere paratos. Sathanam enim & pompas eius, id est, mundanas omnes spes cupi-  
 ditatesq; reijcere, idem est ac carne peccati se exuere; sed C H R I S T V S in similitu-  
 dine quidem peccatum quod nullum habebat, in seipso extinxit, carnem in ueritate,  
 quæ tamen caro quoquo modo in homine interempta est, secū ipsa perimit, & interfi-  
 cit peccatum. Nos similitudinem in morte carnis usurpamus, in ueritate peccatū in  
 nobis interimimus, tamen si res, tempusq; ferat, & defensio, aut declaratio ueritatis  
 sic postulet, etiam carnem re uera proijcere sumus obligati. Sed hoc casus & dies ali-  
 quando affert. Illud quidem solenne & statum omnibus est, ut in baptismo hanc fidē,  
 & sectam uitæ profiteamur, quemadmodum posthabitis terrenis omnibus in Deo  
 uno fidem nostram constituimus, & locamus. Itaq; mortui sumus peccato omnes, qui  
 in C H R I S T O baptizati sumus, quod si non simulate, sed uere illa est à nobis &  
 corde concepta, & ore, ac uerbis enunciata uitæ professio, quā possumus amplius mā-  
 nere in peccato, aut quo pacto operationes malæ, prauæq; cum fide C H R I S T I hæ-  
 rere in nobis possunt? Nam qui dicūt sola ex fide saluos nos fieri, neq; ad salutem bo-  
 nas operationes requiri, ipsi se impediunt, suum ipsi dictum refellunt, & redarguunt.  
 Fides sola satis est ad salutem, fateor, sed ut integra sit, neq; ulla sui ex parte diminu-  
 ta. Fides porro est peccato esse mortuum, & uiuere Deo; hoc est, ea quæ agat quisq;  
 & quæ speret, habere omnia posita in uno Deo, neq; cum mundo cōmercij quicquā,  
 aut nimis arctæ rationis cōtrahere; hoc enim est mortuum esse peccato. Tu uero qui  
 una in fide spem uitæ constituis, cum ab ea disjungis & auellis peccati mortem, quid  
 iam amplius fidei, quo illa merito fides appelletur, relinquis? nec uero illa ratio ueræ  
 rationis est particeps, manendum esse in peccato, ut Dei benignitas, & gratia magni-  
 ficetur, siquidem ibi magis illa abundat, ubi est grauius, frequentiusq; delictum. Si  
 enim hoc ita sit, nequaquam magnificatur Dei benignitas, sed opprimitur. Illa enim  
 in hoc sese exhibet illustrem atq; amplam, diuinæq; iustitiæ, & bonitatis suæ lumen  
 ostendit, quod aufert à nobis peccata, & iustitiam suā nobis iam factis fidelibus im-  
 pertit. Qui uero manere instituunt in peccato, non modo non illustant Dei summi  
 beneficentiam, sed ne illi quidem locum, ubi se explicet, relinquunt.

Consepulti sumus igitur cum illo per baptismū in mortē, ut quēadmo-  
 dum excitatus fuit C H R I S T V S è mortuis per gloriam patris, sic & nos  
 in nouitate uitæ ambulemus. Si enim consiti fuimus similitudini mortis il-  
 lius, nempe & resurrectionis erimus. Hoc noscentes, quod uetus noster ho-  
 mo cruci unā affixus fuit, ut aboleretur corpus peccati, quo ne deinceps ser-  
 uiremus peccato. Nā qui mortuus est, iustificatus est à peccato: si autē mor-  
 tui sumus cum C H R I S T O, credimus, quod & uiuemus cum eo.

M A G I S etiam ac magis Apostolus uim eam sacramenti, quæ in baptismo est, &  
 fidei C H R I S T I mysteriū declarat. Ac in baptismo quidem trina illa nostri in aqua  
 immersio, rursusq; ter facta ex aqua emerſio, & cū C H R I S T O nos sepeliri in fide  
 ueræ trinitatis, & cum C H R I S T O item resurgere in eadem fide denotat. Sed ut ui-  
 deamus clarius similitudinis nostræ cū C H R I S T O, & rerum earū, quæ inde eue-  
 niunt, consequentiā, sic consideremus. Mors carnis, & corporis id profectō affert, ut  
 peccatum simul cū ea, & peccati effectrix cupiditas moriatur: C H R I S T V S porro  
 in cruce mortuus est sponte, ac uolens, cœleste illud hominibus præbens documentū  
 nulla esse mundi bona, quæ uere expetenda sint, quādoquidem nec uita propter quā  
 bona



bona illa ipsa mundi expetantur, facienda tanti sit, ut nō illi longe Deus, & sperata ex eo bona anteponantur, hoc est plenū, & integrum fidei **C H R I S T I** mysterium, quæ sese fides tota in Deo, & spe Dei collocat, à mundo autem, & mundi bonis auellit, atq; abstrahit. Nos ergo qui fidem istam amplectimur, & **C H R I S T V M** sequi, colereq; instituimus, nisi in eadē simus, qua ille & uoluntate, & sentētia, falso Christianum nomen usurpamus. Quid ergo; dixerit quispiā, num corpus & uitam abijcere statim debemus, ut cum **C H R I S T O** fideles Deo inueniamur? Minime istuc quidē re, sed uoluntate debemus ita esse parati, ut si eā à nobis Deus depoposcerit, si nos ipse in certamine pro ueritate deduxerit, si est mors nostra fructū proximis suscipiendæ ueritatis, pietatisq; allatura, corpus nostrū aliorum acerbitati facile permittamus: ipsi uero nequaquā ægre id ferentes, sed Deo gratias agentes, qui tantum nobis honoris uoluerit habitum, pro illis ipsis Deū insuper deprecemur, qui nos ferro, & igne ad perniciem uitæ fuerint infectati. Hæc est summa fidei nostræ, hæc uis, hoc præpotentis Dei in salute nostra consiliū. Verum nō sæpe hoc à nobis postulat Deus, ut re ipsa moriamur. Dies erit cuiq; sua moriendī cōstituta. Voluntatem quidem huiuscemodī nostram & decretum mentis nostræ postulat, ut statuamus pro Deo, & pro ijs bonis, quæ ab Deo nobis proposita sunt, nō inuitis, si accidat, esse moriendum. Re autem & facto semper utiq; hoc postulat, ut ea quæ sequuntur carnis, & corporis mortem, atq; unā cum eo occidunt, & cōmoriuntur, cuiusmodi est mundi amor, & cupiditatū regnum, & uoluptatum illecebræ, & auri, argenti, lautæq; supellectilis studiosa comparatio, honoris quoq; & opum & potestātū ambitus, omnia prorsus intereant in nobis: & quanquam in carne etiam nunc uiuamus, carnis tamen operibus, & effectibus simus mortui, alioquin si ista carnalia abijcere renuimus, si pergimus in cupiditate, & ambitione uiuere, quo nā pacto probemus nos ad deferendam ultro pro Deo uitam uoluntate esse paratos? **C H R I S T V S** igitur totum hoc documentū ipse in se expleuit, cū corpus suum addixit morti, quo nos morti illius similes facti supremā quidem corporis mortem Dei arbitrio libētes referuemus. Interim uero, quod muneris nostri, & Christiani imprimis officij est, partē illam mortis in corpore subeamus, quæ nō penitus corpus, sed luxum, & diffluentiam corporis, animiq; prauos motus ad corpus se accomodantis abolet in nobis, atq; interficit, qua ratione quidē peccato mortui uere & dicimur, & sumus. Rursus cū **C H R I S T V S** in carne resurrexit, illamq; recepit uitam, quæ non amplius occasura, sed futura erat in eo iam immortalis, cumq; ascendit in cœlum, & ad dexterā patris confedit, alteram partē mysterij plenam, & perfectam in se nobis ipse demonstrauit, quæ præmia uidelicet, & qui ab Deo honores eos consequantur, qui pro Dei honore, & pro cœlestibus præmijs mundum & suauitates mundi fuerint aspernati, ut nos, qui illam adhuc uitam obtinere non possumus, obtinebimus autem postea, interim tamen ea consecremur, quæ illius uitæ propria, semperq; illi adiuncta futura sunt, innocentia dico, iustitiam, pietatē, charitatem; nam & hæc quoq; nūquam moriuntur, fructusq; immortalis animi nostri immortales & hi sunt. Quod si ex illa morte peccati, qua peccatū iam in nobis **C H R I S T O** cōmortui interemimus, ad hanc nouam uitā iustitiæ, quæ diuini generis iustitia est, nō humani, negligamus exurgere, ne ad illam quidē uitā, quæ in corpore futura apud Deū est beata, atq; immortalis magnopere aspiramus. Ex his satis patere arbitror, quod sit mysterium fidei, & quæ baptismi uis, nostraq; cū **C H R I S T O** mortis ueteris hominis, hoc est, eius qui ex Adā progenitus est, & nouæ uitæ ex Deo, cū Deoq; similitudo. Sicut autem **C H R I S T I** à mortuis exurrectio gloriam Dei patris illustrē reddidit, sic nostra ex peccati morte ad nouam iustitiæ uitam excitatio nō uirtutibus nostris, sed eidem bonitati, & gloriæ Dei ascribenda est. Confite ergo si fuimus similitudini mortis **C H R I S T I**, & resurrectionis erimus: hoc est, si similitudinem mortis eius in carne nostra, quatenus scilicet morimur peccato, non totam mortem ferimus, & resurrectionis illius similitudinem feremus. Nunc quidem non resurrectione tota, sed quatenus ad uitam iustitiæ resurgimus, post autem & integram resurrectionem, cum in supremo mundi iudicio reuiuiscemus, & mortem item suscipiemus integram, cum ultimum nostrum diem obibimus, Confite autem, inquit, ut non ore tantum, neq; enunciatione uerborū, sed corde,



mentemque coniuncti, & in unum quasi conflati cum CHRISTO ipso in mortem, & uitam sumus. Nam sic quidem uetus homo noster cum eo crucifixus fuerit, corpusque in nobis peccati interierit, corpus autem peccati quatenus ex eo oritur, feruetque peccatum, ut ne amplius deinceps seruiamus peccato. Nam qui mortuus est, purgatus est à peccato. Quod si uere cum CHRISTO mortui sumus, fide & uoluntate uidelicet, credimus etiam, & confidimus cum eo nos uicturos, in hoc quidem seculo nouae iustitiae uita, in altero etiam corpore, & immortalis illa totius hominis gloria.

Scientes quod CHRISTVS suscitatus è mortuis, amplius non moritur, mors illi non amplius dominatur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem uiuit, uiuit Deo: sic & uos existimate uos ipsos mortuos quidem esse peccato, uiuentes autem Deo in CHRISTO Iesu domino nostro.

INSISTIT Apostolus, & similitudinem eandem in nobis profequitur, per quam mortem, & uitam CHRISTI imitatione quadam referimus. Vt enim mortem illius ab eo in corpore exceptam nos in peccati morte, quae pars est uniuersae mortis excipimus, sic eiusdem uitam uniuersam & integram, qua ipse & corpore & iustitia in aeternum iam uiuit, nos in ea parte nunc recipiamus qua iustitiae uiuitur. Ac sicut illa in eo uita iam immortalis est, sic in nobis non amplius moriatur iustitia: semel ille peccato mortuus est nostro nimirum, & nos semel sumus mortui, ne ue in id denuo incidamus, ut rursus in eo nobis sit moriendum. Iustitiae autem uitam, quam ipsius uitae CHRISTI à mortuis excitati imitatione suscipimus, inuiolatam, & perpetuam iam teneamus, in qua uiuimus iam Deo, non peccato, aut mundo. Atque haec in nobis imago sit uitae eius, quam Deo uiuit nunc CHRISTVS. Ille enim ita Deo uiuit, ut & in aeternum cum eo uiuat, & Deus ipse sit: Nos ita in hac iustitiae uita uiuamus, ut ab ea nunquam discedamus, & Dei similes in illa, ac tanquam filij & nominemur, & si mus: quae quidem uita peccato mortuum esse & per iustitiam uiuere Deo, totum est fidei nostrae mysterium, qui est CHRISTVS, consiliū, & sermo omnipotentis Dei, in quo uno hanc uitam nobis uiuere concessum est. Vbi enim non est CHRISTVS, neque mundo, & peccato mori quempiam contingit, neque item uiuere ipsi Deo.

Ne igitur regnet peccatum in mortali uestro corpore, ut pareatis illi in cupiditatibus eius, ne ue praebete membra uestra arma iniustitiae peccato, sed praebete uos ipsos Deo uelut ex mortuis uiuentes, & membra uestra arma iustitiae Deo. Peccatum enim uobis non dominabitur. Non enim estis sub lege, sed sub gratia.

CVM peccatum regnat in nobis, nosque ei subiecti, & dicto audientes sumus, tunc exhibemus illi membra nostra, & totum corpus, ut ad peccati nutum, atque imperium illa praesto sint. Porro imperat peccatum uoluntati nostrae, tanquam militi, & apparitori suo, ut ad omnes corporis cupiditates explendas membra cuncta uelut arma, & parata habeat, & quotiescunque annuerit cupiditas, capiat illa atque ad ministrandum corpori in suis cupiditatibus accurrat: quibus quidem armis ad iniustitiam, hoc est ad omne genus sceleris & improbitatis peccatum utitur, quod nos dehortatur, ne in corpore nostro patiamur. Apostolus: rursusque idem hortatur, ut exhibeamus nosmetipsos Deo, uelut ex mortuis uiuentes, & membra nostra arma iustitiae eidem Deo, ut sint prompta & praesto ad omne imperium Dei, qui his membris ut armis ad iustitiam, hoc est ad omne genus uirtutis & probitatis est usurus. Sed quod ait, uelut ex mortuis uiuentes, idcirco ait, quod iustitia uita animae est, ad quam quidem iustitiam posteaquam CHRISTO à mortuis surgente nos quoque cum eo illius nouae uitae referendo similitudinem confurreximus. Nam & ipse surrexit ob iustificationem nostri, ut scilicet & nos ad iustitiam exurgeremus, postquam, inquam, sicut mortui fueramur peccato in CHRISTO mortuo, sic ab ipso peccato, & iniustitia per resurrectionem eiusdem tanquam à morte in uitam iustitiae restituti fuimus, hanc



hanc ipsam iustitiam, & uitam, quam ab Deo accepimus illi ipsi, unde profecta est, ex-  
 ercere, & conseruare debemus: hoc etiam magis, quod in memoria habentes & grato  
 recolentes animo, quam tetra ex peccati morte ad cuiusmodi cum Deo, & in Deo ius-  
 titiæ uitam traducti fuerimus, qua de re haud ita multo post Paulus faciet mentio-  
 nem, magis agnoscere beneficium omnipotentis Dei, & plus illius gratiæ tribuere  
 obligati sumus. Velut ex mortuis igitur uiuentes, id est, qui hanc nouam uitam ipsius  
 Dei beneficio obtinemus, cum peccato nostro ante essemus ipsi mortui. Atque ideo  
 ipsam hanc uitam illius uoluntati totam subiiciamus. Peccatum enim uobis non do-  
 minabitur, inquit: Non enim estis sub lege, sed sub gratia. Rationem dat, quare nobis  
 non dominabitur peccatum: quia sub gratia sumus, & non sub lege, quia spiritualem  
 iam uitam uiuimus in CHRISTO, non amplius carnalem, ex qua parte duntaxat  
 & carnis, & corporis subiecti sumus legi. Nam ex spiritu certe illi non subiicimur.  
 Non dubium autem est, quin dum sub gratia sumus, peccatum nobis non dominetur,  
 sed illud est dubium, quod & qui sub gratia sunt, interdum etiam peccant, ex eorū  
 gratiam amittere uidentur, & qui sub lege sunt, uidentur posse non peccare. Sed sem-  
 per nobis, ista ut intelligamus, ad mysterium fidei reuertendum est, ex quo illa à Deo  
 nobis adest gratia, quod spiritu sancto nos admonente, à mundo, & mundi bonis dis-  
 uulsi, atque abstracti, bonum omnè nostrum in Deo uno, & in eis duntaxat præmijs,  
 quæ ab eo nobis in cælo sunt proposita, statuimus & locamus. Hæc enim ex Deo  
 illuminatio nostra, hæc directio mentis, & uoluntatis, gratiam, & iustitiam illius in  
 nobis imprimit, ut qui ueritatem tanti mysterij, non auribus hausimus solum, neq; in  
 aliena fide, atq; autoritate repositam duntaxat habemus, sed corde, & mente perce-  
 pimus ipsi ut aliquando etiam in peccatum prolabamur, quoniam tamen id præter  
 animi nostri constitutum est, nunquam illud in nobis regnare, neque dominari patia-  
 mur. Qui uero sub lege Moysis sunt, ut qui mundo, & mundi cupiditatibus sunt affi-  
 xi, licet præcepta quædam habeant ex lege, quo se pacto in cupiditatibus illis gerere  
 & gubernare debeant, tamen serui necessario sunt peccati, quando totum etiam illud,  
 quod lege eis est permissum, ut bona terrena magni æstiment, coram Deo quodam-  
 modo peccatum est: ex quo etiam dictum fuit à Paulo, & alijs locis dicitur, quod ex  
 operibus legis coram Deo non est iustificatio, & item ad Philippenses, quod cum ipse  
 secundum iustitiam, quæ est in lege, factus esset irreprehensibilis, quæ tamen ei lucra  
 ex ea fuissent, propter CHRISTVM, illa arbitratus sit damnum sibi esse, & etiam  
 nunc arbitrari sibi damnum: in quo profectò ostendit legis iustitiam coram Deo, quo-  
 niam ab radice sua in terra teneatur, peccatū potius esse. Quo enim pacto aliter dam-  
 num ea sit, nisi quod nihil tam discrepans fieri potest, neq; tam dissonum, & infociabi-  
 le inter se, quam & mundana appetere, & Deum simul amare: Ergo nobis iam non do-  
 minabitur peccatum, qui sub hac gratia & non sub lege amplius sumus.

Quid igitur? peccabimus, quando non sumus sub lege, sed sub gratia?  
 Absit. Non ne scitis, quod cui exhibetis uos ipsos seruos in obediendo  
 serui estis, cui obeditis, siue peccati in mortem, siue obedientiæ in iustis-  
 tiam? Gratia autem Deo, quod eratis serui peccati, obedistis autem ex cor-  
 de, in quam traditi fuistis formam doctrinæ, liberati autem à peccato, ser-  
 ui facti estis iustitiæ.

HÆC postulatio interrogantium si peccandum est, postquam sumus sub gratia,  
 & non sub lege, Iudæorum propria est non intelligentium, quantum seruitutis & mali  
 sit in peccato ipso, præter effectum etiam illum peccati, qui est mors, quæ maxime in  
 lege peccantibus proponebatur, quando in fide CHRISTI nihil nobis à Deo tam  
 sit expositum, atque promptum, quam ignoscentia, & uenia, quam illi gratiam unam  
 appellari existimabant: quorum etiam imbecillitatem carnalis mentis paulo post  
 declarat Apostolus. Illi ergo cum putarent non usque eò se uere agere Deum inter-  
 prete IESV Christo ut agebat lex, quæ poenam, ac non ueniam peccato proponebat,  
 atque iidem ipsi carnis explere cupiditates, seruatibus formulis quibusdam, iucundum  
 & opta



& optabile esse ducerent, hoc ipsum quærunt, num peccari libere, atque impune iam possit, postquam à I E S U Christo uenia, nō poena peccatoribus est allata; quorum inscitiam refellit Paulus, humanas similitudines in medium proferens, quādo ad altiora capienda cōsilia necdum erant idonei, Absit inquit, quod peccare liceat sub gratiā constitutis. Quī enim liceat, cum gratiā ea sit, quæ ad libertatem nos duxerit, & ad iustitię uitam; peccatum autem sub seruitutem iniquitatis & mortis nos redigat: siquidem cui nos exhibemus seruos, in obediendo eius serui efficiamur, quatenus ei obedientiam præstamus, ita ut habeat is, cui obediēdo seruiamus, in nobis potestatem, per quam ad suam naturam & uoluntatem nos pertrahat. Porro peccati natura mortis effectrix est: qui ergo seruiūt per obedientiam peccato, in mortem illi seruiunt, & sub eo moriuntur. At iustitia per gratiam dat uitam. Igitur si serui unā esse nō possumus mortī & uitæ, nec peccato itē possumus esse simul & iustitiæ. Seruire etenim est agere ad alienæ uoluntatis, naturæq; præscriptum, quod idem est ac illi, cui obedias, seruum esse, siue peccato in mortem, siue obedientiæ in iustitiam: hoc est, siue peccato obedias, ista te seruitus ex uī, naturæq; peccati ad mortē detrudit: siue obedientiæ pareas, istud parere obedientiæ deducit te ad iustitiam, cum qua semper uita coniuncta est. Ferme enim utitur hoc uocabulo Paulus iustitiæ ad sensum etiam uitæ, quoniam uita cum illa ex fide iustitia conflata ita est, ut non possint inter se distrahi, sed ipse in his uerbis posterioribus suo more concisus, & subterlabens, obedientiam in iustitiam, sic strictim posuit pro obedientiā erga Deum in fide C H R I S T I, quæ nos deducit, & uocat ad iustitiam, consequenterq; ad uitam. Hoc enim par pari quod referendū erat, ut quem admodum dixerat peccati in mortem, sic diceret iustitiæ in uitam, totum conclusit in ipso iustitiæ uerbo, & reliquit nostris cogitationibus intelligēdum. Sed gratia, inquit, Deo sit, quod cum antè essetis serui peccati, obedistis ex corde fidei, & C H R I S T O: hoc est, quod modo dixerat, obedientiæ in iustitiam secundum formam doctrinæ, quæ uobis fuit tradita, id est secundum Euangelium, eiusq; doctrinam, ex quo liberi facti estis à peccato, & ad seruiēdum iustitiæ uocati: quo pacto ergo licitum sit peccare sub gratiā, si hoc proprium in uobis est gratiæ donum, quod ut mortē uitaretis, à peccato fuistis liberati, & subiecti facti iustitiæ, ut uitam obtineatis?

Humanum quid loquor ob imbecillitatem carnis uestræ: quemadmodum enim præbuisistis membra uestra serua impuritati & iniquitati in iniquitatem, sic & nunc præbete membra uestra serua iustitiæ in sanctificationem. Quando enim serui eratis peccati, liberi eratis iustitiæ. Quem igitur fructum habebatis tunc in his, ex quibus nunc uerecundamini? Finis enim illorum mors. Nunc autē liberati à peccato, & serui effecti Deo, habetis fructum uestrum in sanctificationē, finem autem uitam æternā. Obsonia enim peccati mors. Donum autē Dei, uita æterna in C H R I S T O Iesu domino nostro.

H V M A N V M quid loquitur, quoniam cum ex his, quæ senserunt illi, experitiq; in seipso sunt, uelit eos nunc commonefacere, omittit tantisper sublimitatem mysterij mortis nostræ in C H R I S T O, & cum eodem ad iustitiæ uitam resurrectionis, illosq; ex proprijs ipsorum erratis, errorumq; doloribus, & poenitentijs erudit, ut uelint hanc multo potiore, quæ in innocentia & sanctitate posita est, uitam constituere. Igitur hortatur eos, ut sicut ante acceptæ fidei lumen, præbuerant membra sua serua impuritati, & iniquitati in iniquitatem, hoc est, prauo animi habitui, & uoluntatis uitio, in quotidianas, & singulares iniquitatis actiones, sic nunc præbeant eadē serua iustitiæ in sanctificationē, reducitq; illos in memoriam eorum, quæ antè perpetrare soliti erant, ex quibus pudore ipsi nunc afficerentur, tanquam illa per se turpia & flagitiosa fuissent, quippe qui quo tempore seruiēbāt peccato penitusq; erant illi dediti, nihil in se tunc iuris, neq; imperij iustitiæ esse permittebāt, & ideo ab illa dicuntur fuisset liberi, quasi nihil cum iustitia rationis tunc cōtrahentes, neq; ulla in re illi obtemperantes; & ne forte quis interpellet, etiā si in se, & ex se turpia illa fuerint, finem tamen illorum



illorum optabilem esse, quasi in his posita sit iucunda, & diuturna uita, hoc etiam excludit, inquit, finem illorum fuisse mortem, quod in omnem quidem partem, id est, in omni genere mortis tam corporis, quam animæ ita esse constat: fructum quoque illum prioris uitæ inutilem & perniciosum ostendit. Nam cum ipsa illa, quæ antea gerebatur & sectabantur, erant ex sese turpia, tum eadem approperabant, & præcipitabant mortem popularem hanc quidem, & communem omnibus, quæ est corporis, animæque diræ remptio, cui nihil cognatius est, quam cupiditatum, & libidinis dominatus; sed & illam animæ præterea exitiosiore, ac perpetuam, ut si maxime illa suauia, appetendaque existerent, quod nequaquam ita erat, morte tamen cito tollerentur; Ita omni ratione erant illis pudenda, & poenitenda, quod inhonesta, quod pestifera, quod incerta etiã, & cito interitura essent. Nunc autem liberati à peccato, & serui facti Deo habent fructum in sanctificationem, & finem eius uitam æternam; quod optime quadrat. Si enim ex peccato mors, ex sanctificatione profecto est uita, quæ quoniam sanctificatio procedit ex Deo secum deferens uitam, ex æterno utique Deo uitam quoque æternam plane in nos traducit. Hoc etiam magis, cum donum ipsa Dei sit, ex illo totum dependens, non autem ex nobis originem ullam trahens, deceatque dona donanti similia, & imprimis non ipso digna existere, qui donat: quod quidem donum à Deo per IESVM Christum nos accepimus, & in CHRISTO Iesu illo ipso perfruemur.

An ignoratis fratres, scientibus enim legem loquor, quod lex dominatur homini, quandiu uiuit: Nupta enim mulier uiuenti uiro, alligatur lege, si autem moriatur uir, soluta est à lege uiri: sic igitur uiuente uiro adultera iudicabitur, si hæreat uiro alteri: si uero moriatur uir, libera est à lege, ut non sit adultera, si hæreat uiro alteri. Quare fratres mei & uos perempti estis legi per corpus IESV Christi, quo hæreatis uos alteri ei, qui ex mortuis excitatus est, ut fructum feramus Deo.

RATIO ista Apostoli tota intenta est ad cohortandos Iudæos, ut audacter desciscant à lege, & dicent se CHRISTO, tanquam ipsi legi mortui sint, & lex ipsis. In illis enim fidei nouæ primordijs complures adhuc eorum titubabant, noscentes quidem uim, & ueritatem mysterij CHRISTI, sed insito metu legis, in qua inueterauerant, patresque suos & auos in eadem professos cultum Dei ueri meminerant, in ancipites curas distrahebantur, ut non planè statim decernerent, quid sibi esset faciendum: hos sic hæsitantes, & ambiguos, nequaquam aspernantes fidem CHRISTI, sed dubitantes tamen, impellit Apostolus, ut toto pectore CHRISTVM amplectantur eò, quod nullum amplius in eos imperium habeat lex, quippe cui ipsi mortui sunt, lex uero in eis tantum ius suum exerceat, qui in uita hac illi sunt subiecti; quod autem homine mortuo soluatur in eum imperium legis, exemplo ex ipsa lege sumpto planum facit. Est enim in lege positum, ut mulier uiro nupta tota sit uiri, nec alienum uirum ullo modo expetat, quem si expetierit, ut adultera puniatur: hoc ex lege uinculum uiro mulierem obstringens, si uir moriatur, dissolutum statim est, nec ad alterum uirum transiens mulier, iam est adultera amplius iudicanda. Atque hoc quod in parte quadam, & in uno præcepto legis perscriptum est, idem profecto ualet in uniuersam legem, quæ siue ipsa antiquetur, siue illa qui tenentur, uita ipsi defuncti sint, solutum est omne uinculum, neque amplius mortui qui iam sunt, legi ipsi subijciuntur: neque sanè refert quod est in exemplo uiri & mulieris positum, utrius solutio & mors in eo cogitetur, quando alterius utriusuis morte alter solutus est, & à uinculo legis, quod ad matrimonij ius pertinet, per illius mortem liberatus, nosque cum morimur legi, lex etiam moritur nobis. Sed ut nostram hanc cum lege coniunctionem explanemus, ac nunc de nobis tanquam de Iudæis illis loquamur; Quemadmodum si coniugio deuincti non sumus, nihil habet potestatis in nos ea lex, quæ de coniugio est posita, & si publica non redimimus, leges publicanorum non sunt nobis latae, nec quæ de finibus regundis sunt, si agrum non possidemus, nec quæ de stillicidijs, si domicilio sumus priuati: sic in uniuersum



cum tota Moysis lex regendis, & docendis hominibus lata sit, quo pacto illis in hac uita, & in his terrenis mundanisq; rebus, actionibus, studijs, cōmercijsq; sine offensione Dei uersandum, agendumq; sit, si terrena ista omnia negligantur, & pro nihilo penduntur, neq; è corporeis, & carnalibus his curis quispiam pendeat, iste legi profectio iam mortuus est, & lex ipsi, neuterq; cum altero quicquàm amplius rei habet, nec rationis: sed qui fidē CHRISTI secuti sunt, & CHRISTO sese totos, ac per CHRISTVM Deo dederunt, hisce omnibus mundi rebus & mundanis studijs mortui sunt, quippe qui cuncta abiecere corporea, & repudiare, solisq; in cœlestibus spem suā collocauerunt; in hos ergo imperiū iam nullum neq; potestatem habet lex, solutū enim est uel discissum uinculum potius corporis, & corporeorū, quo antea legi tenebantur obstricti. Libere ergo possunt sicut mulier priore uiro orbata ad uirum alterum, sic ipsi per mortem IESV Christi, in cuius omnes corpore, qui CHRISTI esse uolumus, cōmortui cum illo sumus, à legis imperio liberi effecti conferre se ad alterum eum ipsum uidelicet, qui è mortuis idcirco excitatus est, ut nos unā cum illo quoq; excitati fructum iam Deo, & nō amplius legi feramus, ut seruitus deinceps nostra in his sit, quæ sola Deo uere accepta, grataq; sunt, quæ à dedita illi uoluntate, & spe eiusmet fruendi, possidendiq; terrenis penitus abiectis studijs proficiscuntur, in quibus studijs terrenis lex imbecillitatis tantum nobis est carnisq; directrix.

Quando enim eramus in carne, infectiones peccatorum quæ per legem sunt, operabantur in membris nostris, ut fructum ferremus morti. Nunc autem soluti sumus à lege morientes in eo, quo cōtinebamur, ut seruiamus in nouitate spiritus, & non uetustate literæ.

QVASI declarans, quid sit fructum ferre Deo, ostendit quid antea erat ferre fructum morti; quando carnalem uitam sequebamur, inquit, hoc enim est quādo eramus in carne, cum carnis desideria, & commoda magni æstimabamus, in quibus discriminandis, & regendis auctoritatem, & diligentiam omnem suam adhibet lex, tunc infectiones peccatorum, quæ per legem sunt, id est, illa intentio, multiplicatioq; peccatorum, quæ per occasionem legis in nobis facta est, quando quidē per legem & unum quodq; peccatum maiore culpa cōmittitur, & plura id unum peccata necessario post sequuntur: istæ ergo infectiones, pullulationesq; peccatorū operabantur in membris nostris, quod est, membra omnia nostra ad sibi succurrendum, inseruiendumq; aduocabant. In quo attente inspiciendum est uolentibus intelligere, qua ratione lex ansam præbeat ad grauius, multipliciusq; delinquendum, hoc in his paucissimis uerbis ab Apostolo indicatum esse. Id porrò nos sic explicemus: Omne peccatum si nulla sit posita lex, licet peccatum sit, Deumq; aut proximum dedecore, damno ue offendant: tamen si patretur, atq; admittatur, neq; conscientia morsus graues habebit, ut quod nulla lege reprehensum sit, neq; demonstratum, neq; prohibitum, neq; terroribus animi perturbabit, nulla illi peccato pœna in lege pposita, sed ipsum per se languens, & tacitū, atq; ad fodiendas stimulis curarum mentes nostras inerme terminabitur in sese, expletaq; cupiditate, & libidine sua conuiescet: quod si accedat monitio, & doctrina alicuius grauis & auctoritatem habentis uiri, qui demonstret & doceat, quā sit iniquum & turpe iniuriam proximo facere, idemq; quod sit æquū, & rectum comoneat, suadeat abstinere à talibus, hortetur ut in pudore, & in officio quisq; permaneat: hac iam accepta cognitaq; disciplina, si quis postea contra huiusmodi præcepta deliquerit, cum peccato grauiore deliquerit, quippe in quo præter facinoris culpam, quæ in facinore ipso sita est, contemptus etiā præcepti sanctioris fuerit additus, quod ipsum per se non leue est peccatum, tum uero intus sentiet reprehensiones quasdam ueluti rationis acrius ipsum obiurgantis, quod eam rem, quam prauam, & nefariam esse intelligeret, nihilominus suscepisset, neq; bono in ea re consilio, sed incōsultæ potius cupiditati paruisset. Hæc intestina rationis reprehensio nata iam ex monitionibus illis, quæ doctrinā dederant, recti, prauiq; internoscēdi, & peccatū magis ut graue sit, & id magis etiam, ut intelligatur, facit: ut cum duplex quodāmodo & geminatum peccatum



peccatum ex simplici, atq; uno sit factum, tum eius in anima infectio tanq; uibex, & uerberatio quædam illa ipsa insideat conscientiæ obiurgatio, per quam peccatum ad nos intus perturbandos uegetius redditum est. Quod si præter doctrinâ, & suasionē lex feratur, quæ pœnâ peccato mortis, exilij, ignominiaq; proponat, non ne quot interdita in lege posita sunt, tot fiunt accessiones magnitudini, grauitatiq; peccati, totq; in anima ex peccato ipso oriuntur infectiones, non morsus iam cōscientiæ solū, sed assidui metus, sed infestæ suspiciones, cū diurnis nocturnisq; solitudinibus urgemur, cum pœnam pertimescimus, cum ut eam effugiamus, aut fraudem aliam aliq; quâ, aut uim etiam suscipimus, & meditatur, nec peccati iam admissi terrorem sine alio peccato excutere nos posse credimus? Atqui ista sunt pathemata, ut Paulus inquit, peccatorum, quæ in membris nostris operantur, per quæ peccatū nostris membris imperat, ut ad sibi succurrendū, & subueniendum omnia præsto sint. Lingua inficiando crimina ad periuriū uocatur, oculi, atq; uultus simulationem suscipiunt, manūs ad eadem armantur, pedes expediuntur ad effugiū, è corde omnia malitiæ consilia euocantur. Atq; hoc examen facinoræ, & scelerum è lege, & per legē in nobis corrum, totos nos corripit, & in seruitutē redigit peccati, ut perturbationibus intestinis animi omnia membra nostra deseruire cogantur. Quorū quidem facinorū maxima parte, si lex nulla extitisset, potuissemus facile carere: horū nunc infectionibus uexati, atq; oppressi fructificamus morti: quo enim amplius inuoluimur in peccatis, hoc ius mortī maius in nosmetipsos tradimus. Atq; hanc peccati uelut hydram quandam multiplicatā ex uno capite progenie numerosa & produxisse quodāmodo uidetur, & aluisse ipsa lex, etsi legi hoc quidem nō sua ipsius omnino culpa, & tamen aliqua culpa ipsius accidit, quæ non hydram hanc foecundam ad plurimos foetus educendos cupiditatē istam ipsam totā elisit ex animo, sed eam quidē cum reliquisset, fræderetur. In quo & spe, & opinione sua lex decepta est. Quid enim, dixerit quispiā, qui legem illā tulit, num inopia consilij in hunc errorē lapsus est: minime ille uero, neque adeo labi potuit, sed cū ipse uerbis, sententijsq; humanis, atq; ipso sono, uoceq; literæ terrena, & corporea populo proposuisset, spiritalia sub illis, & diuina uoluit intelligi, ad quæ intelligentia qui peruenissent, nucleumq; iam inuenissent, corticē mox abijcerent, neq; in litera peccati, & mortis ampliatrix, sed in spiritu uiuificatē ad Deum, & ad Dei iustitiam adniterentur. Quod nos per fidem CHRISTI uere facimus, qui liberati à iugo legis & literæ, cupiditatis nostræ morte, hoc est CHRISTO in corpore peccati cōmortui, per quod corpus legi subiiciebamur, & per illud in potestate legis tenebamur, ad excitatum à mortuis iam CHRISTVM sine præuaricationis nota confugientes seruimus Deo in nouitate spiritus, cuius mysterium modo patefactum est, non amplius in uetustate literæ, quæ exauthorata, & dimissa iam obsoleuit.

Quid igitur dicemus: lex peccatum est: absit, sed peccatum nō cognoui, nisi per legem. Nam & cupiditatē non cognoscebam, nisi lex dixisset, Non concupisces. Occasionem autē capiens peccatum per præceptū peperit in me omnē cupiditatem. Absq; enim lege peccatum mortuum est. Ego uero uiuebam absq; lege aliquādo, adueniente autē præcepto peccatum reuixit, & ego mortuus sum, & repertum mihi est præceptū, quod erat ad uitam, id esse ad mortem: peccatum enim occasionem capiens per præceptū decepit me, & per præceptum ipsum me peremit. Quamobrē lex quidem sancta, & præceptum sanctum, & iustum, & bonum. Quod igitur bonū mihi factum est mors: absit, sed peccatum, ut appareat peccatum per bonum mihi parere mortem, ut fiat præter modum culpabile peccatum per præceptum.

HOC est, ut ab ultimis uerbis incipiamus interpretari, quoniam peccatum, quod per se si non incusetur, neq; ad supplicium uocetur, languidū, atq; iners minime mentem atq; animum meum conturbabat, aduentu legis acrius factum est, & ad inferendam



dam mihi mortem ualentius. Qua ratione manifestum fit, multiplicatū ex occasione præcepti & maius ac uehementius factum esse peccatum. Nam cū propositum Paulo fit omnibus modis elidere legē, quæ obicem, & offendiculum fidei CHRISTI opponerat, nec sinebat homines libere, ac soluto animo ad CHRISTVM se conferre, & antè eius inutilitatem noua fide aduecta, superstitionemq; declarauit, & nūc illud quoq; ex ea damnū, detrimentumq; monstrat, quod auctum est per eam potius, q̄ diminutum peccatum, neq; propterea tamen legem quis malam fuisse suscipiat, quippe quæ lata fuerit, ut remoueret peccatum; sed uitio peccantium ansam ipsa præbuit grauius asperiusq; delinquendi. Nec uero uideo, cur tantopere pertimescant in his uerbis Pauli nonnulli sancti uiri, ne arguere legem ipsi, atq; eam tanquā effectricem peccati accusare uideantur, non enim uim, sensumq; Apostoli satis diligenter attendunt, qui quod caute, & honeste de lege loquitur, auribus Iudeorum dat, ut ne reprehensione legis nuda, atq; aperta illi incendantur: quæ uero reijcit illā, atq; condemnat, cordibus uere illorum id nititur insinuare. Nihil enim magis ab Apostolo spectatū est, quàm ut ab lege tanquā damnosa, inutiliq; Iudæi recedentes omne studium pietatis in CHRISTO uno constituent. Atque hoc nos de lege tota dicimus, noxiam iam illam esse, & pestiferam, in CHRISTO credentibus, si uniuersa suscipiatur, & quatenus porrecta in litera est, à nobis obseruetur, licet partes ex ea aliquot in moris nostri obseruantiam, si pergamus esse carnales, recte translatae sint. Nam spiritualibus nobis, & in CHRISTO plena fide hærentibus in totum inutilis & superuacanea est lex. Non enim eadem in illa præcepta, quæ in Euangelio sunt, quando non ad eundem finem, non ad eandem spem utrobique sunt intenta. De quo in priore libro fatidiximus. Verum eadem lex, si posthabito sono literæ ad spiritum, & mysterium ueræ in Deum fidei, posthabendis terrenis omnibus traducta sit, sanctam illam semper & à nobis colendam, ueneradamq; esse prædicamus, quo uno illa modo ad fidem CHRISTI transitus gradusq; est, non ab eadem fide diuersio. Non igitur lex ipsa peccatum est, inquit Paulus, sed est indicatio demonstratioq; peccati. Non enim noscebam concupiscentiam, inquit, nisi lex dixisset, Non concupisces. Quod est in quadam parte concupiscenti à lege interdictum, nā uniuersam quidem cupiditatem, alit potius, & fouet, quàm abiicit lex, quæ semper terrena bona, semper familias, & liberos, semper pluuias, & rores cœli, ad ubertatem frugū hominibus proponit. Sed uetuit lex, quod iam alterius factum esset, id ab alio quopiam concupisci: Nec rem, inquit, nec uxorem concupisces alienam. At per hoc præceptum, & interdictum legis, occasionē capiens peccatum amplificauit in me omnem concupiscentiam. quo autem pacto amplificauit? Quia ubi semel esset lapsa cupiditas siue errore, & incuria quadā, siue etiā malitia, quandoquidem ardentius, & pertinacius ad uetita contendere solemus, ubi quidem semel illa ad raptum, & ad libidinem se proiecisset, multorum deinde facinororum comitatu necesse habuit se cōmunire, ac præter priorem illum contemptum legis, atq; præcepti, aliorum quoq; peccatorum, ut iam diximus, ingentem syluā secum trahere, quibus lex occasionem præbuisse uideretur: quoniam absq; lege peccatum mortuū est, inquit. Quid mortuum: non ne & sine lege mortiferum antea peccatum fuit: fuit enim uero, id enim & è paradiso Adæ eiectio, & cōflagratio Sodomæ, & ipsæ præcipue undæ diluuij satis indicauere. Atq; ut ne de peccatis solum uoluntarijs intelligamus, & his quæ à malitia, & certo consilio proficiscuntur, illud ipsum peccatum, quod ex patre primo Adam domesticum nobis, & natiuū factum est, quod uel inuiti, uel ignorantes gerimus, ipsum illud, inquā, peccatum nobis est ad mortem, per quod natura, ut Apostolus ait, omnes filij iræ sumus. Ita semper quidem fuit peccatū causa mortis, sed leni, tacitoq; ueneno sic antea utebatur, ut cum uoluptate quadam delaberemur ad mortem, mortē autem utrāq; & corporis, & animæ, quoniā in utrūq; inferendæ mortis peccato est potestas. At postq; aduenit lex, quæ & monstrauit, & prohibuit peccatū, pœnamq; illi insuper sanxit, tunc exorta sunt quāplurima ex peccato pathemata, quæ nos uarijs modis perturbarent, metus, fugæ, latebrarū conuersiones, aliorū sollicitationes, fraudes, cædes, insidiæ, periuria, & omnis illa scelerum manus, quæ nocentem animū solita est comitari, instincta mœroribus, angoribus, diurnis, no-



nis, nocturnisq; sollicitudinibus, quæ cuncta arma sunt peccati, ad dominandum mem-  
 bris nostris, mortis specimen diu ante nobis, & illius uim, terroremq; ostentantia, ad  
 quam postremo mortē cum fuerit uentum, acerbiorē etiā illa multo, & tetriorē ex-  
 cipimur, quā si ignari, quidnam esset peccatū, & nihil tale cogitantes ad eam sensim  
 deuenissemus. Illo enim modo certe & quietiorē traduxissemus uitā, & fuisset  
 mortī leniori addicti. At qui tanta hæc acerbitas, multiplicatioq; peccati occasionem,  
 atq; ansam ex lege accepit, ex lege autem Moysis, nequaquam enim de hoc dubitan-  
 dum est, nec quod de lege alia loquatur Apostolus, existimandum. Sola enim ista lex  
 ueram notionem peccati afferebat. Cuius culpam, & crimen sola metiebatur ex ira,  
 & offensione omnipotentis Dei, quod est unum peccare uere, & scelus, culpamq; sus-  
 cipere. Quoniam absq; lege peccatū mortuum est, inquit. Ego autem absq; lege ui-  
 uebam aliquando, quod intelligendum est de illa ætate, in quam ius legi adhuc nullū  
 est, quod nec peccatum in illa, ut peccatum accipitur, & à pœnis, sanctionibusq; legis  
 immunis eadem ætas est, & libera, cuiusmodi pueritia, & illa principia ineuntis adole-  
 scentia sunt: idem enim est illa esse sine lege, & legem in ea ius non habere. Quod si  
 ab unius hominis statu, atq; uita ad nationem totam Iudæorum, ratio similis transfe-  
 renda est, id quod Apostolo est usitatum, & frequens, ab Abraam usq; ad Moysen, si  
 populum Hebræum accipias quandiu egit, & uixit sine lege, tempus illi huius pue-  
 ritia accōmodes, quando in lege nondum eruditus, neq; admonitus ex ea, quid cauē-  
 dum esset, & quid sectandum, peccati uim in se nullam, neq; ex eo molestiā animi sen-  
 tiebat. Viuebam ergo sine lege aliquando, hoc est, securo & tranquillo animo eram,  
 nullis intus ex peccato stimulis, moribusq; urgebar, quippe qui peccatū non cogno-  
 scebam, fructumq; hunc uitæ quietioris capiebam. At postquam aduenit præceptū,  
 cœpitq; lex habere in me potestatem, reuixit peccatum, & ego mortuus sum. Tunc  
 peccatum accepit uim, tunc ex agnitione ipsa, uitiō tamen meo acrius & uehemen-  
 tius illud factum est, multisq; se circum satellitibus instruxit, atq; ego sum mortuus.  
 exturbata enim pace animi, atq; angoribus, & timoribus multis introductis, crimi-  
 nibusq; multiplicatis, atrox mihi imago mortis representata est, cœpitq; in me tan-  
 to ante mors uim, & ius suum exercere. Quod idem de cognitione peccati, & turbu-  
 lenta ppter hoc ipsum uita testatus est Dauid, Quoniam, inquit, iniquitatem meā  
 ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Compertum est itaq; præce-  
 ptum legis, quod datum mihi erat ad uitam, quod ego si custodissem, uitam eram ha-  
 biturus, quā & ut adipiscerer, idcirco mihi fuerat traditum: id, inquam, præceptum  
 compertum est fuisse mihi ad mortem, non ipsum quidē ex se, neq; ex natura sua, sed  
 meum uitium & peccatum, ex præcepto illo occasionem capiens, decepit me: quibus  
 enim armis utendū erat ad salutem, & quæ propter eam causam erant facta, ut ex illis  
 ego uitā adipiscerer, ipsis illis armis peccatum me interemit. Nam præceptum quidē  
 ad eam rem erat datum, ut tolleret peccatū, atq; ut excinderet; quod cum facere non  
 potuisset, cœgit illud increbrescere; adiuncta enim resistendi cōtumacia, ac neglectu  
 legis, ceterisq; ad effugiendum pœnā criminibus accersitis, & maius, & impotentius  
 factum peccatū est. Proinde lex quidem sancta est, & præceptū sanctum, iustumq; &  
 bonum; id est, sanctū ipsum quidem ex se, & bonū, & ad bonum finem pertendens, si  
 materiē sibi cōmodam, & tractabilem offendisset. Sed quoniam rebellem, & cōtuma-  
 cem reperit, non solum ordinē illi, & formā afferre non potuit, sed dedit causam quo-  
 dam modo turbidius etiā, & deterius se habendi; sicut sæpenumero in cataplasmatibus  
 usu uenit, quæ eruptionibus pituitæ in corpore imposita, cū nō ad totam pituitā ex-  
 tenuandam uim habeant, sed illius impetū in aliqua parte corporis reprimere conen-  
 tur, dant ferē causam, & motū pituitæ, ut asperius, & uolentius se eiciat. De quibus  
 quidē cataplasmatibus, idem quod de præceptis legis dici potest, bona esse illa, & saluta-  
 ria, & cōmoda, sed ipsam tamen pituitā occasionē ex illis interimēdi hominis cepisset:  
 eadem similitudine bona lex, & iusta, sanctumq; præceptum, sed quia non uniuersam  
 in animo cupiditatem excidit, aliquasq; eius partes duntaxat, extinguere est conata,  
 idcirco & commouit magis, exasperauitq; cupiditatem, & occasionem illi attulit ani-  
 mæ maturius, acerbiusq; interimendæ. Hoc sensu in Euangelio Dominus: Si nō ue-  
 nissem,



niffem, inquit, peccatum non habuiffent. Quid ergo, aduentus Domini caufa illis fuit peccati? Minime per fe quidem, ipfe enim uenerat, ut eos ab omni peccato eriperet, fed ipforum neglectus, & contumacia, & afpernatio nofcendæ, amplectendæq; ueritatis grauius in illis peccatum ex aduentu CHRISTI conftituit. Ita non id quod bonum eft, fit cuiquam mors, fed peccatum potius eft, quod id bonum ad detrimentum, perniciemq; conuertit, quandoquidem ipfum peccatum contra bonum ftando, idq; reiſciendo, & conculcando fit longe grauius, & culpabilius peccatum, quàm ſi nullum ex aduerſo bonum habuiſſet, contra quod tenderet, & ex cuius conſtentione irritatum ipfum afperius fieret.

Scimus enim quod lex ſpiritalis eſt. Ego uero carneus ſum, uenditus ſub peccatum, nam quod operor, non cognoſco. Non enim quod uolo, id ago: ſed quod odi, id facio. Quòd ſi quod nolo, id facio, conſentio legi, quòd bona. Nunc autem non amplius ego id operor, ſed quod habitat in me peccatum. Scio enim quòd non habitat in me, hoc eſt, in carne mea, bonum. Nam uelle adefſt mihi, facere autem honeſtum nō reperio. Non enim quod uolo, facio bonum: ſed quod nolo malum id facio. Si uero, quod ego nolo, hoc facio, nō iam ego id operor, ſed id, quod in me habitat, peccatum.

POSTEA QVAM dixerat peccatum ex interdīto, & prohibitionē legis anſam ſibi acquiſiuiſſe, per quam ipſum grauius & deterius fieret, quæſtioni tacitæ nunc occurrit. Potuit enim occurrere aliquis, & dicere, Cur ergo peccatur in id, quod lex prohibet, aut ſi omnino fuerat peccandum, quid ita data lex eſt, quæ auctura eſſet peccatum, & multiplicius id effectura? difficilis ſane quæſtio. Itaque reſpondet Apoſtolus, duasq; noſtri partes eſſe oſtendit, quarum partium alteri, & probata & accepta lex ſit, altera pars ſit legi, & parti illi, quæ cum lege facit, contumax & aduerſaria. Quarum duarum partium inter ſe contentionem, atque pugnam exponere conatur, hominem illum exprimens, qui ante aduentum gratiæ Dei, & CHRISTI, in lege Moyſis fuit, is enim maxime his certaminibus & prælijs carnis aduerſus mentem erat expoſitus. Nec ſane in hoc loco legi naturæ locus eſt, habebat illa quidem in ſe ſimulacra quædam certaminū huiuſmodi, potius quàm certamina, ſed ueluti quæ nihil ad Deum penitus referebat; ad coitionem uero quandam hominū retinendam, & conſeruandam ſtudia ſua dirigebat, & quicquid non eſſet contra ſocietatem communem, liberum hominibus, & permiſſum relinquebat, admitteratq; libidines, nec uita uita oblectamenta, quæ fraudi modo, & detrimento proximo non eſſent, ab ſe, & ab quotidiano cultu, uictuq; ſuo reiſciebat: non eſt ad uerum, & proprium legis nomen illa lex naturæ applicanda, atque aptanda. Quapropter de lege Moyſis oratio tota eſt. Quam quidem ſcimus legem, inquit, quòd ſpiritalis eſt, id eſt, ei parti hominis edicta, & lata, quæ ex mente rationeq; conſiſtit. Sic enim ſpirituale hoc loco, ut cupiditati, & ſenſui, quæ magis corporeæ ſunt affectiones, opponitur, intelligendum eſt; qualis interior homo eſt, qui non uidetur, nec tangitur, quod eſt proprium ſpiritus, ut diſtinguitur ab homine externo, & corporeo, qui iam ſenſioni, & oculis ſubiectus eſt. Porro autem mens, & ratio ſpiritalis pars hominis, quæ ſenſum omnem corporis effugit, uerius, & dignius ipſa eſt homo, quàm aut caro, aut qui in carne affectus ſedem, & locum obtinent, cui ipſi parti potiffimæ, & principi lex eſt præcipue lata, quæ inſtrueret mentem, atque erudiret genere illo ſcientiæ, per quod prauum illa à recto, bonum à malo, quodq; Deo gratum eſſet, ab eo, quod ingratum, ſciret poſſetq; diſtinguere, & cū illud perſequi, quod probari Deo intelligeret: tum id uitare, quod eſſe illi odioſum, aduerſariumq; arbitraretur. ſpiritalis eſt igitur lex, quoniam huic parti lata eſt, quæ eſt longe aliena, & diſſentiens à corpore, tum natura, tum etiam ſtudijs ferè & uoluntatibus, per quam partem poſtea etiam in ſenſus, affectioneq; corporis dimanare legis uis & præceptū bene agendi, recteq; concupiſcendi poſſit. Sed ut nequaquam fuit difficile uinci à lege rationem & ſubjci, ita illud



illud difficilimum per rationem, & per legem, temeritatem carnis contundi, & comprimi. Obstat enim semper hic corporeus homo rationali homini, neque illi dicto patitur audiens esse, & cum in unam partem ab illo discedere iussus est, in aliam, & diuersam nequiter ipse contendit. quod cum facit, non ille menti eripit concordiam, & consensionem conueniendi cum lege, sed in seipso illius uim, & facultatem irritam facit, ut corporeo homini nequeat lex dominari, eò quòd is & legi, & rationi còtumax sit. Hunc utrunq; hominem in semetipso exprimens Apostolus, tanquam uterque loquitur, & nunc se in parte carnis, nunc in spiritus ponit, Nouimus, inquit, quòd lex spiritalis est, hoc est menti, & rationi lata, & in ea imperium obtinens. Sed ego homo carneus sum, uenditus sub peccatum, mancipium factus peccati, cui caro ipsa me uendidit. Illa enim tantummodo id cogitans, quo pacto posset explere cupiditates suas, reliqui hominis in me rationem nullam duxit, sed uoluptatis pretio empta dedit peccato me possidendum. Itaq; quod facio, non cognosco, cum ego seruo peccato, nò id agnosco meum, non mei illud iudicij, non liberæ uoluntatis est; non enim, quod uolo, id ago, sed quod odi, id facio. Ita in utroque est uis, cum neque quod uolo, id agere mihi permissum est, & ad id, quod odi, faciendum detrudor. Sed in hac tamen dissensione apparet, si id quod ago, non agere magis uellem, quòd ego internus homo uidelet, & ex ea parte qua spiritalis sum consentio legi, & eam approbo, atq; adscisco, tanquã bonam; quòd si contra eam ipsam ago, non iam is ego sum interior homo, qui legem frangam, sed est peccatum illud, quod habitat in me. Peccatum quod habitat, inquit, cuius & fomes natura nobis inlitus est, seminarium cupiditatũ, & seditio num omnium, quod nequaquam à nobis auellere possumus, & ipsa deinde frequentatio, confirmatioq; peccati, quæ peccandi consuetudine in habitum moris adducitur, etiam contra legem est, & contra mentis rationem ualentior. Atq; illa quidem naturalis carni hominis ad peccatum propensio præceptum illud legis aspernatur, quod est, Non concupisces. Habitus uero ipse peccandi, reliqua præterea omnia constituta legis, atq; mandata confundit, & dissipat. quod cum inuita, & reluctante ratione fit, quod accidit fermè in ijs, qui scientia instructi ad cognitionẽ boni, malicq; sunt, ut non prorsus ruant, neq; ad delinquendum proiciant sese, sed uia tacita quadam sensim eò pertrahantur, tunc est rationis & uoluntatis cum habitante in carneo homine peccato, dissidium, ut uoluntas quidem legem amplectatur, illicq; harere cupiat, peccatum autem & legi, & uoluntati uim afferat. Non enim, inquit, in me, hoc est, in carne mea, habitat bonum. Nam si habitaret, cum ego bonum uelim, agerem id etiam. Quid ita autem non ago? Quia cum id cupio agere, non inuenio uiam, quæ me eò deducat, qd & uia alia quadam distrahor, & lumini mentis meæ quasdam intus tenebras offundisentio, cum illa uaporibus, fumisq; cupiditatum turbata, atque aberrans, neq; consilium pristinum firmum, neq; rectam semitam amplius tenere scit.

Reperio igitur legem uolenti mihi facere bonum, quòd mihi malum apositum est, condelector enim legi Dei, secundum internum hominem: uerum aspicio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me dedentem legi peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me liberabit è corpore mortis huius? Gratias ago Deo per IESUM CHRISTUM DOMINUM nostrum. Igitur idem ego mente quidem seruo legi Dei, carne autem legi peccati.

PERGIT eundem statum demonstrare Iudæi hominis ex lege uitam agentis, in quo ista pugna mentis, & carnis assidua est, neq; ullo pacto potest ad còcordiam conuerti, quod in illa lege accidit, quia etsi spiritũ ac rationẽ lex instruebat: carni tamen bonam, & magnam partem relinquebat. Nam & diuitias magnifieri permittebat, & connubia etiam plura non interdicebat, ea que à Domino Deo peti suadebat, quæ essent carni, corporicq; accommodata, atque apta, ut pluuias, ut fertilitates, ut terræ fructus, ut familiarum, & armentorum sobolem, ac denique uidebatur lex ita Deum Hebræis



Hebræis proponere colendum, non ut eum ipsius causa hi uenerentur, sed ut ad sua terrena optata consequenda illius maiestate, & numine abuterentur. Et si nō hoc uitium omnino erat legis, sed error eorum, qui legem tantum ex uerbis, & literis attendebant, eueniebat quidem illud necessario, ut permisso semel cupiditati regno, regi postea cupiditas, ac sustineri, uti uoluisset lex, minus facile posset. Reperio igitur, inquit, legem, quod uolenti mihi agere bonum, malum adiuuctum est, hunc, inquit, effectum in me legis, hanc doctrinam sentio, quod scio iam discernere, & distinguere in memetipso aliud esse mei, quod assentiatur legi, aliud, quod repugnet. Quod si non esset lex, nequaquam ego id animaduertissem, sed totus inclinasset ad cupiditatis nutum. Nam recti quidē, & honesti, quatenus cum Deo, & ex Deo ratio illius ducenda est, incogitans fuissem. Distinguo itaq; in memetipso, ex doctrina legis, & docente me lege, quod Dei lege delector secundum internum hominem rationalem, spiritualesq; uidelicet, secundum autem externū & carneum, repugno legi mētis meæ, quæ eadem est & Dei lex, quando ipsi quidem legi Dei, mea mens assentitur, & annuit; homo autem in me carneus, captiuum me redigit sub peccatū. Nam quod hoc legis uocabulo, & in membris, & in peccato abusus est, nequaquam id est proprie dictum. Sed ut solemus dicere, Mammonam dominum, ac uentrem Deum, non quod aut dominus ille, aut hic Deus: sed quia sunt, qui illis sese nimium subijciant seruos; sic legem membrorum, & peccati, non quia ista lex, ut quæ è contrario omnium legum potius sit perturbatio, sed quod à multis peccato & carni nimium inseruiatur. Ex lege itaq; hoc didici, inquit, ut discernere, & nossem, cum cupio facere bonum, malum mihi adiacens, & appositum esse, quod iam antè alijs uerbis dixerat, per legem scilicet esse cognitionem peccati. Iam cognosco peccatum, uideo pugnam, intelligo quid intersit, sed quis est tamen, qui me ex hac eruat, & liberet seditione, atq; pugna? Quis est, qui huic corpori mortis, & carni peccati, hoc est, his corporis & carnis meæ incosistis peccato, ac morti silentiū, pacemq; imponat? Et statim tanquam hic innuens, quod paulo post apertius est dicturus, nō esse hanc opem à lege expectandam, quoniam ea huius ferendi auxiliij facultatem nullam habeat, & ad eum se conuertens, qui solus potest iuuare; Gratias, inquit, ago Deo per I E S V M Christum D. N. is enim me liberat Deus, neq; per legem tamen, sed per I E S V M Christum. Nam ego quidem ut Iudæus in lege spem reponens unus, atque idem cum sim, mente quidem seruius legi Dei, carne autem inseruius legi peccati, ut autem per I E S V M Deo seruius, ne carne quidem subijctor sub peccatum, & ab hac molestissima rixa, assiduacq; contentione sum ereptus, quod in uerbis sequentibus latius declarat.

Nulla igitur nunc condemnatio his, qui in C H R I S T O Iesu, nō secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum. Nam lex spiritus uitæ in C H R I S T O Iesu liberauit me à lege peccati & mortis. Quod enim impossibile erat in lege, & in quo illa impotens erat propter carnem, Deus suum ipsius filium mittens in similitudine carnis peccati, & ob peccatum condemnauit peccatum in carne, ut correctio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.

HIC IULIUS, Ad eum locum in Paulo uenimus iam, inquit, qui & fuit antea semper, & futurus erat inexplicabilis, nisi summū fidei nostræ mysterium hesternodie nobis Deus indicasset. Nam per Deum ipsum immortalem, quid aut uerbis his prescius, aut sententijs absconditius potis est quisquam cogitare, aut proferre? cum si illud unum dūtaxat hic opponatur, differi hic quidē de illa carnis rixa, quam nobis natura agnatam, & pertrahentem nos sub dominatu peccati frangere, & superare non potuit lex, quod eam C H R I S T V S à nobis remouit, atq; abstulit: nullam tamen hic dari rationē, nec causam, quamobrem, & quo pacto hoc ita fuerit factum, præsertim cum experiamur quotidie fere omnes, qui in C H R I S T I etiam fide Deo subiecti sumus, carnem, carnisq; peccata in nobis locum habere, si hoc unum, ut dico, hic obij



hic obijciatur, quæraturque cur non idem potuerit lex, quæ & cognitionem peccati tradidit, & uitari illud præcepit, & præterea præsentem quoque poenam non obtemperanti apposuit, quod potuit CHRISTVS, qui sine lege, sine ui, sine præsentis terrore damnationis, atque mortis tantummodo poenam & supplicium in illum extremum diem differens, carnis tamen peccatum dicitur interemisse, qui uere, & clare respondeat, & qui in his uerbis Pauli exponendis digitum recte queat progredi, profecto nemo reperitur, nisi si quis ad respondendum accedat illius celestis mysterij plena notione, intelligentiaque instructus. Itaque uideo æstus, laboresque eorum, qui hunc locum interpretari conati sunt, tanquam in medijs fluctibus manus pedesque agitantium, quod se aliquando eximere è tanto pelago, & uindicare in aliquam terram possint; quorum tamen sedulitas nobis non est infructuosa. Fecerunt enim illi suo labore, atque cura, ut & leuior noster labor, & uehementius in nobis studium inquirendæ, ac noscendæ ueritatis existeret: uerum illi partim conuersi ad prædicandam magnitudinem diuini beneficii, quod quidem iure, ac merito faciunt, dignasque in eo Deo gratias, & debita laudum præconia tribuentes, illud, quod unum maxime noster audire, & nosse expetit animus, quodque unum ad dissoluendas omnes quæstiones aptum, appositumque est, quare hoc gratiæ magis ex Euangelio nobis cõtingerit, quam ex lege, tanquam cõpertum omnibus prætermittunt, quod ab omnibus maxime ignoratur. Partim quandam uelut rationem reddere se credunt, quod in lege nostro ipsorum arbitrio, & nostris duntaxat uiribus relictis, expertes in ea eramus eius gratiæ, quam nobis per Christum Deus comunicauit, & contulit, quasi non huius ipsius ratio sit quærenda, quid ita in lege expertes suæ gratiæ nos uoluerit Deus. Ast ego tua hesterni diei disputatione edoctus, & quod summum mihi fidei Christi mysterium id plane demonstrasti, in quo præiuit nobis Christus, & perspicue uiam patefecit, ut cõtemneremus, relinqueremusque mundanas cupiditates, atque ea, quæ sensibus percipi, & corpore cõrectari possunt, in minimis haberemus; appetere autem magis sperareque celestia, quæ nec cerni possunt, nec tangi; atque horum spem potiundorum, in uno Deo totam cõstitueremus, cum & quæ hæc uitæ secta, hocque Christianæ propositionis uoluntatis præmia sequeretur, CHRISTVS ipse resurrectione ad immortalitatem iam uitam, & ascensione in caelum sua nobis ostendisset: cum hoc, inquam, uerissimum, altissimumque Christi mysterium patefactum mihi sit, facile iam ego possim rationem reddere, cur non potuerit lex; fides autem in Christo possit temeritates, & petulantias carnis in nobis cohibere. Etenim fini cõmutato, & alio inducto genere sanctioris, & uerioris, ac flagrantioris etiã cupiditatis pristina illa carnis cupiditas deflexa ad mundum cõcidat, & intereat necesse est: ut etiã si interdum quasi de improviso capti, deprehensique in delinquendo labimur, ab illo tamen proposito delinquendi, & ab omni cogitatione in terrenis rebus infixæ penitus abhorreamus, atque ita uel peccatum totum nobis, uel saltem animi seruitus, per quam peccato is subiectus est, sit ablata, atque erepta: quod tamen contingere nemini potest, nisi cum Christo in carne cõmorienti, & cum eodem à mortuis excitato, in eiusdem societate spiritus mox uiuenti. Illud tantum ex te quæro, quam obrem Paulus hoc fidei mysterium, quod Christus est, non ita aperte ubique exposuerit, ut omnibus esset in promptu, neu necesse nobis foret per tot mysticas, & arduas uerborum, rerumque intelligētias in id scrutando & inuestigando peruenire. QUONIAM, inquam, Iulii id ipsum, quod fecit Christus, idem illud Paulus in semetipso retulit, atque ostendit, qui mysterium fidei & uita docuit, & factis, ipse enim terrena item, & mundana omnia contemnendo, & quod alijs esset usui, atque saluti, salutis suæ ipse & cõmodorum suorum rationem nullam ducendo, tum autem tendendo ad superna, atque celestia, illorumque spem assequendorum in Deo uno collocando, planius multo cognitum, illustriusque faciebat fidei mysterium, quam si illud lingua, & uerbis tantummodo explanasset. Quamquam & satis, ut mihi quidem uidetur, in ipsius epistolis, & scriptis non modo iacta huius doctrinæ semina, sed etiã fruges lectissimæ, & optimæ eductæ sunt: ut in his ipsis uerbis, quæ modo recitata sunt, aperte patet, & perspicue, ut cum se dicit spernere omnia, quæ cernuntur, tanquam mortalia, & quæ non cernuntur, appetere, quod ea sint semperpiterna, uel cum ex oppressionibus spem confirmari fidelium testatur, uel cum gloriatur incommodis, quæ pro Christo plurima perpeffus est, uel cum in hanc sententiã sæpe

P loquitur,



loquitur, ueritatem esse in Christo, deponere nos ueterem hominem corruptum, secundum cupiditates, & renouari spiritu mentis, induereque nouum hominem secundum Deum conditum in iustitia, & sanctitate ueritatis. Ac si uerum proferre uolumus, totus potius Paulus mysterij est declaratio, quam ut in eius aliquot uerbis debeamus quarere, uenarique mysterium. Sed ut ad ea mi frater reuertamur, quae ad intelligentiam horum Pauli uerborum, quae tu iure difficilima esse dixisti, apta, appositaeque sunt: uides profecto ipse hoc, ut tu inquis, fidei mysterio edoctus, nullo modo potuisse legem, haec carnis uitia comprimere, iubendo, aut uetando, quae facillime comprimant fidei uirtus. Cuius impotentiae, & imbecillitatis in lege illa est ratio, quod lex quamuis spiritalis sit, hoc est, eius nostrae partis causa lata, quam interiorē in nobis hominem dicimus, is enim spiritus est corpori dissimilimus natura, atque substantia: atque ut ipsa nobis indicaret, atque ostenderet, in quo esset error, & culpa, & peccatum, idque ut discernere mus, ac uitaremus, instrueret; tamen non usque eō fuit spiritalis, ut nos totos ad ea euocaret, quae cognata, & propria sunt spiritus. Sed cum in carnalibus, & terrenis nos uersari permetteret, spiritum, hoc est, rationem, mentemque nostram ueluti ministram subiecit corpori, & carni, ut in illius tantum affectionibus, motibusque dirigendis, & gubernandis esset occupata: ipsa autem ex sese nihil sibi caeleste, neque diuinum proponeret, ad quod solum contenderet, & in quo summam constitueret beatitudinis suae. Itaque quemadmodum auriga, qui frenandis & cohibendis equis appositus est, aut gubernator qui nauis inter fluctus dirigendae praest, nullam unquam artem tam exquisitam, tam certam potuit reperire, qua fretus, non solum graueis tempestatum casus, sed etiam quotidiana omnium horarum pericula uitaturum se consideret: sic illi Mosaicae contigit legi, ut dum sancto illa quidem, sed tamen terreno, humilique consilio aliorum peccatis obuiam ire uult, efficeretur ipsa magis occasio peccati, quando ad carnis uitia, atque culpas, quas tollere illa non potuit, accessit etiam praeruaricatio. Nil igitur mirum, si nequiuit lex hominem carnalibus studiis deditum, frenare, & coercere. At fides CHRISTI, quae hominem totum excitauit e terra, & a mortalibus, interiturisque bonis curandis, atque expectandis, ad caelestia, & immortalia desideranda bona transfudit, utque horum terrestrium, sordes, ignobilitatemque contemnens illorum diuinorum praestantiam, nobilitatemque adamaret, doctore Christo persuasit, atque impulit. Quid mirum, si ea nullum peccato, & carni reliquit locum, quod illud in carne consistere, & dominari aduersus spiritum, uitamque posset? Atque cum de Iudaeorum statu, & eorum, qui legem colebant, proxime dixisset Paulus, rixamque in illis carnis atque mentis sua ipse in persona, ante oculos exposuisset, nunc ad uere Christiani hominis statum, & conditionem demonstrandam se confert, Nulla, inquit, his est condemnatio qui sunt in Christo IESU, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum. Nam hi neque legi subiecti, ut qui mundo, & carni, & terrenis omnibus mortui sunt, nec ius in eos lex, nec potestatem ullam obtinet iudicandi, atque damnandi: sub regnum enim spiritus, & uitae in Christo Iesu transeunt, quam nimirum uitam, neque dare, aut dimittere nobis, neque item auferre potest lex. Non enim absolui mur, neque condemnamur per legem, quicumque in spiritu ambulamus. Nam lex spiritus uitae in Christo IESU, inquit, legem hic non suo nomine appellas, sed uocabulo abutens, ut Mosaicae legi par uerbum legis in spiritu referat, quod est Apostolo usitatum. Nam uiuere spiritu totum amoris est, & uoluntarium unicuique: legis autem est iubere, & uetare, idque agere pro imperio, & minas quoque ac metum poenae adhibere. Lex ergo spiritus uitae in CHRISTO liberauit me a lege peccati, atque mortis, id est, illa spiritus uita, qua ego post obitam mortem cum Christo, per quam mundo, & carni fui peremptus, cum eodem mox Christo ad uitam iustitiae suscitatus sum, ut uiuam posthac Deo, & non mundo: ista inquam suscitatio, per Christum mihi comunicata ad spiritualem iam degendam uitam, liberum me reddit a lege peccati, atque mortis. Iam enim in me neque peccato potestas est, nec per peccatum morti, neque adeo ipsi quoque Mosaicae legi, quae est his utrisque posita, & ut peccatum nobis demonstraret uidelicet atque arguat, & ut peccato mortem poenam, nisi cauerimus, irroget. Ab ipsa enim tota lege per hanc iustitiae uitam iam sum liberatus. Sicut enim Christi mortem in carne illi obitam, ego in uoluntate mea, & in proposito animi imitor, quod carnem meam unam cum

illius



illius mortuam peccato uolo, sic & eiusdem resurrectionem imitatione assequor, cum ad spirituales iustitiae uitam cum eo ipso una excitor, atque confurgo. Quo in statu iam mihi consistenti neque peccatum, neque mors, & propterea neque lex potest dominari. Quod enim impossibile erat in lege, & in quo illa impotens erat propter carnem, propter carnem, inquit, impotens erat lex liberare nos a peccato, quod exprimere non potuit clarius, quam imbecillitatem propter carnem legi attribuere. Quoniam enim lex carni suum regnum, & cupiditates suas terrenas relinquebat, illas autem ipsa regere bono more duntaxat, & metu eas poenae ex Deo, atque item ex se moderari nitentur, ad tollendum totum ex homine peccatum, nequaquam ea uirum satis habere poterat. Deus uero misso filio suo, in similitudine carnis peccati, uera quidem in carne misit filium suum Deus, sed in hoc tantum simili carni nostrae, quod insitum, inhaerensque peccatum sicuti habet nostra, illa CHRISTI caro non habebat. Integra enim erat, neque ex Adam producta, e quo nos qui processimus, infectam peccati uitio carnem cuncti retinemus. Ita similitudinem illa in hoc quidem humanae carnis gerebat, ac non eandem omnino carnem, in caeteris uero nihil nostra a carne neque natura, neque infirmitate illa caro differebat. Nata enim erat & ipsa, atque facta ad externas accipiendas iniurias, unamque in eo, atque eandem cum carne nostra rationem communicabat, ad inferendas autem, & faciendas nequaquam: ad quod nostra nimis quidem prompta, & propemodum praecipua semper est caro, quae non solum extra, uerum etiam intus obtrectando rationi graues assidue pugnas, & quotidiana praemia nullo iure concitat. Misso igitur in similitudine carnis peccati filio suo, & ob peccatum misso, hoc enim est, quod in Graeco est scriptum, καὶ πρὸς ἁμαρτίας, non enim ab eruditis potest de peccato conuerti, sed aut ob peccatum, aut pro peccato, quod tamen utrumque intellectu idem est: sicque in scripturis haec locutio solet accipi, ut in epistola ad Hebraeos: ὅπου ἄφρασις τῆς ἁμαρτίας ὄντι ἐκ προσφορᾶς πρὸς ἁμαρτίας, id est, non amplius pro peccato sacrificium. Et paulo infra: ὄντι ἐπὶ πρὸς ἁμαρτίας ἀπολείπειν θυσίαν. Et rursus: ὅντι εἰς φέρειν ζωὴν τὸ αἷμα πρὸς ἁμαρτίας. Et apud LXX. in Esaia: ἐὰν δ' ὄνται πρὸς ἁμαρτίας ἡ ψυχὴ ἡμῶν, ὄνται πρὸς ἁμαρτίας μακροβίον: hoc est, si detur pro peccato anima nostra. Itaque misso filio suo in similitudine carnis peccati, & pro peccato, aut ob peccatum misso, hoc est, quia peccatum erat, quia pollebat, dominabaturque peccatum, ita & missionem filii ab Deo, & modum, quo modo missus, quod in carne simili huic peccatrici carni in mundum est destinatus, & causam, cur eum Deus miserit, misit enim ob peccatum, ut obuia iret, prouideretque peccato, ne id omnia ad sese traheret, atque conuerteret, ac effectum quoque illius missionis ostendit, quod in carne sua simili carni peccati condemnauit peccatum in carne. Illud enim peccatum, quod propter carnem irritam uim legis in nobis faciebat, nosque sanctis monitis eius, obtemperare non sinebat, illud, inquam, peccatum suscepta carne nostra, & cruci mortisque addicta, in carne ipse peremit, quatenus nos extinctis in carne nostra cupiditatibus deceptionis, totos ad cupiditates transtulit ueritatis, ut correctio, inquit, legis impleatur in nobis. Nam & sic necesse est uerbum Graecum, δικαιώμα correctionem uertit. Non enim intendebat lex nos sic dirigere, ut omissis omnibus mundanis cupiditatibus, coelestibus tantum curas, cupiditatesque sectaremur: hoc enim non legis, sed fidei CHRISTI est proprium, nisi & ipsa lex in sensum fidei spiritualiter accipiatur. Sed intendebat lex nobis in mundo, carneque uersantibus, modum tamen quandam cupiditatibus, & ordinem adhibere, in quo opinione sua longe decepta fuit. Itaque hunc errorem legis, hanc diminutionem illius, tum auctoritatis, tum consilii correxit in nobis fides, quae totos nos ex ipsa carne eiecit, atque extulit, ut exemplo Christi, & diuinae illius doctrinae documento instructi in spiritu iam deinde, non in carne amplius ambularemus. De quo ad Galatas hanc distinctionem legis, & CHRISTI, Iudaei, & fidelis, ac utriusque statum breuiter ostendit: Spiritu ambulate, inquit, & cupiditatem carnis non explebitis. Atque hoc Christianum est: mox alterum, quod sequitur iam Iudaicum. Nam caro, inquit, concupiscit aduersus spiritum, spiritus aduersus carnem, opponunturque inter se, ut ne quae uelitis, ea faciatis. Vides ne quod pluribus uerbis paulo ante disputauit, certamen, & rixam in homine ex lege dirigente terrenas cupiditates ante oculos exponens, idem paucioribus ad Galatas uerbis ab eo esse expressum?



Atque ideo etiam ibidem adiecit: Quod si spiritu agimini, non estis sub legem. euaserunt enim ex lege, & imperio legis, qui dimissis carnalibus, in quibus maxime elaborat lex, ad spiritum se, & ad spiritualem uitam contulerunt.

Qui enim secundum carnem sunt, ea quæ sunt carnis student: qui autem secundum spiritum, ea, quæ sunt spiritus. Nam studium carnis, mors est: studium autem spiritus, uita, atque pax. Ideo studium carnis inimicitia est in Deum. Legi enim Dei illud non subijcitur, neque adeo potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem non estis in carne, sed in spiritu, siquidem spiritus Dei habitat in uobis. Si quis autem spiritum CHRISTI non habet, hic non est eius. Si uero Christus in uobis, corpus quidem mortuum est ad peccatum: spiritus autem uita, ad iustitiam.

PERGIT in eodem Apostolus insistere argumento, ut qui in spiritu sunt, & qui in carne, distinguat, & utrumque fructum, finemque demonstrat: Qui secundum carnem sunt, inquiens, qui uias carnis insistant, illi ea meditantur, quæ sunt carnis, caro porro in terram est conuersa, & prona, ergo eorum meditatio tota terrena est. Qui uero in spiritu sunt, qui ad naturam spiritus se referunt, quæ nequaquam corporea, neque sensibilis est, illi ea meditantur, quæ sunt spiritus: spiritus autem in sublimi se effert, amat, & appetit cognationem suam, quæ cœlestis, & immortalis, & nuda omni corpore est: ergo horum meditatio in cœlo & Deo fixa est. Ita meditatio carnis mors est. Cum enim caro tendat, & inclinēt ad ea appetenda, quæ caduca sunt, & diu stare non possunt, eaque ut cognata, & familiaria diligat, & ipsa necessario cum meditatione sua, & item illa, ab ea quæ appetuntur corruptibilia sunt, & fini, mortique addicta atque nata. Meditatio autem spiritus, quæ in cœlestibus uersatur, uita est, & pax. Nam & in his hæret, quæ immortalia sunt, tanquam cognatis, in quibus & ipsa perpetuo uiuit, & pacis fructu potitur, quod neque morsus ullos conscientiæ sentit, qui lætitiæ animi, quod in uoluptatibus carnis contingit, intus illi faciant amariorē, & cum summo bono, ipso nimirum Deo, pace, & concordia semper iuncta est. Nihil enim uult, quod non ex ipso, & per ipsum, uel potius, quod non ipse Deus sit. Atque ideo meditatio carnis inimicitia est in Deum: auertit enim ab eo, & ad contrarias partes reuocat, atque diuellit, quod est proprium inimicorum, & eorum, qui cupiunt obesse. Contraria porro sunt terrena cœlestibus, infima summis, inquinata mundis, caduca immortalibus. Quarum quidem deteriorum cura, & meditatio, quæ carni sua, & peculiaris est, nec unquam subiecta est legi Dei, neque uero etiam potest subijci, ex aduersario enim genere, & penitus alieno tota conflata est. Itaque qui in ea ipsa carnis uoluntate consistunt, nequeunt Deo placere, quandoquidem hi se ad infensas Deo, & inimicas potius dant partes. Sed quod ait legi Dei non posse subijci meditationem carnis, cum de lege Moysis intelligendum est, quæ in hoc præcipuo uno opere occupata, ut carnem sibi subigeret, nunquam tamen potuit illius feram, indomitamque naturam ad mansuetudinem, modestiamque redigere: tum etiam legem Dei, ipsum illum spiritualem uiuendi modum, ordinemque describit, à quo etiam magis caro remota est. Vos autem estis non in carne, sed in spiritu, siquidem spiritus Dei habitat in uobis. In illis dicitur spiritus Dei habitare, quorum spiritus cum Deo, & Dei spiritu coniunctus amore fertur in Deum, ut idem uelit cum Deo, & consentiens illi sit. Spiritus enim ille Dei, diuinus amor est. Porro qui huiusmodi sunt, nihil cum carne, carnisque desiderijs, commercij, aut rationis habent, aut si habent, necesse est, ut tantum se distrahant à Deo, quantum studij, & amoris in carnis studia conferunt. In quibus igitur habitat Dei spiritus, hi non sunt in carne iam illi quidem, sed in spiritu, qui hoc modo sponsor est nobis, & arrabo futurorum bonorum, & beneuolentiæ Dei summi erga nos, ut supra Paulus, & Ioannes alibi, quæ dicit, In hoc scimus, quoniam Deus manet in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis. Quod si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Nunc spiritum Christi, paulo ante Dei, quoniam unus, atque idem



idem omnino spiritus est, & in eo tamen diuisa est erga nos operatio. Nam spiritum Dei magis agnoscimus in resurrectione nostra ad iustitiam, & in finis ipsorum diuinarum, æternarumque, quas petimus; Christi autem spiritum, & in hoc, & itē magis proprie in illo, quod carnem peccato mortuam continemus. Hac enim ex parte propria est actio in nobis spiritus Christi, ex qua tamen ad illam alteram partem fit transitus: ideoque qui hunc Christi spiritum non habet, is non est Christi, & quod necesse præterea etiam est, non est is Dei. Non potest enim surgere ad uitam, & ad iustitiam, qui non prius obierit peccato carnis mortem. At quoniam est spiritus CHRISTI? & in quoniam inest CHRISTVS? In eo, inquit, cui corpus mortuum est propter peccatum; id est, ut ne peccet, mortuum est. Et ad hunc effectum non peccandi mortuum, & cui spiritus uita est propter iustitiam, quod est, qui uiuit spiritualiter omni bonitati, atque uirtuti, in eaque uirtute, Dei iustitiam, diuinamque bonitatem imitatione assequitur. Atque hic quoque in his uerbis satis expressum est fidei Christi mysterium, quanquam Apostolus compressit & suo more locutus est. Est igitur is Christi, & in eo Christus est, qui corpus habet mortuum peccato, & spiritum uiuentem habet, non cuiuslibet curæ, neque humanæ cogitationi, sed assequendæ, & imitandæ iustitiæ summi Dei, ad quam iustitiam cum resurrectione Christi is quoque surrexit.

Si uero spiritus eius, qui excitauit IESVM è mortuis habitat in nobis, qui excitauit CHRISTVM è mortuis, uiuificabit & mortalia corpora uestra per inhabitantem ipsius spiritum in uobis.

HÆC accessio ad ea, quæ antè dicta sunt à Paulo apposita est, ut quod de morte corporis, & de uita spiritus mentionem modo fecit, ne existimarent legentes totum esse quod in CHRISTI fide ab Deo nobis ostentatum sit, & propositum, quod immortalis quidem spiritu, & anima futuri essemus, corpore autem mortui, remouet statim dubitationem hanc, & futuram corporum resurrectionem ostendit, causamque, & rationem affert. Quod si spiritus Dei, is enim CHRISTVM Deus excitauit à mortuis, in nobis habitauerit, hoc est, si anima nostra proprium domicilium Dei fuerit, si nulla pars animæ diffuset à Deo, neque in alienas curas, alienos uel amores se deflexerit, sed hærebit omni sua cupiditate, & appetitione in summo Deo, sic enim illum in se inhabitantem continebit, cum nihil, quod non ex illo sit, spiritus noster cogitabit, aut appetet. Si igitur is Dei spiritus habitauerit in nobis, qui excitauit IESVM à mortuis, Deus is ille ipse mortalia quoque nostra corpora ad uitam excitabit per inhabitantem illum suum in nobis spiritum, qui non patietur corpora in perpetuum iacere, quando ipse Dei spiritus maiore nixu, atque uel in cælum, uitamque tendit, quam ut queat in terra à corpore retineri & deprimi: ad eam autem uitam excitabit, quæ cum eodem semper Dei spiritu coherens sit futura. Namque hæc propria futura est spiritus Dei in nostris corporibus excitatio, siquidem omnia passim humana corpora excitabuntur, neque in omnibus tamen fuerit inhabitans Dei spiritus. Verum illa corporum uulgaris excitatio immisione animæ in quodque corpus suæ faciendæ est, quæ cum per se uitam animæ deferat, reuocata in corpus uitam statim suam cum illo communicabit. Sed quæ anima Deo ita coniuncta fuerit, ut spiritum suum aluerit, & conformarit spiritui omnipotentis Dei, seque ipsam Deo habitaculum præbuerit, illa in corpus rediens, non suam solum corpori, sed & illam spiritus Dei uitam insinuabit, atque inferet, quæ erit ipsi Deo similitudine, imitationeque propinqua. Non uiuet enim modo illud corpus, sed & beate uiuet, & Dei consuetudine perpetua, amicitiaque perfruetur, quod cæteris corporibus non continget, quæ fuerint animabus tantum suis absque Dei spiritu in uitam restituta, & reposita.

Quapropter fratres debitores sumus non carni, ut secundum carnem uiuamus. Nam si secundum carnem uiuatis, debetis mori: si autem spiritu actiones corporis perimitis, uiuetis. Quotquot enim spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei. Non enim cepistis spiritum seruitutis, rursus in formidinem.



Sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus abba pater. Ipse spiritus contestatur spiritui nostro, quod sumus filij Dei: si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.

DEBITORES sumus, non carni, inquit, ut secundum illam uiuamus, id est, nihil debemus carni, ut ad illius nutum uiuere debeamus; nullo enim illa beneficio sibi nos obstringit, sed inducit potius in fraudem, ut quæ interitum & mortem suis sectatoribus offerat: debemus autem spiritui, à quo uero beneficio, summoq; afficimur, quod ab eo uitam, & immortalitatem obtinemus. Si igitur uolumus uiuere, si nos delectat uita, huncq; uiuendi fructum proprium, & perpetuum tenere cupimus, spiritu actiones corporis perimamus, eas scilicet in quibus corpus spiritui repugnat. Has enim si interemerimus, cum hæ nobis mortem accersant, & concilient, mortem ipsam in nobis interemptam habebimus, extabitq; & eminebit spiritus uita, quæ illi semper comes, & coniuncta est, in hoc quidem seculo operatrix iustitiæ, in altero uero æternæ beatitudinis assecutrix. Quicumq; enim, inquit, spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Ecce immortalitatis & beatitudinis nostræ rationem. Cum enim necesse sit, ut aut Dei spiritum habeamus in nobis, aut spiritum mundi: si cū spiritu mundi conflatum, & conspirantem spiritum nostrum habuerimus, filij mundi nominabimur, & illi erimus tanquam filij patri subiecti, & obedientes, aut potius, ut domino serui parebimus, iniua enim illius, iniustaq; imperia & suscipiemus, & exequemur, quod est, ut seruentium tyranno, non ut parenti obedientium ministerium. Si uero spiritum nostrum cum Dei spiritu copulauerimus, patrem nobis uere noscemus esse Deum, etenim illius madata, atq; imperia omnia nobis ad salutem, ad lætitiã, ad uitam esse experiemur, ipsiusq; indulgentiam erga nos intelligemus. Quæ Dei nobiscum, ut patris cognatio ex fide CHRISTI nobis peculiaris est. Namq; Iudæi, qui utrunq; & Deum, & mundum adsciscabant, duosq; sibi dominos confusa mente commiscebant, magis tamen erant filij mundi, quàm Dei. Etenim mūdum quidem amabant ipsum, appetebantq; eius bona, atq; in illis fructum uitæ constituiebant: Dei autem metu & timore ad suas frænandas cupiditates adducebantur. Ideo enim uerebantur, & cauebant Deum lædere, ne ab eo terrena possessione priuarentur. Sed tamen quoniam & ipsi spiritu Dei educti ex Aegypto, & in solitudine custoditi, & lege instructi sunt, ne de eis quoq; intelligeretur filios Dei, sicut nos sumus, item illos esse, quoniam & ipsi spiritu Dei quodammodo ducti sunt, ideo subiunxit Apostolus, nos nō accepisse spiritum seruitutis rursus in formidinem, sed accepisse spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba pater, qua eadem geminata paternæ appellationis uoce, in Marco ad patrem utitur IESVS, & utrunq; nomen patris est, alterum Syra, Hebræaq; aliarum Græca, & Latina lingua, ut Deum communem patrem omnibus esse ostendat. Ac nos quidem in quotidianis nostris ad Deum precibus primo statim effatu patrē illum inuocamus, ab ipso IESU Christo admoniti, ac edocti. Sed & affectus quidam animi est interior, qui Deum non solum nominat sibi, sed cognoscit etiam patrē. De quo etsi hesternò die non pauca diximus; tamen hic quoq; aliqua dicenda sunt, ut uirtutem fidei nostræ, & beneficia IESU Christi sæpius nobis in memoriã reducamus. Pater quidem ergo omnibus nobis Deus est, quatenus semen cognationis, cum illo in nobis obtinemus, quod ad similitudinem ipsius fuimus creati. Sed & Adam pater est omnibus nobis, quod naturam nostram, atq; substantiam hunc animalem uidelicet hominem totum ex illo hausimus. Est enim ita de eo scriptum: Et factus est primus homo Adam in animam uiuentem. Homo igitur animalis, hoc est, qui anima, & uita tantum nititur, cuius omnia officia sunt ad eum finem, ut hanc uitam mortalem custodiat, illius terreni hominis Adæ, ut ipse ad Corinthios Paulus scribit, filius est, qui semen præstantioris suæ cognationis cum Deo, aut non attendens in semetipso, aut despiciens, carni, & corpori sese ferendum totum dat, illisq; fouendis & explendis omnem diligentiam adhibet, qui huiuscemodì homo morti omnino addictus est, sic moriturus, ut nō unquam amplius talis exurgat. Sed in ipso homine post aduentum adultæ iam rationis, si diuinum semen illud & cognatio cū Deo fuerit



fuerit animaduersa, & cognita, statueritque, qui animaduernerit, Deum patrem reco-  
 gnoscere, & in illo spes suas ponere, tunc duplex illi uia, & ratio proposita erit, una  
 in lege Moysis, altera in fide CHRISTI. Lex Moysis Deum sic patrem colen-  
 tibus eum proponit, ut non ipsum tamen filijs, neque illius non uisa, & sensibus  
 non percepta bona, sed ea, quæ sentiuntur, & cernuntur ab eo optanda esse doceat,  
 atque ut eorum adipiscendorum authorem sibi Deum uelint esse, illos admonet,  
 quem patria quadam indulgentia erga eos præditum suscepturum illorum curam,  
 tanquam filiorum patrem prædicat, & in promissam terram mel, & lac fluentem illos  
 deducturum, pluuiasque illis tempestiuas, & fructus annuos producturum. Atque hic  
 primus aditus est, atque ingressus adtribuendum Deo honorem, tanquam patri,  
 propter quam causam in ueteri scriptura Iudæi filij Dei saepenumero appellantur,  
 & quidem ab ipso imprimis Deo, ut cum ait: Ego dixi, dij estis, & filij altissimi om-  
 nes. Vel cum: Ego filios genui, & extuli, & primogenitus meus Israël. Idem quoque  
 Moyses ad populum arguens, & increpans: Deum qui te genuit, dereliquisti. Et  
 Malachias: Deus unus est, & pater omnium uestrum, quod in persona Dei Hiere-  
 mias: Patrem uocabis me, inquit. Vel cum dominus dicit de stirpe David: Ego ero  
 illi in patrem, & ipse mihi in filium. Iudæi quoque CHRISTO de semetipsis: Nos  
 unum patrem habemus Deum. Ex quibus omnibus manifestum fit, eos filios Dei  
 iam rite nominari, qui Deum unum authorem suum agnoscunt, & uenerantur. Sed  
 ut contingit in pueris, qui etsi parentes suos nouere, illisque blandiri, & habere hono-  
 rem didicerunt: non id tamen agunt parentum causa, neque quod illorum uoluntati  
 penitus uelint esse obtemperantes; sed ut per cultus illos, ac blâditias aliquid earum  
 rerum à parentibus consequantur, quas ætas illa concupiscit, propter quam causam  
 etiam metu, & minis coercendi sunt, ne affectionibus illis inducti, in praua fortasse  
 studia incidant, & malis moribus imbuantur: Sic accidit Iudæis, ut illum spiritum  
 Dei, quem ad Deum unum colendum, cognoscendumque acceperant, non in amore ac-  
 ciperent, sed in metu, & formidine: ideoque spiritum eum seruitutis appellat Paulus.  
 Amare enim uere non poterant Deum, quem idcirco amare præseferebant, ut ea,  
 quæ magis amabant, aliena ab Deo, atque diuersa, per eum consequerentur: & in illis  
 ipsis expetendis ac potiundis, quæ amabant, ne grauius ruerent, proximumque sæpe  
 alliderent, pœnis erant propositis, minisque coercendi. Filij ergo illi Dei, sed tanquam  
 pueri effigiem solum Dei inchoatam, ac rudem in seipsis deferentes, qui si postquam  
 uiri facti essent, & animo, & studijs patrem uoluissent imitari, atque illi penitus se con-  
 formare, & tradere, neque extra eum aliorum hæreditatem bonorum ex alijs paren-  
 tibus constituissent querere, uerum & integrum nomen filiorum fuissent merito.  
 Non enim puerili affectu quodam, sed stabili, grauique iudicio Deum patrem perco-  
 luisse. Et quoniam ad hæc spem, huncque finem alebantur de principio ab ipso Deo,  
 atque instituebantur, statim à primo filij uocari coepti sunt. Atque ideo Paulus con-  
 ditionem nostram ab illorum conditione seiungens, ait nos non ita accepisse spiri-  
 tum Dei, ut is nobis ueluti seruis ad timorem, formidinemque sit, quemadmodum qui  
 dem Iudæis fuit: sed ita accepisse, ut ingenui, & liberi in filios Dei adoptati paternæ  
 unà nomen necessitudinis, & amorem, ac sanctitatem eam, quæ ei nomini debeat, sus-  
 ceperimus, atque ut in his adoptionibus, quæ inter homines legibus fiunt, qui ex uno  
 genere adoptatur in aliud genus, emancipatus à priore patre in alterius transit pote-  
 statem, nomenque nouum fert, & mores, gentem sacræque commutat, fitque totus eius pa-  
 tris, cui se dedit adoptandū, & ex eo iam dependet, bonorumque illius expectat here-  
 ditatem: sic nos dimisso patre mūdo, genus Adæ reijcientes renuimus esse animales,  
 illamque corporeorum, & terrenorum bonorum hæreditatem, quæ ab genere illo nobis  
 ueniebat, repudiamus, & abijcimus, solaque ea bona expectamus, quæ ex Deo, & ab  
 Deo promissa nobis sunt. Ita in nouam familiam, nouum nomen, noue, & æternæ hæ-  
 reditatis spem traducti, ubi non amplius terreni, sed cœlestes, non in patrimonio cor-  
 ruptibili, sed in nunquam interituris bonis, spe, & desiderio infixi sumus: tum uero  
 Deum nobis appellamus patrem, tum optimorum filiorum charitate, & studio erga  
 illū accēsi fructus eos pietatis nostræ iam in hac uita capere incipimus, qui tali parte  
 digni



digni sunt. Nam hoc primum amore, & spiritu altiores efficimur, & e communibus istis humanis studijs, & appetitionibus in cœlum longe eminemus, pacatiq; & beati nihil intra nos sentientes, quod intestinae illi lætitiæ officiat, hæremus cōtenti in ipso complexu omnipotentis Dei. Ille uero in suo sancto spiritu nobiscum semper est, & sese nobis demonstrat, regnumq; cœli in animis representat nostris. Quod ipsemet in Luca testatus dominus est, iam intra nos & in hac uita esse, in qua quidem status nostri beatitudine, in quo animi gaudio conuersi ad Deum creatorem nostrum, & patriam illius indulgētiam erga nos, ueritatemq; eius bonorum, ac admirabilem fructū illorum, in nobis intelligentes, clamamus amoris uoce, atq; cordis, O pater, pater, o uere patrium erga nos animum, atq; amorem gerens. Et quidnam est præterea, quod ab optimo patre & eodē patre omnipotente aut sperare amplius, aut uero etiā optare debeamus? Ergo is spiritus, qui nos in hunc sensum rapit, qui ponere nos reliquas mundi curas, & sperare in solo Deo iubet, qui bona illius nobis indicat, atq; impertit, qui beatos & contentos iam in hac uita facit, idem ille ipse spiritus Dei sanctus, qui & ipse Deus, testimonium præbet spiritui nostro indubitatum, atq; certum, quod sumus filij Dei, quando ab illo patre nostro sic tractamur, ut amantius, indulgentius, liberalius tractari nequeamus, cuius quidem spiritus diuini testimonium spiritus noster, qui illi est cōiunctus, & adherens sic accipit, ut sese gerat pro filio Dei, cuius tantam erga se experitur indulgētiam, ut præ bonis animi, quæ ex illo possidet, mundū, & mundi bona, quæcunq; lingua nūcupare, aut sibi potest cogitatio depingere, tanq; cœnum omnia ducat, & in uno ipso Deo etiam nunc hic uiuens, & terrenis affectionibus etiam nunc pulsatus, constituat summam omnis felicitatis suæ; qui si persuasus est, habetq; exploratū se filium Dei esse, tanti fide testimoniij, & tot donis testimoniū comprobātibus adductus, eidem testi profectō credet, se cum filius sit, hæredē quoq; Dei fore, atq; eorum bonorum hæredem, quorum hereditatem maiorem suum fratrem Christum iam adiisse crediderit: quæ nimirum bona ea sunt, ut surrecturus homo totus è mortuis, & futurus deinceps sit immortalis, idemq; in cœlum ascensurus, & ad dexteram Dei sit confessurus; ubi enim caput, ibi & corpus manere est necesse propinquum similiter, & adiunctum Deo, non quidem pari dignitatis æqualitate, sed in capitis sui maiestate. Porro autem caput nostrum est Christus. Credet ergo & confidet certo spiritus noster se ita hæredem fore Dei, ut sit coheres I E S U Christi.

Siquidem unà patimur uti unà & glorificemur. Reputo enim quod nō dignæ sunt ærumnæ præsentis seculi, ad eam gloriam, quæ debet reuelari in nos.

S I Q V I D E M, inquit, nostræ fidei professio est, uelle pati cū Christo, ut ad eandē cum Christo gloriam etiam unà proueamur, ac ne nos perturbet mentio patiendī, speratamq; illam tot bonorum lætitiā incommodorū coniunctione diminuat, subiūgit statim sapienter & prouidē, reputare se, hoc est subducere rationem, & facere summam, quemadmodū facere soliti sunt, qui calculos, & numeros in summas colligunt, quod est perpēdere ex utraq; parte, & æstimare. Quid est autē, quod reputet? nempe hoc, quod omnes huiusce seculi molestiæ, omnes ærumnæ, incōmoda omnia, quæ cū Christo à nobis subeantur, nō sunt idonea ad tantū promerendū, quantum illis incōmodis præmium propositum est; quandoquidem collecta, & coaceruata in unum, si in cōtentionem futuræ gloriæ deducantur, illius longe magnitudine, & felicitate sint inferiora. Quod idem ipse alio loco, Quod nūc nos cōterit excedens leuitate, inquit, æternam excedentem grauitate gloriā comparat nobis non cogitantibus ea, quæ uidentur, sed quæ non uidentur; atq; hoc est spe attollere animum, & diminuere eadē opera laborem. Quid uero, num patimur omnes cum C H R I S T O qui in hanc fidē uenimus? patimur enim uero, qui si etiam non in uinculis, & plagis, & in omni corporis laceratione, ac supplicio C H R I S T I fidem constanter profiteamur, neq; in crucem tollimur, sicut ille fuit sublatus, eo ipso tamen, quod & ad ista parati animo, si accidat, sumus, & in medijs mundi cupiditatibus, atq; curis sustinemus quotidie prælia pertentantium nos & dolorum, & uoluptatum, atq; à cogitatione Dei transducere ad se



ad se nitentium, hisq; quoad licitū est, obstitimus, & repugnamus, gerimus ipsi quoq; crucem nostram, & abnegantes nosmetipsos, nostrumq; genus pristinum, contendimus, & adnitimur, ut efficiamur filij Dei. Et quoniam longo iam processu spiritū uehementer extulit Paulus, eumq; habere testimonium spiritus sancti, quod filius Dei sit, differuit, uitamq; ex eo pendere uno, & bonorum Dei hereditatē, futuramq; gloriam paratam illi esse dixit. Corpus autem & carnem in totum abiēcisse uisus est, ne qui forte suspicetur nihil istam partem apud Deum honoris habituram esse, neq; ad immortalitatem aspirare eam posse, ob hancq; causam nec tantum futuræ illi gloriæ fortasse deferatur, quantum opus est, & corporis commoda minus contemnantur, ueluti quod inique, atq; iniuria his præsentibus priuetur bonis, si id in posterum firmus nullos cœlestium illorum bonorum est percepturum, reuertitur Paulus ad conseruandum, corpus quoq; nostrum nobiscum unā futurum immortale, & bonorum eorundem cum spiritu particeps, implicate ille quidem, & contortet: sed tamen ut accurate, & subtiliter intuentibus, hic Pauli in hoc loco intelligatur esse sensus, nunc eius audiamus uerba.

Vehemens enim expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. Nam uanitati creatura subiecta fuit, non sponte, sed propter eum, qui subiecit in spe, quod & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.

VEHEMENS expectatio creaturæ, inquit, hoc uocabulum *κρίσις*, quod nos cæterorum opinionem secuti creaturam transtulimus, melius nostro iudicio conuertemus fabricam, habemus quidem uerbum uerbo par cōdere, quod est Græce *κτίσις*, idēq; in corporeis potissimum naturis, & rebus usurpamus: sed quoniam uocabula, quæ ex eo uerbo ducuntur, ut conditio, ut conditura, inciderent in alienos sensus, mentemq; legentis obturbarent, conditionis loco fabricationē proferimus, cuius uerbi uis cognata tamen est priori uocabulo, atq; propinqua. Igitur his, ut dico, nominibus ad corporum naturam utimur, quibus creatio ut longè communior est, sic ferè etiam est spiritualior. Creare enim animas Deum recte dicimus, cōdere, aut fabricari non ita dicimus. Sed quod *κρίσις* in hoc loco pro omni eo quod fabricatū à Deo est, hoc est pro cœlo, terra, elementisq; accipienda sit, quorum unā cum gloriā filiorum Dei sit facienda nouatio, quando ista propter hominem effecta, & fabricata, hominis ipsa quoq; conditionem in utranq; partem sequuntur, ut & laborante eo laborent, & pacato quietura sint, multa hic & præclara dicuntur à sanctis uiris, quasi nos ut adhortentur acuendas esse nobis uires animi, ut fortius certemus, quibus non pro nobis solum, sed tanquam pro aris ac focis sit etiam decertandum. Siquidem in illam perpetuam gloriam per patientiam, tolerationemq; certaminum postea introducti, & terram peccato primi hominis execrationi traditam, & cœlos senio, laboriq; destinatos, de quibus scriptum est, quod omnes tanquam uestimentum ueterascent, & sicut amictus mutabuntur, in nouam, & perpetuam pulchritudinem nobiscum simul restitueamus. Sed ego in eam mentem inclino potius, ut de fabrica corporis nostri intelligendum putem. Nam & cœli ante peccatum Adæ currere circumcirca, & se uoluere instituerunt, & feracitas terræ, ac cæterarum rerum opportunitas non tam sibi, quam nobis in laborem est uersa. Atq; ut ea etiam ita se habeāt, nec enim inficiamur, ne nos quidem, quin cuncta in seculorum fini, & in aduentu magni Dei nobiscum unā nouanda, & in potiozem statum commutanda sint: tamen argumenta futuræ immortalitatis nostræ magis ex nobismetipsis, & ijs, quæ in nobis experimur, & sentimus, ducenda sunt, quam ex alienis, ac longe distitis rebus. Itaq; & hoc uocabulo Marcus in Euangelio pro hominis tantum conditione, & creatione usus est, quā IESVS discipulis præcipit in illo, ut euntes in mundū omnem, prædicent Euangelium omni creaturæ, quod est *πῶς τῆ κτίσις*. In quo illud quoq; apparet & existit, quæ nobis maxime aduersaria sunt ad uictoriam, palmamq; contendentibus, & quæ inuincibilem uidentur habere uim impediendi, atq; obstandi, posse ea nō difficiliter à nobis superari,



quando nobiscum ipsa quoque, ad eandem gloriam immortalitatis aspirant. Sic igitur se habet uerborum istorum intellectus. Vehemens enim expectatio creaturæ, hoc est fabricæ, & illius in nobis partis, quæ condita corporea est, ipsa quoque expectat, ut accipiat reuelationem filiorum Dei, ut particeps etiam ipsa sit, ut eandem immortalitatem communicet. Est enim *ἀπεκδέχεται* compositum uerbum ab expectando, & capiendo, quod est quasi hiare expectando, ut accipiat. Reuelationem autem, quoniam arcanum consilium Dei de electis suis in illo extremo iudicij die omnibus reuelabitur, & tunc palam in medium omnia proferentur. Atque hoc uerbo sic positum ab Apostolo est, expectari à corpore nostro eandem immortalitatem, cuius quidem expectationis ratio communior illa sit, quod nihil est effectum, & in natura conditum, quin etiam si non ratione, & consilio, at tacito tamen desiderio ad melius semper spectet, & moueatur. Verum cum altera statim existat quæstio, quæ possit corpus immortalitatem appetere, quod ad ea omnia potius propensum, præceptumque sit, quæ sunt penitus contraria immortalitati, ut est tectus Apostolus, & munitus, omnia subito circumspectans, & prouidens, occurrit è uestigio quærentibus, & anteuenit, dicens istam ipsam fabricam partis sensibilis in nobis, corpus, carnemque uidelicet, non sponte sua subiectam fuisse uanitati, sed propter eius crimen, qui illam subiecit, hoc est propter Adæ crimen, qui obedientem illam primò rationi, & ex ea immortalitatem haurire in se paratam, suo peccato, & uitio deiecit ad corruptionem. Nam uanitatem hoc loco Apostolus, uana carnis desideria, & cupiditates inaneis uocat, quæ fructum mortis, & corruptionem afferunt, quas alibi cupiditates nominat deceptionis, quæ quidem efficiunt, ut uanos filios hominum, mendaces filios hominum appellet scriptura, & in imagine non in ueritate transire hominem confirmet. Etenim simul ut caro, quæ nullum suum habet ordinem, nec rationis lumen, ab illa in primo patre nostro cum mente, & ratione concordia diuulsa est, neque quod cuperet, cuiusmodi id esset, cognoscere amplius ipsa potuit, neque in eo ipso quod cupiebat, modum sibi, & finem constituere fuit apta. Sed etsi uanitati, ac corruptioni ex eo, animalis homo addictus fuit, retinuit tamen sibi spem, & illud insitum, atque occultum naturæ desiderium non abiicit, sese cum filiis Dei in pristinam aliquando nobilitatem, & ueterem gratiam redintegrandum esse, uel eo etiam maiorem, quod tunc in ipso Adam in ancipiti, & lubrico positus poterat & stare perpetuò, si decreuisset, & cadere, si hoc ei magis collibuisse. Posthac uero si fuerit redintegratus ac repositus, & maiorem multo, & in perpetuum stabilem gloriam est adepturus. Ab omni enim tum penitus seruitute corruptionis liberabitur: id est, ab ea terrenarum cupiditatum seruitute, quæ illum constrictum tradit corruptioni atque morti, quibus etiam in Apostolo uerbis iudicatur de fabrica corporis nostri fuisse dictum. Non enim cælum, neque terra huiusmodi corruptionis seruituti sic subiecta est, uindicabitur igitur corpus nostrum à seruitute corruptionis, & in libertatem gloriæ filiorum Dei liberabitur. Erit enim hominis animalis liberatio, accessio eius liberationis, quam ut spiritualis, & filius Dei, regeneratus uidelicet ex Deo, & natus homo consequetur, quæ tunc quidem fuerit libera & securus gloria, cum extra belli periculum, & huiusce uitæ lapsus, in exurrectione corporum propria & perpetua possidebitur.

Nouimus enim quod omnis creatio consuspirat, & congemiscit usque ad præsens: neque ea solum, sed & ipsi primitias spiritus habentes, & nos ipsi in nobis ipsis suspiramus, qui adoptionem in filios expectamus redemptionem corporis nostri.

OMNIS creatio uel fabricatio in hoc loco, & in unoquoque homine totus homo, & in uniuerso tempore totum genus humanum intelligitur, quorum utrunque scire se, & nosse affirmat Paulus, gemere unam & suspirare huius inueniendæ immortalitatis desiderio. Ac natura quidem res sese ita habet, ut quod Paulus alio loco, suspiramus, inquit, & affectamus, nolentes quidem exui, sed superindui, ut absorbeat mor talitas à uita, quoniam sic facti, atque conflati ex anima, & corpore in unam rem fuimus, totum



totum hoc quod sumus, diligamus in nobis ipsis, & incolume, ac saluum totum esse cupiamus. Neque erit quisquam pertentans animum suum, & omnes occultos sensus mentis suae cogitatione peragrans, quin in semetipso intelligat ferri nos amore, & studio conseruandi nos ipsos, atque ita conseruandi, ut nec partis in nobis, nec temporis iacturam aliquam libenter admittamus. Sumus quidem eo animo, si qui bene, & recte fuimus instituti, ut si alter utrum perdendum sit, corporis pati, quam animae detrimentum praepotemus. Verum enimvero non est plena, neque integra animi nostri consolatio: si tamen amissio corporis facienda sit, hoc desiderium adipiscendae & fruendae immortalitatis, ita in unoquoque homine insitum est, ut neque obliuione, nec contrario studio, aut ratione unquam ulla possit auelli, quod in alijs rebus, quas inaniter, & temere cupimus, nec possumus ullo modo adipisci, facile est prouidere ratione, ne cupiamus aduersus quidem totam hominis immortalitatem, quominus ea optetur, & anheletur, non uis, non suasio, non consilium ullum, non temporis longinquitas, non studiorum diuersitas potest, non denique ratio, non cuiusquam authoritas obstare, & prohibere. Quod studium si innatum nobis usque eodem est a natura, ut nequeat deponi, ne illud quidem simile, aut affine ueri est, frustra id in nobis, & nequicquam ab eadem natura fuisse insitum. Ad haec accedit ratio longe fortior, quae Paulo, & nobis in Deum rite credentibus huius eiusdem rei scientiam corroboraret, quod omnes, qui Deum quoquo modo cognorunt, & ab eo sunt uel inspirationibus & nuntijs e caelo missis, uel Moysis lege instructi, atque edocti, cuncti in hanc spem terrae mandati, & in se pulchris conditi fuerunt, tanquam denuo reuicturi, neque amplius postea in mortem essent recasuri, fuerit licet Saducæorum factio quaedam apud Hebraeos, quae sustulerit resurrectionem, & Paulum de eadem re Athenis disserere incipientem philosophia irriferit, sintque etiam nunc quamplurimi, qui corpori uni excolendo, & saturando neglecta fide immortalitatis adhibeant curam; tamen aliud in istis lingua, atque moribus, aliud mens ipsa intus, si consulatur, exclamat, praesertim si ea aliquo pacto sacrarum rerum, & rationum uel solis auditionibus fuerit imbuta. Est enim in Iob, est in prophetis, & denique penè in omni scripturae contextu, de resurrectione futurorum animaduertere. Horum porro praedicatio, & expectatio aliorum, si non uana, sed uera est, ut quae a summa Dei ueritate profecta, & inspirata sit, scire iam potest Paulus, & cum Paulo omnes qui Deo fidem habemus, cunctum hominum genus in hac spe fuisse corruptioni, & morti ad tempus addictum, ut extremo in tempore conseruat ad uitam, nec mortem postea amplius unquam oppetat. Nam aut qui hoc ex Deo perceptum habuerunt, certi spei suae, & resurrectionis, intelligentesque quid sperarent, tantisper naturae, & morti concessere, aut si a tanto doctore non fuerunt moniti, nullamque huiusmodi spei curam, nec cogitationem in animis suis uoluerunt: occultum tamen naturae, & mutum immortalitatis desiderium abdicare a se non potuerunt. Quare genus omne humanum, & quod mortuum est iam diu, & quod uiuit, suspirat uniuersum, & anhelat ad hanc immortalitatem, eamque ad totius integram hominis, non alicuius certae in homine partis, ut & totum genus, & homo totus ad incorruptionem, & uitam recuperandam contendat. Et quoniam de animo erat persuasibilis, de corpore magis ambiguum, alio etiam ualidiore inter uiuos utitur argumento, quo & animus ipse corpori, & testimonium spiritus sancti huic de corpore spei subuenit, & astipulatur. Non solum, inquit, haec communis est totius humanae fabricae, creationisque expectatio, reuiuiscendum denuo esse, & immortalem deinceps uitam agendum: sed & illi qui spiritus primitias habuerunt, quod est intelligendum de patriarchis, & prophetis, in quibus primo coepit operari spiritus sanctus, & nos ipsi, in quibus idem spiritus assiduam sibi iam domicilium constituit, qui non primitias tantum, sed integram messem spiritus sancti possedimus, quibus ille non solum flatu, sed flamma, & lumine amorem, & cognitionem summam ueritatis infudit, & qui adoptionem in filios Dei iam ex parte nacti, pleniorē etiam posthac, & illustriorē eiusdem Dei hereditatem expectamus. Hoc enim sibi uelle iam diximus ἀπερὸς ἡμεῶν, quasi expectare interim accipiendū: nos inquam, qui plenitudinem spiritus ex Deo hausimus, quem habemus intus omnis nobis ueritatis certissimum & sponsores, & testes,



suspiramus item ipsi, & expectamus redemptionem corporum nostrorum, quod nos faceremus, si hæc nostri pars, non ad obtinendam perpetuitatem, ipsa quoque nata, factaque existeret. Ac nequis hoc tantum dicat sperare esse, spe autem nostra falli, & decipi nos posse, refutat statim, sic inquit:

Spe enim seruati sumus: spes autem cum cernitur, non est spes. Quod enim cernit quis, quid etiam sperat? quod si quod non cernimus, speramus, per patientiam expectamus.

EA SPES, inquit, quæ de præterito pignus maximum nobis dedit, non se esse fallacem, ut per quam spem, salutem sumus adepti. Nam à primo cum credidimus Deo per IESVM CHRISTVM, & spes nostras à mundo auferentes, in illo omnes collocauimus, & fiximus, statim mercedem spei nostræ accepimus salutem nostram. A seruitute enim iniquitatis & mortis, ad uitam, & iustitiam Dei fuimus translati, in genusque, & nomen filiorum Dei uenimus. Illa igitur spes, quæ nos, ut alter ait Apostolus, Pauli consors, atque collega, regenerauit in spem uiuam, tantumque nobis bonorum cum promitteret, plus etiam dedit, ut quæ dignitatem humanæ nobilitatis, quam omni uitio, & culpa contaminati homines amiserant, cum se restitutam illis polliceretur, ultro Deos ipsos, & Dei filios effecit. Illa inquam spes, de futuro nos profectio non fallit, iam tot rebus, & argumentis nobis explorata, & perspecta. Sicuti non sefellit ne tunc quidem, cum ad eam nullo adhuc certo obside illius firmitatis inducti accessimus. At nunc posteaquam per eam nostræ illustratæ mentes, & cognita omnis ueritas, commerciumque cum Deo, & cum spiritu sancto salutis, & beatitudinis nostræ nobis innotuit, quid est uel quod minimum dubitemus, quin hanc quoque immortalitatem integri hominis ex corpore, animoque conflati, quam pollicetur nobis, sit præstatura: modo patienter, & cum tolerantia expectemus, quod est proprium eorum, qui in Deo, & fide Dei firmiter hærentes, solantur spe illa expectationem suam. Nanque & qui expectant patienter, & qui impatientes sunt, omnes quidem in uitam perpetuam cum corpore simul sunt resuscitandi. Sed illam solam immortalitatem, & ueram uitam sentit Apostolus, quæ electis Dei futura est. Hi enim immortalem uere uitam: qui autem à Deo damnati, & repudiati fuerint, mortem potius immortalem sunt inuenturi. Spes igitur, & in sperando atque expectando patientia, suscipienda nobis est, quando nec spes quidem amplius esset, si quod speramus, id iam teneremus. Atque ut animaduertas altitudinem Pauli sensorum, & quam obrem hanc spei disputationem interposuerit, perspice tute, & cum animo tuo considera, ut intelligas non esse locum calumniantibus ad hanc infirmandam spem, cuius probationem in hac uita, non modo consequi, uerum nec desiderare quidem possimus. Si quis enim contradicat, & asserat sperare nos uana, & expectatione nostra decipi, nempe id ita dicat, quoniam utrū spes ista uera sit, an ne falsa, in hac uita cupiat experiri, argumentaque ueritatis de hac spe ex his, quæ hic apparent, & cernuntur, ductenda esse constituat. At hoc nihil est, quod minus optari possit. Cupias enim unam, si istud cupias, & uiuere, & mortuus esse. Dum enim in hac uita sumus, in ænigmate sumus, & tanquam in imagine, ac simulacro ambulamus, cunctaque felicitas, & beatitudo nostra spe futuræ uitæ continetur. Quid ergo optes huiusce spei sensibile argumentum, cum si hoc obtineas, quod optas, amplius ipse sensibilis non sis? Itaque spem quidem istam contemnere, & postmittere, atque ad explendos sensus totum conferre te possis. Argumentari autem contra eam ex his, quæ cernuntur, aut testimonium flagitare certum, quod illam tibi ex sensibus confirmet, nullo modo possis, quin continuo repugnantia dicas, & id quod affirmas, simul etiam inficere. Ac quemadmodum si quis marinos fluctus solidam terram cupiat esse, ita tamen, uti fluctus nihilominus sint, ipseque ab illo nauigandi motu, & gestatione non deseratur, is huius sui optati nullam stabilem & constantem habeat rationem, sed sibimetipsi contrarius, & repugnans sit: sic qui futuræ uitæ spem ex his quæ sensibilia sunt, uolunt comprobare



probari, hi & sentire simul, & non sentire quod desiderant, uolunt: Quando ab omni sensu humano isto uide licet, & mortali aut spem, aut te abesse necesse est, si sis huius iusce spei sensum aliquem percepturus. Illa igitur tibi argumenta spei nostrae fidem faciunt, quae ex eadem spe ducta sunt: quam cum uideamus in eis rebus, quas in hac uita possumus experiri, promissionis suae fidem nobis praestitisse, quod reuocauit nos a peccati morte, & in iustitiae uitam insinuauit, ex quo aduersarijs Dei, & hostibus effecit eius filios: cum, inquam, uideamus spem nostram in Deum tot nobis & tam praecleara promissa expleuisse, eandem certo confidamus ea, quae adhuc supersunt, quae in altera uitam reseruata nobis sunt, etiam expleturam, cum horum praesertim, quae iam potiti sumus, illa quae expectamus, quasi comitatus quidam, & appendices esse intelligantur. **TUM IULIUS**, Proh Dei immortalis fidem mi frater, inquit, quid est nobis de hoc homine dicendum: utrum eum ex humano, an ex caelesti magis ordine statuamus: qui tantos cursus cogitationum, tanta inuolucra diuinorum consiliorum in tam paucis uerbis constringat, & alliget, & cum breue spatium progressus uideatur, caelum, & terras, & maria peragrarit: Quod porro pelagus doctrinae, quae uis inaudita caelestis sapientiae non in his uerbis indita, & impressa est: ostendit pene digito nos esse filios Dei, testes aduocat omni fide dignissimos: quippe illos ipsos, qui plane noscunt, intelliguntque ueritatem, spiritus duos uidelicet, & illum Dei, qui est ipsa ueritas, & nostrum, quatenus cum illo copulatus est, hoc est cum ueritate Dei haerens atque coniunctus. Atque in tantam nobilitatem, gloriamque sublatis, gerentibusque Dei cognationem, atque nomen, reuocat nos deinde ad respiciendam conditionem huius uitae, quae addicta sit laboribus, incommodisque perferendis, in quibus nos uersari aequo animo debeamus, & ad exemplum, ac imitationem **CHRISTI** Iesu aerumnas, & dolores hic libenter pati, ut cum illo quoque una eandem postea gloriam adipiscamur. Tum deinde conuersus ad demonstrandam conditionem nostri corporis, quod fragilitati, & morti uideatur relictum, immortale illud quoque fore confirmat, & in tempore reuelationis gloriae filiorum Dei, etiam ipsum ad uitam perpetuam restituendum esse dicit, atque in una re utranque rem expedit, & ut nos futuros ex omni parte ostendat immortales, & ut animum augeat, fiduciamque corroboret, posse nos corporis & carnis cupiditates uincere, cum ista quoque pars nostri in eiusdem expectatione, ac desiderio spei nobiscum, & cum spiritu nostro consentiat. Non enim per graues esse aduersarios, inter quos de summa rei conuenire est licitum. Atque ad hanc corporis probandam immortalitatem, huiusmodi immortalitatis spem, non ex his rebus, quae cernuntur, confirmandam, cum id fieri nulla ratione possit, sed ex eadem spe adminiculandam, ut spes spei testimonio, & certo documento sit, parsque iam adepta expectatae partis faciat fidem, tot, & tam densa aliud in alio intexit argumenta, ut assequi hominis penes sensum cogitatione nostra nequeamus. Ac uideo equidem aliter haec uerba ab alijs exponi. Sed ego facile suscipio rationem istam tuam, creationemque, uel fabricam potius, ut tu uis, ac recte quidem, mihi ut uidetur, de ipso tantum homine intelligo, quia is corporeus, & sensibilis est, quam nostri quoque partem ad immortalitatem suspirare nobiscum, affirmanti Paulo credo, quippe quae si non aperta uoluntate, at communi desiderio naturae ad melius ipsa etiam moueatur, ueterumque prophetarum, & sanctorum hominum dictis atque scriptis, ac praesertim Apostolis, & praekonibus summi Dei fidem de hac re indubitata habeo. Verum illud tamen quaero de ipsa carne scilicet, de qua tota corporis natura, qui non sit contraria, & semper inimica rationi, cum ad extremum usque spiritum nunquam ea turbare pacem animi, neque gerere bellum aduersus rationem desistat: quod si maior aduocanda est authoritas, cur Paulus carnem concupiscere aduersus spiritum, cur idem illius se non posse stimulos, ac molestias propulsare ab sese dicit: Cur dominus illam infirmam appellauit: neque haerem regni fieri posse saepe testatus est: Cur illa in terram, & mortem nos semper trahit, cum ad caelum, & ad uitam exurgere contendamus: Quae denique illa ratione peruenit, ut maiorem multo hominum partem suarum uanissimarum laqueis cupiditatum allicitam teneat, atque uinctam, si non hoc magnum est in eius natura proprium, ut opprimat semper & suo decore spoliaret rationem?



Quoddam si hoc illi natura uitium inest, quo pacto illud contrarium inesse potest, ut natura appetat etiam ipsa reuerti immortalis? *VITIVM*, inquam, Iuli carni inest, sed non ut est caro, nam si hoc ita esset, etiam antequam peccasset Adam uitio infecta caro, & rationi aduersaria fuisset, quod non erat ea tunc quidem, antequam ad esum interdicti pomi, & neglectiorem diuini precepti fuit deuentum. At postquam illo crimine corrupta ex pristina sua integritate decidit, ignorantia continuo tenebris cooperta tota, & ius quoddam, ac arbitrium suarum libere exequendarum appetitionum sibi stulte uindicans, eadem arrogancia nititur aduersus mentem, qua mens, & ratio primo extulit sese aduersus Deum, Sed etsi talis effecta parentis nostri crimine, & propter primam illam culpae labem, in prauos sensus, cupiditatesque est coniecta: insitum tamen illud naturae desiderium non potuit eicere, quin cuperet ipsa quoque particeps esse honoris. Atque ut ex euidentibus in animo nostro factis atque exemplis, illud occultum in rebus quae carent ratione, naturae consilium melius deprehendamus, uidisti ipse profecto, idcirco sapientius, homines uino, atque ebrietati deditos, qui cum in uno illo studio curas omnes suas, temporaque consumant, idcirco summum bonum in uita esse arbitrentur, nihilo tamen minus tacitis interdum confortantur stimulis, ut in media ipsa potandi alacritate, ac laetitia ipsi sibi displiceant, ac modestorum & sobriorum hominum cupiant esse similes: neque a uino tamen propterea, crapulaque desistunt, sed plenis poculis hilaritatem prouocantes, sentiunt amarum quiddam in animo, quod suauitatem illius laetitia infuscet & imminuat. Atque horum corrupta quidem uitio, & consuetudine ratio pergit in ipsum dedecus, sed in eo magis quotidie, magisque ingurgitat, neque ea tamen sine cura, & stimulo, ac dolore tacito potest consistere, cum id quod studet, & uult, sibi intelligat esse exitiosum. Simile quiddam nunc in corpore, & carne ipsa cogita, inanimaduersum illi quidem, & incognitum: sed nobis, qui lumine, & ratione utimur, perspicuum, & euidentis. Illa enim corrupta, atque infecta prauitatis labe agit, & contendit quidem omnia, quae & sibi sunt ad immortalitatem aspiranti, & nobis, qui pacem, ac concordiam cuperemus, infesta, atque inimica: sed tamen dolore quodam naturae necessario ipsa tangitur, nec intestinum illud desiderium amittit, quin cupiat esse compos immortalitatis: quod quidem desiderium quoniam pro nobis est, uitium autem carnis, ac praesens eius contaminatae studium & contra nos, & contra ipsam carnem, pugnemus forti animo, & praeliemur, tanquam in uniuersum uictores futuri, etiam si in aliqua parte aliquando uitio carnis uicti, peccato succumbamus. *PROBO* ista, inquit Iulius, & rationem tuam accipio: sed quod restare mihi etiam uidetur ad dubitandum, id ex te exquiro. Etenim si ista futurae resurrectionis in carne quoque, & corpore expectatio cognita Iudaeis fuit, hancque eandem expectare, & cognoscere praecipuum propere est fidei nostrae mysterium, idcirco imprimis & alleuat laborem & confirmat animum, ut pugnare, & niti, & sperare uictoriam aduersus carnis uitium debeamus, quid ita illi aut resistere carnis uitij aequae ut nos, non potuerunt, qua de re satis ante est disputatum, & dictum, aut in eiusdem penae expectatione praemij non eandem ipsi in Deum fidei uiam, & rationem, quam nos, inspicere? Quanquam ego ista dum percunctor, ad illud diuinum fidei nostrae mysterium, quod hesternae die nobis patefactum est, intuens, reperio statim horum, quae percunctor, dissolutionem. Illi enim sic restitutionem corporum sperabant, ut ad easdem iucunditates, eademque mundi commoda, quae in hac uita faciebant maximi, redituros in altera se confiderent, uxoresque suas, & domicilia, & agros recuperaturos. De qua illorum spe, atque opinione etsi non palam est, neque diserte in Moysis lege scriptum: tamen ex interrogatione Saducaeorum, quae de septem illis fratribus eandem uxorem deinceps ducentibus, quid in resurrectione corporum futurum esset, dominum illi *IESVM* sciscitanti sunt, quae fuerit Iudaeorum mens, & de futuris bonis expectatio, liquidum potest intelligi. Qui igitur bona haec corporea & terrena tanti aestimabant, ut fructum in illis perpetuae uitae ponerent, non poterant illa ne in hac quidem mortali uita sic contempnere, ut mentes suas ab illis ad Deum penitus auocantes facile resisterent carnis praelij, atque oppugnationibus, id quod nos melius possumus, qui & diuellimur in hac uita  
ab omni



ab omni mundi spe, & iucunditate propter Deum, & in futurum cœlestia, nō terrena bona expectamus. Ita illi neq; fidem in Deum eādem, neq; parem firmitatem animi ad resistendum carnis cupiditatibus inuenire potuere. Nunc lege tu, quæ sequuntur.

Similiter autē & spiritus coopitulatur infirmitatibus nostris. Hoc ipsum etenim, quod oraturi Deum sumus, quemadmodum oporteat, nescimus. Verum ipse spiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

HÆC PAULI sensa unum post aliud ipsius quidem more loquendi obscuro, & implicito, cum difficilia cognitu semper sunt, tum diuulsa sæpe, & interrupta, ut uix cohærere posse inter se uideantur. Sed nobis non tam ex uerbis interdum eius, quam ex spiritu, & mente facienda est interpretatio, ut in hoc loco. Quoniam enim de tolerantia, quam in illa spe futuræ gloriæ sustinemus, fuerat iam sapius uerbum factum, ut eam ipsam tolerantiam fortius constantiusq; teneamus, alio quoq; subsidio & firmamēto nos instructos demonstrat spiritu nostrum, qui uota, precesq; nostras ita dirigit erga Deum, ut nobis tuta, & salutaria postulemus. Atque hoc monstrato, ad Deum deinde ipsum reuocat omnem nostram facultatem, & consistendi, & tolerandi. Quod ergo hic ait, similiter & spiritum opem ferre infirmitatibus nostris, in eam rationem intelligamus esse dictum, ut duplicem uim habeat. Nam quod spiritus curam suscipit infirmitatum nostrarum, id est, earum, quæ sunt ex parte carnis, & corporis, cum paulo antè positam rationem comprobat, corpus eiusdem gloriæ socium fore nobiscum. Qui enim alioquin tantam de eo curam spiritus suscipiat, ut & redemptionem illius suspirando desideret, & in infirmitatibus, ac periculis ei opituletur: tum illud quoq; efficit, ut hoc quoq; sulti, munitiq; subsidio alacrius tolerantiam, & firmitatem resistendi capiamus. Nam quod sæpe iam Paulus totum hominem in sese alicui hominis parti cōponit, & tanquam de duobus in uno, & eodem loquitur, nunc hominem totum in spiritu constituens, ut quæ dicit, Nos in nobis suspiramus expectantes redemptionem corporis nostri: nunc in corpore collocans, ut in hoc loco, Spiritus opitulatur infirmitatibus nostris, est hoc quotidiano loquendi more usitatum. Spiritus igitur utrunq; facit, & confirmat nos ad perpetiendum, & ferendum, quandoquidem nos per patientiam expectamus, & fraternam de corpore suscipit curam, ut id ab errorum lapsionibus continendo in uiam, spemq; inducat iure optandæ, atq; expectandæ immortalitatis. At qui spiritus? non enim de isto mediocris est disceptatio. Sed nos missas facientes controuersias, quoniam id tantum proferre, & effari uolumus, quod nobis suppeditat, & inspirat Deus, dicamus nostrum hūc esse spiritum, quatenus is tamen ad Deum conuersus est, & totus aptus, atque dependens ex eo, quod facere ille non potest, nisi cum sancto spiritu sit coniunctus. Et sanè propria uoluntas nostra, & ratio cum in Deo locata est, solaq; spectat diuina, & immortalia, spiritus est, & eo nomine nuncupatur: quæ si deflectat ad mundum, atque carnem, ita caret spiritus appellatione, & nomine, ut rationis tamen, uoluntatisq; retineat, sed sit carnalis, & terrena ratio. Caro porro, & spiritus usq; eō diuersa inter se, alienaq; sunt, ut apte, proprièq; loquendo in unum nequeant coniungi. Ista ipsa igitur nostra ratio copulata cum Deo, & nihil planè uolens, quod Deus ipse nolit, est, quæ opem fert infirmitatibus nostris. Nam & cum auocat nos ab eis expetendis, quæ sunt caduca, & corruptibilia, pulchrioraq; multo, & amabiliora ex Deo, quæ appetamus, proponit: nimirum illa magnum momentum affert ad constantiam animi, atq; ad uirtutem in rebus uarie mentem nostram labefactantibus, seruandam nobis, ac retinendam, & plurimum in eo quoque nobis conducit, quod desiderantibus nobis orare Deum, & petere ab eo aliqua nominatim, quæ ipsi grata sint & nobis salutaria, quoniam in hoc falli facile possumus, atque adeo sæpenumero fallimur, ipsa ratio, quæ est non sanctus, sed sanctificatus in nobis spiritus, qui tamen sine coniunctione spiritus sancti talis esse non potest, intercedit pro nobis ad Deum gemitibus inenarrabilibus. Atque hoc unusquisq; in sese aliquando potuit experiri, ut cum ea optauerit, quæ sibi putaret utilia, rationemq; secum in optando consentientem habuerit, deinde usu, euentuq; edoctus,



edoctus, illa esse pernicioſa, uanaq; ſenſerit, cōuertat ſe cū gemitu ad ſummum Deum, & ante illum proſtratus, ac lachrymans proferat ſimul cum Pſalmiſta, Deduc me Domine in ſemitam mandatorū tuorum, quia ipſam uolui. & illud, Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſcōditus. Præſertim cum & ſapientiſſimi Regis dictum ſit, Viam eſſe, quæ uideatur homini iuſta, & nouiſſima tamen illius tendere ad mortem. Et ſimile item quiddam I E S V S Dominus ſocietatē regnī quærentibus Zebedæi filijs reſponderit, neſcire eos, quid peterent. Ergo cum quid à Deo nobis petitur nominatim, intenta quidem & cupida eſt uoluntas illius adipiſcendi, ſed ſpiritus etſi ipſe quoq; in idem ſtudium inclinans, tamen extimeſcens, ne forte incidat in aliquam fraudem, & pro commodo, ac ſalute damnum, periculum uel referat, poſtulatione illa facta, totam rem ruruſus permittit Deo, & illum uſurpat Domini noſtri ſermonem ſic orantis: Pater ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte, uerum tamen non quod ego uolo, ſed quod tu. Sic enim orando, & deprecando Deum, quod quotiē die tamen in oratione dominica facimus, cum ut fiat Dei uolūtas, deprecamur, iuſtiores ipſi, & ſanctiores, & ad ſpem exoptatæ gloriæ alacriores efficiuntur.

At qui ſcrutatur corda, noſcit quod eſt ſtudium ſpiritus, quoniam ſecundum Deum intercedit pro ſanctis.

D E V S qui ſcrutatur corda, inquit, intelligit, quod eſt ſtudium ſpiritus, quid ſibi uelit, quid optet. Id enim nimirū optat, ut obtineat nobis ab Deo ea quæ ſancta ſunt, quæ illi placita, quæ nobis ſalutaria, non quæ hac aut illa cupiditate affecti nominatim poſtulamus. Pro ſanctis autem hoc loco quadrat ad utrunque, ſiue quod ſanctas res poſtulat, & pro ijs intercedit, ſiue pro ſanctis etiam uiris, qui à Deo uocati in ſanctitatem, & in ea firmati diuino decreto ſunt, quo de genere ſanctorum, ac electorum continuo facturū uerba eſt Paulus. Sed & illud quoq; attendendum ex his uerbis eſt, quod de ſpiritu noſtro proxime intellexerit, & non de ſpiritu ſancto. Quod enim ait, quod Deus ſcrutans corda, noſcit uoluntatem ſpiritus, ſatis declarat ſe de ſpiritu noſtri uoluntate loqui, quam in ſuo ſancto ſpiritu, ut noſcat Deus, non neceſſe habet ſcrutari corda noſtra.

Nouimus autem, quod diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundum propoſitum uocati ſunt.

H A E C iam eſt conſtans, & inuicta ratio noſtræ tolerantia, & firmitatis, per quam quidem rationem omnia uertuntur nobis in bonum, quod ab omnipotēte Deo ante omnia ſecula electi, & conſtituti ad potiundam hæreditatem æternæ gloriæ unā cum C H R I S T O fuimus. Quoniam, inquit, Deus ſcit ſtudium ſpiritus noſtri, qui nihil uult, nec poſtulat ab eo, niſi quod ipſi gratum, & ſibi ſit ad gratiam illam, quam habet apud Deum, conſeruandam utile, quod eſt amanti, & uere diligentis Deum. Iccirco his, qui hoc modo diligunt, qui omnia ſua bona ad Deum referunt, & in eo uno conſtituunt, quos propoſuit Deus ante initia temporum efficere ſuos, & in illis collocare gratiam, & beneficentiam ſuam. Hi enim ſunt, qui ſe totos conferunt, & inſiſtunt in ipſum Deum, atq; in illo amore, & in illa fide permanēt, quod eſt ex Dei propoſito eſſe uocatos. Sicut in alio loco: In C H R I S T O, inquit, I E S V hæreditatem ſortiti ſumus, præſiniti ſecundum propoſitum eius, qui omnia operatur. His inquam, talibus omnia & aduerſa mundi, & proſpera in bonum cooperantur, arctiusq; cuncta conſtringunt neceſſitudinē, & amicitiam inſitam illis cū Deo, ut diuelli ab eo & abripi nullis periculis, neq; terroribus, nulla externa ui, nulla, ut ipſe mox dicturus eſt, humana aut angelica potentia queant. Atq; hæc quidem Pauli mens. Sed nos & illud addimus, non tantum recte facta, aut fortiter ſuſcepta propter Deum incommoda, ſed laeſus etiam ipſos, & peccata interdum corporis, his ad incrementum gratiæ proficere. Non enim eripi hi Deo, ſemel ab eo conſtituti, atq; electi, qui Dei nomen in frontibus ſuis ferant, ſed tantum in ſe concuti, & labefactari aliquando poſſunt, ut uel oculum aliquod in ſe ipſis deprehēdant uitiū, quod minus antea animaduertent, eiſq; medeantur



medeantur, uel ut humilitatem animi in magnis Dei muneribus teneant, neque se ad superbiam, & inanem animi elationem patiantur attolli, uel etiam ut casu illo admoti, atque docti ad minus confidendum sibi ipsis, & ad implorandum magis Deum redeant diligentiores. Ita enim & Petro trina filij Dei negatio plus humilitatis in posterum, & amoris erga magistrum suum contulit: & acerbitas Pauli, qua depopulabatur CHRISTI seruos, maius post de CHRISTO illius testimonio pondus, & maiorem addidit auctoritatem, eademque in illo effecit, ut acriore animo deinde offerret se laboribus, resisteret periculis, omniaque ad Deum, & proximū quæ pertinebant, studiosius obiret, quod ueterem culpam apud Deum suam nouis quam plurimis officijs posset delere atque extinguere. Atque horum nos duorum principum testimonio, cum innumerabilia alia se offerant, hic contenti erimus. At quid ita his uocatis Dei, ac diuinæ uoluntatis proposito ad tantum decus electis in bonum omnia cooperantur, ut etiam quæ obesse & lædere nata sunt, reddantur illis commoda, atque bona accipe rationem, & magnitudinem diuinæ prouidentiae simul attende:

Quoniam quos prænouit, & prædefiniuit conformes imaginis filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autē prædefiniuit, hos & uocauit, & quos uocauit, hos & iustificauit: quos autē iustificauit, hos & glorificauit. Quid igitur dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?

TOTA ratio eius, quod dixit, omnia diligentibus Deum cooperari in bonum, & aliorum etiam, quæ paulo post in hanc eandem sententiā dicturus est, ex eo nimirum dependet, quod sic ab Deo statutum fuit, & diffinitum, Namque quod attinet ad partes nostras, nihil in nobis stabile, nihil perpetuū habemus, iactamurque semper incertis studijs & uoluntatibus. At quod fixi, atque firmi in hoc bono hæreamus, ut nunquam separeremur ab Dei gratia, ipsius Dei proprium donū est, propria deliberatio: statuit enim ipse æterno ex principio, quos erat uocaturus in suam iustitiā, & gloriam, eosque prædefiniuit, ut essent fratres, & consortes IESU Christi, quatenus homo est CHRISTVS. Nam ut homo ipse etiā adoptatus est, ipsa porro adoptio imago est naturalis generationis, & eū, qui est natura filius, is qui per consensionē legibus adoptatur, similitudine quadā generis imitatur. Prædefiniuit ergo Deus quos prænouerat, ut conformes essent imaginis filij sui, qui ut Deus, natura est Dei filius, ut homo adoptione filius. In adoptione ergo fratres futuri erant, & in hoc genere fraternitatis CHRISTVS, qui natura est Deo unigenitus, in adoptione futurus erat primogenitus. Multos enim fratres adducturus erat ad Deum secū, simul & ipsos in filios Dei adoptandos curaturus. Neque uero alia de causa ipse in mundū uenit, & cum patrē Deum natura haberet, hanc quoque ex adoptione cognationē suscepit, qua is certe non egebat, nisi ut quos naturæ genere non poterat, adoptionis iure plurimos fratres haberet. Itaque ab Deo patre & ille missus, & hi prædefiniti, ut esset cognatio ista adoptionis frequens, atque multa, in qua & primus filiorum Dei, & inter fratres caput esset CHRISTVS. Atque hoc est, quod magnū, excellensque mysteriū in tam paucis uerbis innuit Apostolus, cū dicit, Ut esset ipse primogenitus in multis fratribus. Nā & rationē aduētus CHRISTI, & in electorū prædefinitione consiliū Dei cōprehēdit. SANE ITA est, inquit Iulius, & quo plus progredimur in huius hominis dictis, sententijsque expendendis, hoc maior subit animos nostros admiratio: non quidē unde ista in eum deducta sint, sed quomodo ipse tantam ex Deo affluentiam altissimorū consiliorū capere potuerit. Sed nimirum Deus in illo arcana suæ sapientiæ hominibus aperiebat. Verum mi frater, quod tibi est hic, aut in proxime sequētibus necessariō faciendum, elige utro in loco malis de prædefinitione ista, siue prædestinatione Dei, ac de libertate arbitrij nostri disputare, atque differere, & utrū nos ex nobis aliquid afferamus ad cōsequendam filiorū gloriam, an totum potius à Deo sic accipiamus, ut nullæ nostræ in eo partes sint. Scis enim ipse quanta, & quam difficilis sit de hac re quæstio. Cum si omnia prorsus ex Deo nobis sint ita diffinita ab eo, & destinata, quæ quidē spectent ad uirtutē, & gratiam adipiscendam, ut deliberationem nostram ipsa impellant, nihil



omnino loci nostro arbitrio reliquū esse uideatur; Sin autē e contrario merita nostra gratiam Dei anteueniant, omnē ab Deo prorsus benignitatis, & clementiæ gloriam auferamus. Quorū hoc posterius ut magis impium sit, illud primum aliquanto certe durius. Ac mihi quidē sapius iam reuerso ad considerata ea, quæ in utranq; dicuntur partē, & rationum momēta perpendenti, liquere adhuc nō potuit, nisi q̄ Pelagiæ nam impietatē sine ulla dubitatione detestor, qui tantum meritis nostris honoris tribuit, ut diuinæ gratiæ liberalitatē conetur extinguere. Nihil enim arrogantius, nec quod magis superbum esse possit, suscipi à nobis potest, q̄ ita nos placere, & assentari nobis ipsis, ut si quid præclarū, & eximium obtineamus, id facultatibus nostris, ac nō beneficentiæ summi Dei feramus acceptum. Sed ex altera quoq; parte, etsi ab ea stat doctor omnīū maximus, idemq; grauissimus, & sanctissimus uir; tamen durū admodum mihi uidetur, quodq; illabi non facile queat ad sensus nostros, si omnino à nobis nihil sit, quod ualeat ad obtinendam gratiā, in pari conditione cunctōrū ita quosdam à Deo eligi, ut cæteri in calamitate, & damno destituātur. Etsi enim iuste omnes reiſcimus eō, q̄ natura filij iræ sumus; tamen ut in ortum & naturā tales produceremur, nullæ nostrę apud Deum antea preces, nulla intercesserat flagitatio. Sed ipse cum sua bonitate nos lucis, naturæq; participes facere instituisse, cur subito mutatus bonitatem suam, occasionem nostri exitij esse uoluerit, dispicere satis non possum. Vt iustitiam, inquit, etiam suā demonstrat in ijs, quos destituit, sicut in illis, quos eligit, ostendit bonitatem. At quo pacto iustitia sit, si nihil ego delinquens, in hoc ipsum creor, & producor in lucem, ut damnāndus sim, mei q; exitij, atq; damni ipsa Dei creatio initiū, & causa sit? Deinde hancine illi in Deo appellant iustitiam? quasi ulla in Deo præstantior iustitia sit, q̄ ipsa bonitas. Itaq; Græci, & doctores Latini reliqui, quibus ueritas addidit autoritatē, meo iudicio moderatiores, qui sic nobis aliquid tamen relinquant, ut totum, quod habemus uirtutis, & meriti, ad Dei gratiā nihilominus referant, quorum neq; doctrina illorū eruditione, qui secus sentiunt, neq; religionis sanctitas sanctitate est inferior. **MAGNUM**, inquit, concursum acerrimarum disputationū excitas mi frater, & magnum mare cōmoues, cum hanc difficilissimam omnium quæstionē, & si uerum fateri uolumus, penē inexplicabilem à nobis uis tractari, etsi eam quidem defugere honeste nō possumus. Locus enim iste fert, & eorū expectatio, qui Paulum nosse cupiunt, hoc imprimis postulat, ut aliquid de hac ipsa re in mediū proferamus, quando explanationem Pauli sumus professi. Verum ut statim de principio notam tibi faciamus sententiā nostram, nos de illorum numero sumus, qui aliquid etiam in nobis esse positū uolunt, quatenus tamen cum illis consentire sine fraude, & sine detrimēto ueræ fidei possimus. Atq; ut tu modo ipse dicebas, si in pari conditione omnium nostrū hi ab Deo eligantur, alij reiſciantur, nō posse à nobis dispici, neq; animaduerti Dei iustitiā; sic illud addo, ne in eodem quidē facto intelligi à nobis eius sapientiā, si nulla causa, ac ratione discrimen faciente, alios improbet, reiſciatq; ad interitū, alios ad salutem, & gratiā suam recipiat, cum isto agere modo, atq; operari casus potius, q̄ consilij esse uideatur. Quanquā sic nos loquentes in illam fortasse incidimus petulantia, ut uideamur quali e regione resistere uelle Deo, & in disquisitionē illum, atq; ad iudiciū accersere, quod nullo modo intendimus, sed prostrati animo, & corde ante ipsum, ueniāq; ab eo, & misericordiā poscentes, ipsum precamur supplices, ut uerba nostra ipse dirigens facultatē nobis det, quod illi tam in oratione, q̄ in uoluntatis studio placere ualeamus. Cupimus enim inuestigare, quid uerum sit, neq; id solum, sed quod cū ueritate pietatem quoq; præterea erga Deum habeat cōiunctam. Tibi uero mi frater, etsi te assensorē nobiscum eiusdem sententiæ habemus; tamen dicendum erit cōtra assertiones nostras, sicubi tibi minus recte uidebimur loqui, quando unum hoc ambo adnitimur, ut quod uerū sit, id cōprehendamus. **FACIAM** ut iubes, inquit, quamobrē aggredere ad dicendum. **PRIMUM** hoc te rogo, inquam, num tu Pelagium quicq; sensisse recti existimes, qui merita nostra præcurrere diuinæ gratiæ, & beneficentiæ uoluit, uel prouisa antē à Deo prædifferente electos suos, uel post operibus iam ipsis probata eidē, & cognita. **MINIME**, inquit, existimo, nec mihi uidetur quicq; potuisse dici iniustius. **QUIPPE**, inquam, cum duo statim uulnera



uulnera sententia ista accipiat immedicabilia, ut ego arbitror: primum, quod gratia Dei si ita sit, non est amplius gratia, sed debita operæ merces, nihilque benignitati, & gloria summi Dei in eo est relictum: qua de re à Paulo, & à nobis hesternò die satis dictum fuit: Alterum, quod antequam in gratia, & amicitia apud Deum simus, cœlum iam, & beatam in cœlo uitam demeremur, quod non modo colentibus Deum rite, ac legitime, quod duntaxat in CHRISTO Iesu facere hominibus datum est, uerum etiam uirtutem & Dei cultum ex philosophia amplectentibus contingere est licitum. Siquidem dignitas tanti meriti non ex Deo nobis, sed à nobismetipsis insit: quo nihil est nostræ imbecillitatis incogruentius. **ITA** serres habet, inquit, & est illa supba, insolensque sententia. **ET TAME**n ille, inquam, nescio quid spectauit. Non enim reperiebat, quo pacto de Dei iustitia alios sibi diligente, prætereunte alios, seipsum, & cogitationes explicaret suas, nisi merita priora ex parte nostra poneret: sane parum attendens aliam in summo principe, aliam in datis ab ipso iudicibus iustitiæ, & distributionis rationem existere, quæ illa principis soluta legibus in ignoscendo, & in obligando muneribus ac beneficiis, magis quam in puniendo, mercedemque reddendo cum præstantior ipsa in sese est, tum principis fama, & maiestate multo dignior, qui quos accipit, quamuis perfidiosos & improbos, non supplicio statim, neque pœna, sed cum beneuolentia, & cum humanitate accipit, facitque eos ipsi se dedentes sua comitate, eximiaque bonitate & fideles, & probos: hanc ut dico diuinæ magnitudinis gloriam Pelagius non uidit: quam si uidisset, non omnem illius beneficentiam ad merita nostra contraxisset, neque nos tantumque alteros deos dantes prius illi, ut postea reciperemus, quasi ex aduersum Deo constituisset: qui si tantopere hanc meritis nostris tantumque ponderibus examinatam Dei iustitiã amplexabatur, miseriam Dei, qua liberat peccatores, quo in loco relinquebat? An si qui male meriti de Deo sunt, hi Dei clementia & uenia sæpe habentur digni, qui nihil meriti in neutram partem sunt, non eiusdem sæpe liberalitate benignitateque perfruentur? Imò uero ego hoc amplius dico, eosdem sæpe numero esse, quibus ignoscat Deus, peccataque plurima, & culpas graues condonet, & in quos maxima monumenta conferat & gratiæ, & liberalitatis suæ, hocque esse proprium infinitæ iustitiæ, & bonitatis summi Dei, & quo illius gloria maxime lucet, atque eminet, nisi quidem conuertere se ad Deum, & ueniam ab eo petere in partem meriti ponendum est. Quod si ita est, humanæ leges omnes inique lætæ sunt, quæ delinquentibus non ueniam, quæ postulant, sed pœnam, quæ merentur, peccato & crimini uolunt esse propositam. Verum nos Pelagium cum sectatoribus suis relinquamus iure à sanctissimis uiris fractum, atque conuictum. De illis nunc uideamus, qui in contrariam, diuersamque sententiam ita discessere, nihil omnino ut in medio nobis reliquerint, nihil ut potestati nostræ, ne in uoluntate quidem ipsa permiserint: sed Deo omnia prorsus ita ferri uelint accepta, ut in omnibus, quæ conamur recte, atque suscipimus, ille primus, ac solus impulsor animi nostri, conuersorque uoluntatis sit, usque eò quidem, ut ipsos primos afflatus cogitationum nostrarum, non à nobis, sed à Deo pelli, & moueri putent. Quæ sanè sententia in maximas item ipsa incidit difficultates: primum, quod non iustitiam solum istam in Deo distribuente cuique, quod cuique conuenit, sed illam etiam liberalitatis, & beneficentiæ gloriã, quam maxime amplexatur, uidetur imminuere. Quid enim potest esse in eo beneficio dignitatis, quod casu, non consilio datum esse uideatur? Consilium autem quod, si in pari prorsus omnium causa, hi sine ratione certa illis præferuntur? At Dei uoluntas summa rationum omnium est, fateor, sed summam tamen in Deo, infinitamque rationem aliquid sine ratione facere, absurdum est. Non est nostrum, inquit, indagare tam alta: cur alia tot & tanta indagamus, & quarimus? Est ne igitur rectum aliquid in nobis, quod nobismetipsis, ac non Deo ferre debeamus acceptum? nihil earum quidem rerum, in quibus hæc iam meritum, & laus operis potest: aliquos tamen ad eas res uoluntatis motus in nostra dicimus esse potestate, alioquin nostri arbitrii libertatem, quam asseris tu idem, quo in loco obtinemus? Quoniam peccare possumus, inquis, & id uelle nostrum est, recte autem uelle agere non nostrum, sed ex Deo. Ita ne uero liberum tu arbitrium illud uocas, quod ad unam tantum partem ita astrictum est, ut in altera iuris nihil omnino, nec facultatis obtineat? Quid autem si peccare uelle possumus ex nobis, non ne etiam



possumus non peccare uelle ex eisdem nobis: Aut si id non potest, non tam profectio possumus peccare uelle, quæ necessario peccare uolumus. Necessitati porro quæ lex, aut quæ præscripta poena est: At enim ex cõtaminato genere oriundi ipsa iam natura ad interitum facti sumus, ut quos prætermittit, neq; ad se reuocat Deus, ij cõquerendi causam nõ habeant. At ego uideo in futuro mundi iudicio nõ ita laturum sententiam **CHRISTVM** Iesum, qui illud iudiciũ pro patre exercebit aduersus eos, quos est damnaturus, ut ita proferat: Quandoquidẽ uos ex infecto genere Adẽ producti estis, culpamq; & uitium parentis uestri cõtraxistis, ob eam rẽ uos æternis ignibus cruciandos trado, nõ ita proferet: Sed quid dicet? Ite maledicti in ignem æternũ, qui cum esuriens me uideretis, nõ pauistis; cum nudum, non uestiuitis; cum infirmum, non subleuastis. At hæc non cõmunia generis humani, sed peculiaría singularium hominũ sunt peccata, quæ idcirco illis præcipue tunc exprobrabuntur, ut ne in illo acerbo cruciatu animi, & dolore audeant illi Dei implorare misericordiam, quam alijs ipsi implorantibus denegauerunt. Iam ista horum sententia omnem prorsus ad bonum arbitrij nostri cõsensum nobis auferentium, non ne omnia uideatur reuocare ad necessitatem: non ne bonis mētibus scrupulosa est: non ne extinguit studium uigilandi, & adnitendi: animosq; nostros retardat, atq; deterret, ne labore, ac diligentia, quoad possumus contendamus: Quæ etiam his recentibus hæreticis occasione præbuit, ut de seruo iam, nõ amplius de libero arbitrio auderent cõscribere. Impiẽ illi hoc quidem, ut pleraq; alia, nec ueterum in eo doctorum pietatem, & sanctitatem, sed sua tantum religionis omnis euertendæ studia insequentis; uerũtamen qui in autoritate sanctissimorum hominũ se putent delitescere. At enim multa sunt scripturæ testimonia Deo omnia attribuentis, quibus refragari ualde iniquum sit. Ego iniquum cõfiteor esse, & refragari scripturæ testimonio, & negare omnia attribui Deo bona oportere: & tamen idem ego hoc dico deuitata hac iniquitate nõ nihil quoq; libertati nostri arbitrij loci, ac muneris reliquum esse. Verum quæ sunt ista tamẽ scripturæ testimonia, quibus necessario assentiri debeamus? In Euangelio, inquit, **CHRISTI** est discipulos alloquentis: Non me uos elegistis, sed ego elegi uos. Et alibi: Nemo potest uenire ad me, nisi pater meus traxerit eum. Et: Vobis datum est nosse regnũ Dei, cæteris in parabolis. quæ omnia, & alia item multa declarant donum Dei esse, quicquid in nobis ad Deum rite cõuersum est, quod nos pie, planeq; confitemur. Nam & electio nostra ex Deo est, siquidem antè ille nos elegit, quàm in natura editi essemus, & applicatio ad **CHRISTVM**, cognitioq; regni cœlestis, & beatissimæ uitæ assequendæ spes, dona Dei nobis sunt, & ea quidem primaria, & maxima: sed tamen illa nobis collata uolentibus. At nos nõ elegimus, sed fuimus electi, nempe uolentes, siue in præsentia tunc cum fuit facta electio, siue iandiu, si illa facta est ante mundi seculum: quoniam in ea futuri uoluntate præcogniti fuimus, ut pareremus uocati, quos enim præcognouit, hos prædiffiniuit. Et quanto planior, ac solutior Pauli ista deductio est, ipsa etiam erga nos beneficia, & decretũ, deliberationemq; summi Dei ad præcognitionem in eo futurorũ reuocantis, cum quo cõueniens caput Apostolorum Petrus, electos hos eosdem uocat secundum præcognitionẽ Dei patris in sanctificatione spiritus. Quid ergo, quod ex æterno tempore is deliberat, & eligit, causã ne est in nobis, qui id meritori tanto post sumus: minime, neq; ullum nostrum electionem Dei de nobis puocat meritum, sed causa diuini illius cõstituti, ipsius est Dei præcognitio. Quid porro præcognoscit: futuros nos ministros sui glorificandi nominis, nõ uirtute nostra idoneos, nõ meritis, nõ ingenij, aut animi facultatibus, quæ in nobis nullę nõ ab Deo sunt, siue illæ cõmuni, siue proprio beneficio nobis datae, sed eo uno aptos, aut, ut plinius etiam loquar, accõmodos, quod unum in nobis situm est, inductione animi uide licet ad nõ aspernandum, neq; repudiandum mãdata, & uocationes summi Dei. Hoc præcognito in nobis, quod faciles ductu erimus, tum Deus sapienter unã, ac liberaliter bonum suũ omnibus impertire cupiens, diuinorum suorum beneficiorũ iam inde de principio nos digna cõstituit fore receptacula: nec tamẽ propterea in nobis meritum gratiã Dei anteuenit: sicut nec solũ quidem, aut area ipsa sola accõmodatione suum uim habet ullam promerendi, nisi abuti uocabulo uelimus, ut ædificium in ea nobile extruatur



extruatur; sed illa tota est architecti, ædificatorisq; deliberatio, cuius prudentia, atq; cura, & aptatur etiam magis solum, commodiusq; fit, & ipsa ædificatio constituitur, atq; suscipitur: sic nostrum credere simplex illud & inchoatum, quo ad obediendum Deo incipimus inclinari, nõ continuò mereri est: sed tunc meremur, cum firmati iam in bona uoluntate ab ipso Deo, & in ipsius cognitione, amoremq; traducti, omnia ex illo, & propter illum agimus. At enim ista animi inductio uoluntas quædã est, quam uoluntatem necessario antecedit cogitatio. Sed ne sumus quidẽ idonei cogitare aliquid ex nobis, hoc Paulo attestante, quã scribit ad Corinthios: Non quòd idonei sumus à nobis ipsis cogitare aliquid tanquam ex nobis, sed (ut duriore aliquantum uocabulo nunc utamur) idoneitas nostra ex Deo est. Quare si nec cogitare quicquam possumus nisi ex Deo, ne uelle quidem quicquam sine eodem Deo possumus. Ad quod dicendum est, uerba ista Pauli aliam quandam spirare, deferreque sententiam, quàm eam, quæ ab hisce intenta est. Non enim in illis de ipsa quauibet cogitatione sermo ita est, ut insistat Paulus, & commoretur in ea: sed de ipsis cogitandis operibus intelligit egregijs, & mirabilibus, & ad illustrandam gloriam Dei magnificis, quæ non nauare modo quisquam, sed ne cogitare quidem, nisi ex ipso Deo idoneus est. Non enim ista huiusmodi cogitatio inchoata, & rudis inceptio quadam est, animi etiam nunc motientis primos illos motus inclinationis ad Deum, & uoluntatis suæ, sed cogitatio sapiens, atq; magna maximarum simul, sanctissimarumq; rerum & suscipiendarum, & administrandarum, quas res fatetur ne idoneum quidem se esse, ut existimet à se esse perfectas: hoc est, nõ se existimare idoneum authorẽ illarum esse. Sed, ita enim sequitur, idoneitas nostra ex Deo est, idoneitas repetit, & non, cogitatio, quæ sit ex Deo. Quæ autẽ ista idoneitas: qui idoneos ministros nos fecit, inquit, noui testamenti, ut facultatem & uirtutem noui testamenti prædicandi, atque publicandi à Deo se totam accepisse cõfiteatur. Quem Pauli sensum, qui illum locum accuratius legent, facile intelligentia cõsequentur. Sed est locus difficilior, in quo Paulus ad Philippenses scribens, sic loquitur: Dilecti mei sicut semper auscultauistis, non in præsentia mea solum, sed multo magis in absentia cum metu, & tremore uestram ipsorum salutem procurate. Deus enim est operans in uobis & uelle, & agere pro bona uoluntate: ut etiam uelle nostrum appareat esse à Deo, quod nos confitemur in illis uoluntatibus, quæ ad præclara Dei opera agenda incensæ, & paratæ sunt. Nihil enim perfectum esse à nobis potest. Sed nostra sunt initia, & cogitandi, & uolendi: Atque ita nostra, ut magnam quoque partem in illis obtineat Deus. Ipsum enim necessariò propositum nobis habemus, cum ipsum uolumus, & cogitamus, ut sit ipse prius nostrarum cogitationum, uoluntatisq; inuicamentum, ad quem cum inclinauerimus, quod bonum propositum in nobis uocat Paulus, uelle deinde, & operari ex illo bono proposito, perfectius à Deo nobis est, cum ipsius ope, & subsidio ad recte agendum, cõstanterq; uolendum & fulciamur, & promoueamur. Reliqua est obiectio: Cum nihil omnino in rerum natura, nisi per Deum, & ex Deo sit, quoniã nulla res est, cuius rei, hoc ipsum quòd est, non proficiscatur à Deo, ne uelle quidem ipsum, & cogitare in actum egredi potest, nisi author uoluntatis, & cogitationis sit Deus: quod ut ita esse concedamus, sine Deo etenim nulla omnino res est, illa tamen Dei adistentia, ut sic loquar, & concommunitatio in rebus, quæ sunt, non rationem causæ impellentis, sed tanquam futuram, & subsidium rei existentis in se habet. Nos uero cum quærimus utrum uelle sit à nobis, an ab Deo: id ita quærimus, ut non uoluntas ne nostra in Deo nitatur, atque cõsistat: sed an ab ipso tantum Deo in nobis ea moueatur, nosq; nullas nostras partes ad uolendum afferamus, cupiamus inuestigare, atq; nosse. Qui si nihil omnino ex nobis ad bonas cogitationes, & sancta consilia afferimus, neque illam primam saltem inductionem animi, quæ quasi cardo quidam uoluntatis est, huc uel illuc se uolentis, in nostra habemus potestate, liberi profectò arbitrij non sumus, sed nos pro inanis, aut certe pro experte rationis instrumẽto ad suos usus adhibet Deus, eaq; item ratione, nulla est in nobis ratio promerendi. Sin autem idcirco quòd nos nostrum uelle, & parere Dei constituto imperioq; subiicimus, omnis bona, & sancta actio in nobis producitur à Deo, cuncta quidem illius actionis gloria, & omnis uirtus, & omne



meritum planè ex Deo est, sed quod, nisi obedientiam nos nostræ uoluntatis, tanquam staminis filium diuinæ contexendi prudentiæ subiunctam teneamus, hæsurum in nobis non sit. Cuius rei signum maximum, quòd in medio cursu rerum bene gerendarum auerti retro, & resilire possimus. Quòd si possumus resilire, possumus etiam non resilire; & aut est utrunque in nostra potestate, aut non tam arbitrio libero, quàm necessitate resiliemus. Quòd si hoc ipsum, quòd nolumus resilire, uel quòd uolumus in obedientia perstare (unum enim atque idem utrunq; est) nequaquam à nobis, sed ab Deo tantum est, cum sine pœnitentiâ sint dona, & uocationes Dei, ut alio loco scriptura ait, qui fieri poterit, ut qui semel fuerit in bonam uoluntatem inductus, resiliat postea, retroq; se conuertat, nisi Deum pœniteat uocationis suæ, quod iam existimare est nefas: Est igitur aliqua nostra in actionibus rectis cum Deo unà cooperatio, minimam quidem ad agendum partem ipsa conferens, uerum aliquam tamen. Quemadmodum Paulus ad Corinthios: Abundantius, quàm omnes illi laborauit: non autem ego, sed gratia Dei mecum, inquit. Et Petrus: Ideo fratres studete firmiter uestram uocationem, & benedictionem efficere, hoc est, estote in obediendo constantes. Et cum legitur: Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Dedit eis potestatem ut fierent, inquit, non statim fecit filios, quoniam ab eorum parte credulitatem, & uoluntatem requirebat. Aut cum dicebat **CHRISTVS**: Fides tua te saluam fecit; quod mulieri dictum importunius instanti, quam præsertim initio dominus repellebat. Et, Si potes credere, omnia possibilia credenti, cum statim clamans pueri pater cum lachrymis, Credo domine, inquit, subueni incredulitati meæ. Et cum cæcitati eorum, qui non credebant, in synagoga irascebatur. Et cum dicebat: Qui sermones meos audit, & credit mittenti me. Et, Qui uult uenire post me. Et, Si uis saluus fieri. Et cum paterno illo cordis affectu super Hierusalem fleuit. Cum si ciuitas illa ad credendum nullas suas partes allatura erat, non tam flere super illam opus fuit, quàm ut crederet imperare. Et ad Thessalonicenses Paulus: Dignetur uos uocatione Deus noster, & impleat omne propositum bonitatis: id est, quod bene proponitis perficiat, & impleat in uobis. Quanquam de libertate arbitrii, ac motu nostræ uoluntatis in nobis posito, neq; certius asserre exemplum, quàm de ipso Adam possumus, qui cum nondum filius iræ esset, neq; naturæ uitio ad malum impelleretur; uita tamen sibi morteq; proposita, in deteriorem uolens partem se demisit: neque authoritatem illustriorem, quàm Salomonis, qui in Prouerbijs: Hominem, inquit, à Deo fuisse relictum in manu consilij sui. & quod euidentius adiungit: Seruaturū illum mandata, si uoluerit. & item: Apposita fore illi ignem, & aquam, uitamq; & mortem ante oculos, & utrum uolet, atque utrò manus tendet, id illi iri datum. Et item: Hominis sunt præparationes cordis, & à Domino est responsio linguæ, moxq; adiungit: Verte ad Dominum opera tua, & confirmabuntur cogitationes tuæ, magisq; item perspicue: Cor hominis cogitabit uiam suam, Dominus autem diriget gressus eius. Iam præter dicta, & testimonia scripturæ, quæ plurima sunt, ipse mos, ordoq; catholicæ Ecclesiæ non ne aliquid esse à nobis, & ex uoluntate nostra indicat: Quid enim aliud cohortationes, quid præcepta, quid minæ, quid obtestationes superiorum, & authoritatem habentium, aut doctorum etiam nostrorum sibi uolunt, nisi ut nos tanquam uoluntatis nostræ dominos in meliorem, & sanctiorem conuertant partem: aut quem alium ad finem **CHRISTVS** Iesus carnem hominis accepit, docendoq; & conuiuendo in mundo est diuersatus: labores, ærumnas, ludibriaq; pertulit: morte, & cruce affici se passus est, ac nihilominus humilitatem illam, patientiamq; suam mirandis illis diuinitatis operibus interdum distinxit, nisi ut commonefaciendo, & rectum in cœlum iter commonstrando, hominum uoluntates ad se alliceret, & per se in Deo patre collocaret: Quæ si per se moueri, nisi eo iubente non poterant, cur per tot anfractus operum, & laborum, ac non uoce ipsa, iussuq; diuino mundi conuersio protinus ad Deum facta est: Verum ut aliquando finem faciamus disputandi, atque id concludamus, quod nobis uidetur æquum, confiteamur illud primum, omne bonum in nobis ex Deo esse. Nec tantum cōmune hoc, & natura omnibus datum, quòd mentis, & rationis participes facti sumus,



mus, totq; præterea instrumentis, ad nostrum munus obeundum ab ipso Deo locupletati, atq; ornati; hæc enim diuina esse prorsus in nobis beneficia nemo uel mediocriter sapiens dubitauit unquam; sed de his in præsentia non agimus; de illis loquimur bonis, quæ post exortum, & constitutionem nostri à nostræ arbitrio uoluntatis proficiscuntur, ut hoc uelimus potius, quam illud; huic magis consilio, quam illi acquiescimus, hoc enim propriū iam est uniuscuiusq; opus, propria animi inductio, quæ si ad Deum, & Dei partes se dediderit, in illo genere honorū constituitur à nobis, quæ sola uere sunt, & in sacris literis appellantur bona, in quibus diserte sanè, uereq; dicitur, omne bonum nobis à Deo esse, ut non solum actio, neq; uoluntas, consiliumq; duntaxat, uerum prima etiam illa cogitationis cōmotio, si ad sanctitatem, & fidem se conuertat, ex Deo nobis moueatur, & insit, uerum alio, atq; alio modo. Nam cum Deus dupliciter causa bonarū rerum sit, uel ut effector, & ipse agens, uel ut finis, resq; desiderata, priore quidem modo quicquid facit Deus, ipsius est actio, & opus eius proprium, nihilq; eò nos à nostra parte afferimus, qua ratione, per uoluntatem, & constitutum omnipotentis Dei, quicquid est in nobis perfectum, & constans in amore erga ipsum, & in rebus asperis pro ipso perferendis, prosperisq; temperandis, quicquid firmitatis in bono proposito, quicquid fidei, rectæq; religionis obtinemus, id totum à Deo nobis auctore ita datur, ut agnoscere debeamus nos facultatibus nostris eò aspirare non potuisse, nisi Deus nos in illa gratia, & gloria ipse suis penè manibus collocauisset. Atq; hæc prædifferentiatio est, & uocatio ab Deo, & glorificatio nostra. Sic enim ab eo electi ante constitutionem mundi fuimus, ut per illum, & ex illo omnem diuinorum bonorum copiam suo ipsius solo beneficio, non meritis ullis nostris antè euntibus habituri essemus. Verum quæ Deus finalis rerū causa est, & ad eum, ut ad summum bonum mentes nostræ mouentur, nostra hæcenus uoluntas, & cogitatio, & prima illa atq; inchoata actionum nostrarum consilia ex Deo quoq; ita sunt, ut nihilominus libera sit nobis facultas illum appetendi, aut auersandi. Non enim tunc ut mouens, atque impellens auctor ipse est, & principium uniuersum nostræ uoluntatis, sed ut appetitus, & desideratus; magnum quidem tum quoq; momētum afferens ad inclinandum nos, atq; alliciendum, ueruntamen uim non adhibens, quin possimus diuertere in partem aliam, atq; deflectere; neq; ita imperans, ut sit necessariò nobis parendum, sed uelle nostrum in nobis tunc est. Itaq; adduci, & attrahi nos permittimus, si tamē uolumus. Ex quo apparere iam arbitror, quæ sit huius difficilissimæ quæstionis non improbanda solutio, quæ idcirco tot doctorum mentes impeditas adhuc tenuit, quòd hanc finalē causam in Deo cum agente illa, atq; efficiente in unum miscuerunt, neq; distinguere inter se, & separare sunt conati. Nos uero prædicamus, Deum esse in nobis omnium bonorū causam, etiam uoluntatum, primarumq; cogitationum; sed si qua sunt in nobis perfectiora, longiusq; progressa bona, tota ea ab Deo prorsus nobis existere, neq; esse in illis quicquā in quo nobis assentari, aut ad partes id nostras dedere debeamus; Principia uero bonarum cogitationum, & uoluntatum ex Deo ita existere, ut nostri quoq; tamen arbitrij illa sint, ut cum ad ipsum tanquam expetendum, ac exoptabile bonum nosmetipsos sponte uertimus, magnam quidem uim in eo, illiūq; nos trahendi inueniamus, sed quo tamē libertas animi nostri nō constringatur. Quòd si etiam apertius & enodatius res ante oculos est ponenda, sic uolo te mi frater existimare, non eandem uim esse liberi in nobis arbitrij, quæ in Adam fuerit primo nostro parente. Ille cum creatus liber, & ab omni prorsus dominatu solutus, potestatem integram, utrò se uellet flectendi, inclinandiq; haberet, mundum Deo anteposuit, eumq; sibi Dominum potius adsciuit, sponte & uoluntate sua, tantum leui horratu carnis sue, hoc est, Euxæ, id agens; qui si idem sese ad partes Dei uertere uoluisset, planè agere hoc poterat, pleno & libero suæ uoluntatis arbitrio, quoniam ita erat factus à domino Deo, sibiq; ita ipsi cōmendatus & traditus, ut integra illi de se ipso potestas in utranq; partem esset. At postq; ille, dimisso Deo, mundum sibi dominum potius adoptans, hanc nobis reliquit prauis iudicij sui hæreditatem, ut insiti omnes mundo & amoribus illius dediti, animales tantum (ut ad Corinthios scribit Apostolus) homines nasceremur, longe deterior facta est nostræ libertatis conditio. Nam potestas pri



stas primum nobis penitus erepta est, ad Deum rursus ex nobismetipsis assurgendi, atque nitendi; quod in hoc terreno luto infixi, obrutas, atque demersas vires nostras habemus, quas nequeamus explicare, nec euoluere. Voluntati autem nostræ uix tantulum relictum est, quantum interdum in medijs mundi cupiditatibus atq; curis; aliquid mœroris & pœnitentiæ interueniens respiscere eam paulisper, & desiderare melius quiddam, quod tamen ipsa non cognoscit, facit; in quo tamen desiderio breue tempus commorata, rursus in mundi studia & cogitationes terræ reuoluitur. Ita liberum arbitrium nostrum, quod in Adam integrum fuit, atque plenum, in nobis deinde transfusione peccati fractum & comminutum, potestate quidem ad Deum sese ex seipso applicandi, & suum summum bonum in eo percipiendi, penitus priuatum est: uoluntatis autem exiguum quiddam habet reliquum, quod neq; ipsum tamē alte niti sua ui, nec diu perseuerare in bono proposito potest. In hoc ergo statu consistentibus nobis, cum non solum natura originis peccato infecta, sed uoluntas quoq; nostra tanto antè præcurrentibus bono consilio sensibus, & cupiditatibus, quæ antequam lumen rationis adueniat, iam mundo sunt addictæ, eumq; nobis dominum duplicato iure constituunt, & ob generale nostræ originis uitium, & propter peculiaria cuiusq; propriaq; delicta, quis erit tam iniustus rerum æstimator, qui aliquid nos omnino posse, aut etiã planè uelle quod bonum sit, hoc est quod ad uerum bonum potiundum, qui Deus est, pertineat, sine ope Dei, & quidem sine magna ope ac peculiari spiritus sancti dono audeat affirmare? Non possumus quicquam per nos, quod ex eo genere bonorum sit, quorum est fructus in coelesti & sempiterna uita requirendus. Ac ne uolumus quidem plenè, ut illa recte debeat appellari uoluntas. Sed id nobis datum uel potius relictum est, ut in moderandis terrenis affectibus, & in eo humano bono, quod est modestiæ, mansuetudinis, equitatis, temperantia, aliquam tamen nostram potestatem teneamus; siquidem huiusmodi bona in terram nihilominus cõuersa sunt, & ad terrenos aliquos fineis respiciunt, non in Deum prorsus sunt directæ & collata. Quam tamen potestatem sic tenemus, ut nec sine aliis quo propinquiori, quàm communis natura fert, Dei auxilio, à quo omnis potestas est, ad meliorem uitæ ordinem possimus illam conferre. Sed hoc Dei auxilium non est ex eo genere, de quo instituius loqui. Quare dehinc uideamus qui sit processus in nobis, & quomodo ad Deum ut ad nostrum solum bonum adiungere nos ualeamus. Ac primum in hac turba & colluione cupiditatum terrenarum uersantibus nobis, atq; ea sola bona agnoscentibus, quæ ex mundo adesse possunt, nulla est cogitatio, nullus interioris animi sensus, qui surrepere nobis nostro consilio possit, ista esse omnia nihili facienda, atque alia bona potius nobis requirenda, quæ penitus ab oculis, ab auribus, ab omni sensu tactuq; corporis remota sint, quorum non sit in hac uita ulla unquam nobis accipienda possessio, sed ea & sola fide credenda, & sola spe expectanda sint: proposita nobis à summo Deo, ut si illum toto corde amplexi fuerimus, nostraq; ad eum potiundum desideria omnia, relictis his mundanis amoribus, contulerimus, ipsum illum Deum, qui omnium bonorum est fons, unà cum bonis omnibus, quæ ab eo fonte emanant, in præmium & fructum fidei de eo nostræ simus habituri. Atq; hoc hactenus doctrina est: sic enim docemur atq; instruimur & ex literis sacris, & à Doctoribus sanctis. Oportet autem uocem docentis & prædicantis antecedere, ut mens nostra ad suspicandum quicquid istud sit quod docetur, adducatur. Non enim (ut Paulus inquit) creditur in eum qui non fuerit auditus. Hac edita uoce, & CHRISTI nomine inducto, q̄ in eo uno (ut diximus) hæc uox in nobis salutis est operatrix, ipse enim CHRISTVS, hæc uniuersa est ratio dare totū se Deo, & cū mundo nihil quod à Deo seungatur, cõmercij omnino aut cognationis habere, qui audierint auribusq; perceperint, partim nec ad animū quidem suum allabi patientur, q̄ carnalibus studijs curisq; oppressi locū non habent in animo, neq; habere uolunt, ad tantas, & tam nouas accipiendas cogitationes uacuum, eamq; doctrinam cum irrisione, aut etiã cum iracundia respuent, quæ quidē longe maxima fuerit multitudo, præsentē enim mundum dominum multo plures colunt & amplectuntur, q̄ absentē (ut illis uidetur) Deum. Partim autem aliqui, si qui fuerint in his ipsis mundi uolupta



uoluptatibus aliquanto temperatiores, aut ad audiendum & intelligendum dociliores, aut ita humano consilio arbitrioque assuefacti, ut rationi non admodum repugnet, absintque à contumacia animi & arrogantia, ita audient uerbum Dei, ut statim in illis motus aliquis animi ad credendum & cupiendum se inclinatis exoriantur: qui quidem adhuc motus imperfecta uoluntas est; nondum enim constituitur, nec in eo quod uelle ceperit, satis firmatur, qui etiam motus à Deo ut fini nobis proposito ciatur & nascitur, non enim cum Deum finem dicimus, omnem ab illo uim agendi & mouendi sequegramus, Imò uero magna est in cunctis finibus, in ipsoque præcipue Deo, ad mouendum insita facultas: quippe qua cœlestes primum orbis, ac per eos deinde omnia à Deo ut desiderato fini commouentur. Hoc itaque modo auditus & declaratus Deus nos mouet, quia appetitum quendam incitat sui potiùdi; uerum ita mouet, ut suadeat & alliciat, non ut afferat ullam uoluntati nostræ necessitatem: retinet enim uoluntas adhuc libertatem in eo suam, habetque in potestate, utrum fores aperire pulsanti uelit, an eas per contumaciam & obstinationem præcludere. Atque hic est spiritus sancti primus ille afflatus, atque illa lenis blandaque aspiratio, tanquam solem aurora antecedens, quam præuenientem gratiam appellat Augustinus, sine qua ne prima quidem illa rudisque uoluntas moueri incipit: quæ in hoc tamen libera est, quod si magis uult, potest non moueri: & non mouetur, nisi ipsa consentiat. Potest enim (ut diximus) & auertere se, & non auertere: in quo cardo est sequentium & actionum & uoluntatum. Atque hætenus quidem nos nostri aliquid afferimus, simplicem illum nutum uoluntatis duntaxat, eumque cōtinenter spiritui sancto suggerimus. At uero ubi firmiter uelle, & iam operari ex firma uoluntate incipimus, totum in nobis agit Deus: nostræ enim eodiuies nullo modo aspirant: qui autem aspirent, cum si uelimus ex Deo agere & operari, nosmetipsos prorsus abnegemus oportet: sic enim ipse dixit: Qui uult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui ergo totum se repudiavit & abiicit, aliumque hominem penitus induit, & ex animali factus est spiritualis, is poterit dicere illis uiribus sese animalibus & proprijs boni quicquam ex eo genere agere, quod ad spiritualia consilia sit directum. Deus est, mi frater, Deus nostra actio tunc & uoluntas, & operatio, & ex Deo spiritus sanctus, qui in nobis spiritum diuinæ charitatis cum accenderit, supra hominem nos attollit, & illo Adæ filio in nobis extincto, cœlestis supremi patris nos comprobat esse filios. Qui quidem spiritus sanctus quo modo ex Deo uero nobis insit, & diuinorum præmiorum certissimus sit sponsor, hesternò à nobis die affatim fuit dictum. Quamobrem demus nos omnipotenti Dei nomini debitam gloriam, ac subiiciamus illi corda nostra, totosque nos aptos ex eo penderè ita intelligamus, ut uitia quidem nostra sint: omne autem bonum, & omnis uirtus, & omnis apta ad promerendum actio, ex illo tota sit, nullamque nostram partem in sese habeat: quicquid autem libera uoluntate cogitamus atque suscipimus, id solum ita nostrum, ut magnas eius quoque partes deo attribuamus, ut aut ab eo, aut non sine eo omnia nobis bona, etiam bonorum initia constare sit necesse. INTELLIGO, Iulius inquit, & uere mihi antea hallucinanti in hac quæstione ardua, & difficili nunc primum datur aliquid cernere, in quo oculus mentis meæ conquiescat. Video enim hanc distinctionem tuam ita conseruare Deo suam gloriam incolumem, ut tamen nobis nostri libertatem arbitrij non auferat, etsi illud quoque intelligo uoluntatis huius nostræ Deum cum ei libeat, non modo illicitum, & inuitamentum, ut finem, sed etiam ut mouentem, & impellentem dominum esse, quod est in Paulo nostro patefactum, quem inuitum & reluctantem per uim traxit Deus ad cognitionem sui. Atque ista quidem uoluntatum & cogitationum principia uolentia se cum amore ad finem Deum, & se tanquam flamen ut tu modo dicebas, illius sapientiæ, operationisque subiicientia, nimirum illa sunt, quibus à Deo in futuris sanctis tanto ante præcognitis sit iudicium ab eo, & deliberatio hos seligendi, sibique reseruandi, in quibus, & per quos suam omnipotentem gloriam in ceteros postea demonstrat, quæ iam electio, & prædestinatio causa deinceps est, non ut finis, & appetitum, sed ut agens ipsa, atque efficiens, ut tot in ipsis electis diuina beneficia eluceant. Verum reliqua etiam apud me nonnulla,



de hac ipsa prædestinatione, seu prædificatione dubitatio est, num hi sic electi, & diffiniti ab ipso Deo peccare postea possint, & sese ab Deo, & ab illius amore auertere. Si enim possunt, quænam est prædestinatio? Si non possunt, quò abiit tam subito conditionis nostræ infirmitas? aut quid isti mereri iam præmij, aut mercedis queunt, si nequaquam ex se, sed ex Deo in bonis, & sanctis operibus continentur? **P E C C A R E** possunt, inquam, luli, nec imbecillitatis humanæ conditio ad impatibilem firmitatem in illis conuersa est, atque adeo etiam peccant, & peccabunt. Quis enim est usque eò in cœlum oculis animoq; intentus, qui si pedibus per terram ambulet, non offendat aliquando in aliquem lapidem? Veruntamen illis sua peccata non usque eò ualebunt, ut ad interitum eos, & cum Deo inimicitiam deducant, semperq; ratum erit, quod à Deo de illis fuerit diffinitum. Atque ipsi quidem ex sese, suaq; impotentia, & labi, & ruere, & pessum ire penitus possunt; neque ut non possint, operabitur in illis Deus, neque efficiet, ut sint ipsi ex seipsis impeccabiles: uerum ipse excubijs illos custodiens suis, & quæ ad deiciendos illos idonea essent, sua potestate propulsans, uimq; & impetum frangens uenientium, tutabitur assidue electos suos, & sinet quidem eos interdum labi, ut suæ infirmitatis admoniti, Dei in se gratiam maiore amore complectantur; capi autem, & obrui, ab seq; abduci nunquam sinet. Sic enim scriptum est: Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Et de Dauid suo Deus: Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo unxi cum, manus enim mea auxiliabitur ei, nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Quid ita uero nõ nocebit, cum & is sit Dauid, cui possit noceri? Quoniam manus mea, inquit, opitulabitur ei. Et ad Abraam Deus: Ne timeas Abraam, ego clypeum ante te gero. In Euangelio etiam, quæ dominus de Antichristo uerba faciens, eius aduentum, operaq; prædicat, fraudis plena & impietatis, tot illum signis asserturum potentiam, & auctoritatem suam exponit, ut si fieri possit, erraturi etiam sint electi, tanquam illi quidem per se errare possint, sed à Deo custodiantur. Quot etiam minus hi ferendi sunt, qui ad libidines, & intemperantiam suam omnia referentes, quò ijs solutiore animo indulgeat, dicitare soliti sunt, si præuiderit eos Deus esse damnandos, quoniam effugere Dei præscientiam non queunt, uelle sese interim his mundanis uoluptatibus perfrui, ne in utroque seculo incommoda, & mala perpeti cogantur, quasi uero non ista horum oratio factis comprobata ipsorum damnationis causa sit, aut quicquam illorum ad interitum præuidentia Dei afferat, præter solam cognitionem. Sed hæc quæ in scholis quotidie disputantur, prætermittenda nobis sunt. De meritis dicendum, cum nulla sit hominis uirtus, quæ sua uirtuti, aut tam alte aspirare ad cœli præmium possit, necesse esse Deum eundem, ad quem tendatur, tendentibus adiutorem, & ducem ad semetipsum inueniendum, potiendumq; existere. Nunc ad ipsam uerborum Pauli expositionem reuertamur, qui confirmare illud uolens, quod antè præmiserat, omnia diligentibus Deum cooperari in bonum, rationem dicti sui totam ita à Deo, & deliberatione Dei deducit, ut nescio quid paruulum nobis tamen relinquat, quod est in principio positum tanquam fundamentum & solum, ad sustinenda Dei dona. Quoniam quos præcognouit, inquit, hos & prædificauit, ut appareat aliquid nostri in nobis à Deo præcognitum, in quo ipse suum opus beneficentiæ collocaturus iam inde à seculorum initio sic decernat, & statuatur, atque hæc ambo ante omnia tempora. mox autem in tempore, Quos autem prædificauit, hos & uocauit: & quos uocauit, hos & iustificauit. Ecce primum Dei in nobis quod appareat beneficium, & prima gratia ipsa iustificatio, per quam digni à Deo iam deinde efficiamur, qui ipsius gloriam mereri debeamus. Itaque subiungit statim, Quos autem iustificauit, hos & glorificauit. Non enim talem gloriam, nisi iustitiæ merito nobis uindicamus. Porro ipsa iustitia Dei donum est, ergo omne meritum ex Dei munere obtinemus. Quis ergo dubitabit, cum hæc ita sint, quin omnia Deum diligentibus cooperentur in bonum? etenim si Deus pro nobis, quis contra nos? si ipse defensor, quis oppugnator noster erit? Aut si etiam oppugnabimur, quæ contra diuinam omnipotentem defensionem humana, & fragilis consistet oppugnatio? Atque ut quod dixit, de electione, & glorificatione nostra, quam adhuc in spe obtinemus, ex ijs, quæ iam accepimus



accepimus, confirmet, sic argumentum interrogando facit.

Qui utiq; proprii filij parcus non fuit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non & cum ipso omnia nobis largietur?

QVI IN re summa, & sibi omnium charissima prolixè, & largiter liberalis erga nos Deus fuit, cum unigenitum filium suum tradidit pro nobis in hanc humanam infirmitatem & mortem, is quod sibi quicquam residui faciat, quod nobis non communicet, nequaquam est existimandus, sed maxima concessa re, etiam ea, quæ minora sunt, quæ illud filij donum primarium consequuntur, nobis libenter est donaturus. Qui enim filium dat, amore nostri inductus, etiam filij gloriam dabit, etiam nos pro filijs diliget, & paternam erga nos capiet uoluntatem, qua hæredes nos faciet cœlestium omnium suorum, immortaliumq; bonorum.

Quis criminabitur electos Dei? Deus est iustificans. Quis erit condemnans? CHRISTVS mortuus, magis autem & suscitatus, qui & est in dextera Dei, qui & intercedit pro nobis. Quis nos separabit à dilectione Dei?

HOC IDEO dictum est, quoniam magna erat inter multos admiratio, quidnam sibi isti nouæ religionis introductores uellent, & suspicio quædam eiusmodi ducta ex communibus hominum malitijs, & cupiditatibus, aliquid eos sibi quærere lucræ, & authoritatis, quod fermè nouantibus res solet esse propositum; tum autem illa magicæ superstitionis inuidia, de qua heri in nostri sermonis exordio diximus, Christianum nomen exoriens grauius insequeretur, quibus rebus fiebat, ut qui uerbum fidei alioquin non aspernabantur, ad profitendam tamen eam redderentur tardiores, uel iam professam, cum pudore quodam dissimulare conarentur. Quorum timor dicitur ista Pauli libertas, & uis animi ardens in Deum, atque illius amore inflammata mens alacritatem, & fiduciam addit, quasi ita arguat: Electi à Deo fuimus, & in eius iustitiam gloriamq; uocati, huiusq; ipsius spei firmitatem ex ijs, quæ iam ab eo nobis tradita sunt, obtinemus. Qui enim proprium suum, unigenumq; filium largitus nobis est, quo pacto non largietur cætera, quæ à tanto amore illius erga nos expectanda sunt? & nos inepto pudore quodam, metuq; ignominia apud imperitos, à prædicando palam ipsius Dei nomine, & apud omnes glorificando abistemus? detrahant qui uolunt de nobis licet, & grauium criminum nos insimulent, nonnullorum etiam commissorum antè forsitan & patratum, quid nobis obest ullius iam criminatio? Illa nempe peccata baptismo, & fide erga Deum abluta sunt. Deus est, qui nos iustos facit, & qui taleis nos esse iudicat. Quis alius nos iam condemnat? non moueamur ullius insimulatione, non deterreamur ignominia, quin hunc primum gratia Deo habenda actum, & hanc primam uocem testem nostræ uicissim erga illum beneuolentia mittamus, ut palam, & libere ipsius sanctum nomen profiteamur. Multa sunt fortassis proposita pericula, CHRISTVM annunciantibus; uerum ea metuere non est amoris. Ille mortuus est pro nobis, in quo est absolutio à criminibus nostra, ut iam insimulatores contemneri debeamus. Ille etiam magis nobis exurrexit, in quo nos sumus à Deo iustificati, ad iustitiam quippe cum illo exurreximus. Ille sedet in dextera Dei, quam eandem gloriam adituros nos confidimus. Ille apud Deum interuenit, & instat pro nobis, ut stabilis & firma sit electio nostra, & ipsius Dei de nobis prædissinitio; & cum hæc ita sint, tamen ne erit quicquam, quod scrupulum nobis aliquem, dubitationem ue afferat, quasi diuelli possimus ab amore omnipotentis Dei? & quidnam erit istud? Sic enim ista profert Paulus, tanquam correctus numine, & totus igne diuini amoris sit flagrans,

Afflictio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculū?  
an gladius? quemadmodum scriptum est: Quoniam propter te in mortem  
S 2 tradimur



tradimur tota die, reputati sumus uelut oues occisionis. Sed in his omnibus superuincimus per eum, qui dilexit nos. Confusus enim sum, quòd neque mors, neque uita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instàtia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque ulla cõdita res alia poterit nos separare à dilectione Dei, quæ in Christo IESU domino nostro.

HÆC EST firmitas à Deo electorum, & prædiftinitorum inuicta, atque confans, in omni rerum humanarum turbine, ut ui nulla conuelli, neque profterni possit, quæ tota ipsa in Dei amore statuta est, in Dei amore, inquam, inter ipsum, & nos mutuo. Sic enim semper intelligendum est, cum in ueris, sanctisque amoribus alter sine altero amor esse non possit, quanquam hoc præcipuum fit in Deo, cum, sicut alio loco à nobis dictum est, eodem spiritu sancto, qui est Dei amor, in cordibus nostris inhabitante, & ipsius amorem Dei erga nos sentimus, & ipsi erga Deum amore conflagramus, ut ab illius amore tamen amor noster exoriatur. Quocumque igitur loco de Dei amore in Paulo scriptum est, ita uti ambiguum uideatur, de utro sit intelligendum, de utroque accipiatur, quando ambo ex eodem fonte, & ex uno spiritu sancto sunt profecti. Atque hic quidem Paulus non multitudinem solum malorum commemorat, quæ nos ab Deo uideantur posse separare, neque separant tamen, sed in eo etiam magis confirmant, hoc enim est, quod ait, Sed in omnibus his superuincimus, per eum, qui dilexit nos, qui sic amore nostri inductus, & quia nos amauit, constituit, & prædiftinuit, ut essemus ab eo omnino inseparabiles: hoc est enim superuincere, non modo non diuelli, sed magis etiam cum Deo, ex incommodis conglutinari. Non solum inquam calamitates, & pericula, & angustia, atque ipse gladius, quod omnium extremum est, de quo in psalmo XLII. dictum, Quod propter te necamur omni die, reputati sumus ut oues occisionis, non distrahunt nos à Deo, neque auertunt, sed neque alia ulla uis, aut potestas, siue illa humana, siue cœlestis sit, siue etiam tempus ipsum futurum, aut præsens, siue quæ supra sunt, siue quæ infra, siue tota hæc mundi creatio, quam uidemus, siue præter hanc aliqua præterea ulla sit: confido, inquit, quòd nihil horum unquam poterit nos seiungere ab amore Dei, quem in CHRISTO Iesu domino nostro gerimus: quod ideo addit in Christo IESU domino nostro, quoniam sicut in ipso Deus nos elegit, & prædiftinuit maiori fratri nostro, & spiritalis familiæ principi futuros comites, atque in eodem ipso, & per eundem amoris sui documenta nobis maxima tribuit: sic nos in ipso eodem CHRISTO Iesu, & gratiam Deo habemus, & amorem eius agnoscimus, & Deum ipsi quoque uicissim diligimus, atque hæc Apostoli tot rerum aggregatio, quarum uis, & multitudo nõ tamen diuellere nos potest à beneuolentia, & coniunctione summi Dei, quasi mentis impetu quodam & excessu facta est, ad eum finem, ut demonstraret, quanta sit stabilitas diuinorum decretorum. Nam quòd angeli & principatus, alijque illi spiritus cœlestes studeant nos separare à summo Deo, ne cogitare quidem fas est, sed quòd ne possint quidem, si id studeant, uerissime est dictum. Nulla enim omnino creatio creatoris consilio, uel tantulum moræ affert, nedum ut queat diuina consilia frãgere, aut peruertere. & in hoc percursu tantarum rerũ id à Paulo est quaesitum, ut probet omnia diligentibus Deum cooperari in bonum, æternaque Dei decreta sanctos suos eligentis & diffinientis immutabilia semper esse, illiusque constituti, & decreti, quo quis à Deo in iustitiam, & gloriam selectus est, amorem semper ministrum, & conciliatorem existere, qui & Deum fecit, ut is nos sibi deligeret, & facit nos ut propter ipsum cætera omnia paruipendenda esse existimemus. Multis igitur, & præclaris habitis sermonibus, in quibus de fidei CHRISTI uirtute & ueritate est dictum, transit rursus ad Iudæos, & arguendos, & consolandos.

Veritatem dico in CHRISTO, non mentior, attestante mihi conscientia mea in spiritu sancto, quòd mceror mihi est magnus, & assidua lamentatio cordi meo. Optarim enim egomet anathema esse à CHRISTO pro fratribus



fratribus meis, cognatis meis secundū carnem, quicunq; sunt Israëlitæ, quorum est adoptio, & gloria, & testamenta, & legis latio, & cerimonix, & promissiones, quorum sunt patres, & ex quibus est CHRISTVS, quantum ad carnem, qui est in omnibus Deus benedictus in secula. Amen.

CVM proxime amoris sui erga Deū Paulus indicia maxima exposuisset, ut quæ ab illo nulla uis, nulla potestas, nullum incommodum posset auertere, nūc suæ quoq; in proximum beneuolentiæ, & charitatis ingens testimonium affert, planè illud retinens, quod est in utraq; scriptura, & laudatum, & præceptum, ut amet quisq; proximum suum sicut seipsum. Et ad Iudæos quidem cōsanguineos, & fratres suos sermonem habiturus, eorumq; duritiem, per quam ad CHRISTVM conferre se reuebant, & ex lege ueteri in fidem nouā migrare, argumentis, & testimonijs ipsorummet scripturæ refutaturus, præmunī sibi de principio aditum, & uiam, quod ad illos coarguendos mollius, & minore illorum cum offensione accedat, habeatq; animos ad audiendum paratiores. Et quoniam Romæ credentium Ecclesia ex utroq; genere constabat, & Iudæorum, & gentium, ad communem illum cœtum scribens omnibus significat, quanto ipse amore, quo studio procurandæ, atq; optandæ salutis feratur, & moueatur erga cognatos suos. In quo & prudentia Pauli ita postulabat, ut faceret illos ad discendum proniores, quando quod optimo animo fit, maiorē ad persuadendū affert uim, minusq; etiam si displiceat, cōturbat. Et reuera sic se res habebat, ut in maximo ipse dolore, mœroreq; esset, quod uideret genus suū à summo illo bono, quod ostentatum illi, & propositum imprimis erat, pertinacia quadā duritiæq; animi, & errore mentis abalienatum esse, quem suum animi dolorem magnis testibus confirmat CHRISTO, & conscientia, & spiritu sancto. Ac CHRISTVM quidē ut Deum testem aduocat, Veritatem dico in Christo, sic enim usurpatur in communi more loquendi. Veritatem in Deo loquor, quod est, testem meæ ueritatis facio Deum, in quo attestatur mihi cōscientia mea, neq; ea cōscientia, quæ alicui meæ affectioni aut odio, aut amorī præbeat testimonium, in quibus animi perturbationibus sæpe accidit, ut etiam si se errare conscientia ipsa non putet, nihilominus tamen erret. Sed ea cōscientia, quæ in spiritu sancto ueritatis testis est, quæ Deum sibi propositum, & illum sanctum, uerumq; amorem fraternæ erga proximum charitatis adiunctum habet. Quod porrō uerum est istud, quod tanta Paule cōfirmatione præmunis: Quod, inquit, mœror mihi est magnus, & assidua lamentatio cordi meo propter fratres meos, hoc enim adiiciendum est, ut plenum sensum habeamus. Deinde addit: Optauerim enim abdicari ipse à CHRISTO, quod illi reciperentur: hoc enim est anathema esse à CHRISTO. Aliud enim est, Deo esse anathema, quod consecratū, & dicatum Deo est: aliud ab Deo anathema, quod est è sacro, & religioso eiectum: quo uocabulo etiam nunc in ijs, qui è consortio fidelium eijciuntur, Ecclesia utitur. Ast ubi tuus ille amor erga CHRISTVM Paule, cui omnia modo posteriora longe ducebas, in quo solo in hæreas, à quo nec uitam, nec mortem, nec cœlum, nec terram, nec præsentia, nec futura posse te abstrahere, tanta cū fide, & asseueratione profitebare: nisi quod rem eiusmodi postulabas, quæ in illo dolore animi, & nube mœrentium cogitationū, quas pro fratribus suscipiebas tuis, sincero quidē te hoc corde optare cōpellebat, ut diuellerere à Deo & CHRISTO, fratrum tuorū causa: sed eo magis postulatio illa ad Deum te, & ad CHRISTVM arcte constringebat. Postulabas enim, non commodum aliud quod tuum, quod seorsum à Deo tibi uelles adesse, sed maiorem, & celebratiorem postulabas Dei gloriam, fratresq; tuos saluos, atq; incolumes cupiebas, in quo sanè euidentiōr Dei apparuisset gloria, si ad ueram fidem omnes illi perducti essent. Illi enim primi à Deo fuerant filij appellati, illi in eam gloriam uocati, ut gens sancta soli, & populus electus, & Dei hæreditas esse censerentur: illorum erant pactiones, & testamenta Dei, utraq; nimirum, & primum uetus illud, quo terræ illis data est, & istud secundum, quo cœli eisdem possessio est promissa. Illis data lex, & quemadmodum Deum colere rite deberent, cerimonix ueteris religionis traditæ, & factæ promissiones ab summo Deo in eorum patribus, qui cuncti ex illo genere extiterunt: ex quo



etiam genere deniq; fuit **CHRISTVS**, quantum ad carnem attinet, qui quod ex Deo est, ipse Deus est benedictus in omne seculum. Hi ergo quibus spes tot bonorum fuerat ostentata, & ex quibus, eorumq; ex scripturis, & patribus fides Christi nata primum auctoritatem, maioribus deinde ex se, ac illustrioribus signis uirtutū, & miraculorum, & sanctissimorum morum in toto terrarum orbe coruscabat, cum ipsi ad fidem minus prompte accederent, neq; sibi facile illam persuaderi sinerent, obicem quendam, & offendiculum ponebant in ipso limine credendi, quod aduentibus afferret hæitationem. Dubitabant enim nonnulli, & insistebant, cum illos ipsos qui festinare, & ingredi, & scire ista maxime deberent, intuerentur dubitantes, atque ita nomini sancto Dei, & libero processui illius gloriæ impedimentum quoddam afferebatur. Ergo idem Dei amor, qui Paulum totum rapuerat ad sese, qui nusquam eū alibi ueram rationem boni sui ponere permittebat, adigebat eiusdem animum Pauli magnitudine quadam inauditi amoris, ut id interdum optaret, quod est unum omnium maxime contrarium amoris. Nihil enim magis optat is, qui amat, quam ut mutuo ametur. At tantum Paulus in amando Deum progressus fuerat, ut pro illius magnificatione gloriæ passurus uideretur æquo animo, se ab eo non redamari, & tamen quod optabat, extra omne periculum optabat. Nam ut laqueorum natura, & comprehensio eiusmodi est, ut quo effugere magis coneris, hoc illigatus arctius teneare: sic quicquid propter amorem fit, etiāsi uideatur ex amore uelle elabi, in ipso amore tamen fit id constantius. Quid autem reuera, num hoc Paulus optabat, excidere ipse ex amore Dei, quod cognati sui in gratiam reciperentur? Hic est respondendū, ex affectu illum doloris uere hoc optasse, ex consilij, & rationis iudicio nequaquā. Nam cum affectionum natura ea sit, primū ut officiant semper consilio, & cogitationi, deinde ut in una re diu nūquam permaneant, fit, ut ad quācumq; affectionē te dederis, illa tibi & ueras res offerre, & cupiditates tuas iustas facere uideatur: quæ mox si affectione extincta ad rationis iudicium reuocentur, inanes & præposteræ fuisse deprehendantur. Aliud porro est ex cōsilio rationis, aliud ex affectionis motu aliquid optare. Stare in amore Dei Paulus, & iudicio mentis semper uolebat, & cum per affectū quoq; animi in eam cogitationē ferebatur, illa tunc ardentia, & magna proclamabat, Quid nos ex amore Dei abstrahet? num mors, num uita, num homines, num angeli? & cætera. In quibus memorandis paulo antè quasi in spiritu, & igne perbacchatus est. At cum illo affectu aliquantisper sedato in aliam curam eum de fratribus suis dolor, & cogitatio pertrahebat, tunc alio affectu delatus, atq; incitatus, illorum salutem præoptabat, & de sua negligēs esse uidebatur. Contigit hoc idem Moyli amico, & famulo Dei erga ipsum Deum, ut cum eum iratū populo, & excidiū illi, internecionemq; minitantem, placare, & deprecari Moyses niteretur, inueniretq; difficiliorē, inter medias preces in hanc uocem prorumperet, Si dimissurus es domine iram tuam populo tuo, dimitte: sin minus, dele nomen meum de libro, quem scripsisti. In eo enim affectu tunc positus, ut de periculo suorum esset sollicitus, quorum salutem faciebat maximi, paulisper in obliuionem suæ salutis uenerat: & tamen nullo periculo, quod postulabat, postulauit, quippe cum causa ea, propter quam id petebat, causam eidem Deo grauiorem præberet, diligendi eum magis, atq; probandi. Atq; idem Moyses, qui tunc pro populo ad Deum se de libro uitæ deleri postulabat, post populum pro Deo adorantem idola interficiebat. Attamen Paulus **CHRISTVM** & spiritum sanctum testem animi sui, & uoluntatis aduocat, ut appareat eum uere sic sentire, & loqui. aduocat enim uero, sed tristitiæ animi suæ, & doloris, quem de fratribus suis capit, uocat testem, quo reuera ipse uehementissime cōmouebatur. Quod autem mox subiungit de optato suo in quo salutem suam donare, & concedere saluti fratrum suorum paratus est, id iam non **CHRISTI**, nec spiritus sancti testimonium est, sed affectionis animi sui erga fratres indicium. Nam quod ad Iudæos attinet, omnis profecto Dei omnipotentis beneuolentia & inclinauit de principio ad illos, & deinceps semper donis, promissionibus, præcipuoq; studio erga illos declarata est, sicut & testamentum omne uetus, & noua scriptura pluribus locis ostendit. Nam & **CHRISTVS** ipse aliquoties dixit, testatusq; est, se tātummodo missum ad oues Israël, quæ perierant, & se non



se non adempturum panem filijs, quē canibus proijceret. Et in Apostolorum Actis: Vobis oportuit Iudæis primum prædicari regnum Dei, sed quoniā indignos uos facitis, ecce conuertimur ad gentes, ut Iudæi post illa Dei gratia deiectione, cū gentes ægre ferrent, quæ Deum nunquam coluissent, in eius ipsius gratiæ, quā ipsi amiserant, possessionem uocatas, de seipsis deberent, non autem de Deo dolere, & conqueri, neq; de ipsius Dei tanquam fidem sibi non præstantis gloria, famæq; detrahere, quando is nihil earum rerum prætermisisset, quæ ad docendos eos, in gratiamq; accipiendos in nomine, & fide IESU Christi filij sui forēt aptæ. Nam & CHRISTVS Dei filius ex Iudæis est secundum carnem, qui est idem alia ex natura Deus benedictus in secula. Quod hic aperte à Paulo est prolatum, nisi uelimus ad similitudinem antecedentium hoc quoq; accommodare, quorum sunt patres, & ex quibus Christus, & quorum est Deus uerus, quem alia præter Iudæos non agnoscebant nationes.

Non ita autem, quòd exciderit uerbum Dei. Non enim omnes qui ex Israël, hi Israël: neq; quòd sunt semen Abraæ, omnes filij. Sed in Isaac uocabitur tibi semen: hoc est non filij carnis, hi filij Dei, sed filij promissionis reputantur in semen: promissionis enim sermo iste est: Ad hoc tempus ueniā, & erit Sarræ filius.

SED etsi, inquit, Iudæi magna ex parte repulsi, quibus erant promissiones factæ, & nationes alia in præmia uocata promissionum sunt, non tamen fides Dei titubauit, neq; illius excidit uerbū, sed in sua æterna ueritate perstitit. At qua ratione perstitit, si reiecit quibus promiserat, eos autem uocauit, quibus promissum nullū fecerat: Quia, inquit, nō carnis, sed uerbi Dei filij hi sunt, qui uocantur. Nō enim omnes, qui ex Israël, hi Israël sunt, nomine fortassis quidem, & uocabulo omnes appellantur Israëlita, & Israël: sed re uera illi sunt Israël, qui recti Dei sunt, aut quoniā huius Hebraici uocabuli uaria est interpretatio, qui Deum mente cernūt, siue etiam cum Deo principes sunt. Isti ergo Israël, qui nomen factis comprobāt, sed neq; omnes qui semē Abraæ existunt, etiam sunt Abraæ filij, sed qui tantum ex Isaac ab Abraam fluxerunt: sic enim illi diuinitus est annunciatum, In Isaac uocabitur tibi semen. Non enim ex Ismaële, quem ex ancilla genuit, neq; item ex alijs Cheturæ filijs, qui magnarum posteritatum fuere principes, omne semen Abraæ, quod dilatatum in carne fuit, in genere, & honore filiorum comprehensum est: quippe cum ceteros omnes ex alijs mulieribus genitos à facie Isaac, sicut dicit scriptura, Abraam separatos in alias ueluti colonias dimiserit. Sed soli, qui ab Isaac in illa Dei promissione profluxerunt, filij extiterunt & Abraæ secundum carnē, & secundum spiritum, diuinæ promissionis, ac ipsius Dei filij. Qua etiam ratione neque ipse Esau filius Abraæ, nisi per carnem extitit, quando in illo Dei promissio nō est propagata. Quacumq; ergo perualit, & ad quoscumque peruenit Dei illa promissio Abraæ facta, hi uere filij Dei, & semen Abraæ ex promissione reputandi sunt. Nam neque Isaac filius in totum Abraæ ex carne extitit, quando effœto iam semine patris, & matris utero, nihilq; omnino illis ad generandi facultatem amplius afferentibus totam naturæ uim in eo, non tamen sine uiro, & utero sola tunc promissio Dei expleuit. Ergo ex Abraam, postea per Isaac progenerati magis promissionis, quàm carnis filij profecto sunt existimandi, maiorq; est illis in promissione, quàm in carne, cum Abraam & cum Deo consanguinitatis coniunctio. Proinde cum Israëlitis, aut Iudæis, aut etiam Hebræis, siue quocumque nomine illa natio delectetur, promissiones ab Deo factæ sunt, & adoptio in filios nuntiata, terræq; & regni stabilis, & perpetua possessio, non illæ nomini, & uoci, sed ipsi rei factæ sunt. Porro in re multo maximam partem habet promissio. Ergo sicut ex semine, & carne Abraæ, qui progeniti sunt, plurimi ex ijs, & longe numero superiores ab honore filiorum Abraæ repulsi sunt: sic qui in promissione illi successere, iustus multo, & uerius filij sunt appellati. Quare nec Iudæorum reiectio, nec uocatio, adoptatioq; gentium, quicquam de uerbo, & fide summi Dei diminuit, quando ab eo potissimum spectata est, non carnis ex Abraam, sed promissionis suæ ad Abraam generatio



tio. Ac ne Iudæi respondeant, se tamen non ex alijs eiectionis ab Abraam filijs, sed ex ipso Isaac fuisse progenitos, qui non solum carnis, sed promissionis filius extiterit, remque, quod semper agunt, à spiritali generatione ad carnem, corpusque traducant, confutat illos protinus adiecto de filijs Isaac eiusdem scripturæ notabili testimonio.

Necque hoc solum, sed & Rebecca ex uno uentrem ferens Isaac patre nostro, nondum enim genitis, neque cum fecissent quicquam bonum, aut malum, ut secundum electionem Dei propositum maneret, non ex operibus, sed ex uocante, dictum est illi, quod maior seruiet minori, sicut scriptum est: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.*

IN OMNI ueteri testamento plurima posita sunt, quæ aduentum filij Dei seruaturi genus humanum, & gentium uocationem, nouamque legem spiritus in cordibus scribendam, non in literis, partim uaticinijs, & prædictionibus, partim figuris, partim ipsa rerum gestarum historia admonent, & ostendunt, inter quæ id quod ad futuram adoptionem gentium, repudiationemque Iudæorum pertinebat, sapius qui primogeniti parentibus suis fuerant, è capite generis exclusi minoribus natu fratribus loco, & honore primi ordinis concessere; quod iudicium euident, & uaticinium semper fuit, Israël primogenitum Dei filium alteri post se genito de honore primo decessurum. Ac ne hoc fortuitum, aut obscurum cuiquam uideri possit, in ipsis principibus nominis, & generis Iudæorum, patriarchis uidelicet, & ducibus omnibus ferè usu contigit, ut qui primi eos parentes fecissent, patrumque nomine appellauissent, ex filiorum ipsi priorum loco exciderent, posterioresque fratres suos cernerent in primu honorem generis accersitos, atque sublato. Nam & Abraam cum Ismaelem primum filium extulisset, Isaac secundum illi prætulit; & Isaac duobus filijs geminis uno foetu sibi natis, eum qui posterior exierat, primum hæredem constituit. Et Iacob, non Ruben solum primogenitum, illo honore deiecit, Iudamque in eius locum induxit, sed & postea cum accessisset ad Aegyptum, senexque & oculis captus, filios Ioseph sibi in liberos adoptaret, uenturaque omnibus prædiceret, formatis in modum crucis brachijs, & dextra manu supra caput Ephraim, qui minor natu erat, eiusque sinister astabat posita, & sinistra supra Manassem primogenitum Ioseph, ad dextrum latus translata, per illam crucem ordines, gradusque permutans signo clarissimo futurarum rerum ita minorem filium in benedictione antetulit, ut illo admirabili uaticinio apertissime ostenderet posteriores Dei filios, quos crux illa distinxisset, multo maiore in honore, & gratia apud Deum futuros. Talia igitur exempla nunc proponens Paulus indignantibus Iudæis, & iniquo animo ferentibus se posteriores quodammodo à Deo habitos, & gentes esse in primum honorem gratie uocatas, quoniam quod de Abraam dixerat præferente Isaac Ismaeli poterat habere aliquam apud Iudæos obiectionem iure id in illis accidisse, quorum alter de ancilla natus esset, posterior de libera, sese autem omnes ex liberæ filio Isaac natos esse, repetit rursus rationis sue uim in ipso ite Isaac, qui cum esset ille electus ab Abraam filius, duosque ex eadem uxore Rebecca liberos uno partu sustulisset, prius egressum in lucem ex matris utero Esau, & postea scutum Iacob; tamen non tam is quidem sponte, quam diuina prouidentia compulsus minorem filium maiori præposuit. Ac ne humanis ista attribuerentur euentibus, hominumque forsitan autoritas parui esset, adiungit diuinum de eadem scriptura testimonium, inquit, non solum hoc factum fuisse in Abraam, & in illis duobus non de eadem matre liberis, sed etiam in ijs, qui ex una matre, unoque patre sunt editi. Namque Rebecca uxor Isaac cum ex uiro uno conceptum haberet, quo quidem conceptu geminos parturiebat, atque illos inter sese in utero colluctantes sentiret, audiuit ex domino, antequam illi in lucem prodissent, antequam quicquam boni fecissent, aut mali, audiuit, inquam, quod maior seruiet minori. Et in alia scriptura Malachiae prophetæ idem dominus dicit, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*; quæ sunt ab Apostolo inducta ad comprimendam alteram illam Iudæorum querelam, qua se primo à Deo genitos, post reiectos, & gentes in primum honorem filiorum introductas non mediocri



diocriter conquerebantur, detrahereq; tentabant de omnipotentis Dei fama, atq; gloria, tanquam is iniquum quippiam, & inexpectatum egisset: ostēdit enim Paulus esse solitum agere Deum, cum ipse bonum ita factu atq; rectum, diuino suo consilio esse iudicat, cuius iustitiæ, & æquitatis ueritatem ipse ante seculum omne cognoscat, nos postea euentis rerum edocti perspiciamus. Atq; ita duabus iam querimonijs Iudæorum elisis, atq; abiectis, una, qua querebantur fidem illis promissionum à Deo non fuisse seruatam, quando eam Deus Israël præbuisset, gentibus persoluisset: in quo responsum ab Apostolo est, Israël esse semen, & filios promissionis, non generationem carnis. Altera, qua secundos filios primis prælatos esse grauius ferebant, quod in ipsorum principibus, & patriarchis ostendit Paulus Deo fuisse usitatum. Nunc ad asperiores multo, & grauiorem querelam tertiam confutandam maiore apparatu se confert. Dicerent enim Iudæi, id quod & dicebant, & non sine causa dicere uidebantur, Quid ergo? num nobis gentes antelatae sunt, eò quod meliores nobis sunt? num illæ nobis iustiores, aut continentiores? Num in uno Deo colendo diligentiores? quæ ipsæ non nouerunt, atq; adeo ne nosse quidem curauerunt: nos & nouimus, & prædicamus, & colimus: hæccine igitur gratia nobis bonorum operum relata est? ut ab his, qui solas suas cupiditates explere pro dijs sibi, & pro religione habuerūt, nos, qui multa nobismet ipsi facienda, patiendaq; præscripsimus, qui pluribus rebus propter honorem Dei, & legis ab Deo nobis latae abstinemus, in præmio apud Deum, & in honore uinceremur? Huic grauiissimæ, acerbissimæq; querimoniæ, quæ tota nixa est bonorum fiducia operum, in quibus Iudæi sibi multum arrogabant, respondet nunc Apostolus, opera semper hominum aspernans, & gratiam Dei, gloriamq; magnificans, electionem illam Dei ex ipsius deliberatione, & proposito, quo uno modo maxime rata ea, & permanens deliberatio est, ac non ex nostris operibus pendere. Itaque ante natos Iacob, & Esau, antequam boni quicquam ex illis, aut mali fuisset editum, Deum sic elegisse Iacob minorem fratrem, ut maiorem illi Esau in seruitutem dederet, & quod etiam apertius, & significantius dictum est, in propheta, antequam uterq; eorum nasceretur, Iacob Deo dilectum fuisse, Esau autem odio habitum. Et quoniam huiuscemodi responsio ea erat, quæ in multas, & magnas incurreret difficultates, magisq; exulceraret eorū dolorem, qui ex postulabant de Deo, & cōquerebantur, quam leniret, idcirco insistit diutius Apostolus, & cōmoratur in ea, nunc sibi ipse obijciēs, quod ab illis intelligebat iri obiectum, nunc obiecta dissoluens.

Quid ergo dicemus? num iniustitia apud Deum? absit. Moyse enim dicit: Miserebor, cuius misereor, & miserabor, quæcunq; miseror. Itaq; nō uolentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei.

QV I D mirum, inquit, si dixi tibi electionem Dei, quam de nobis facit, ex ipsius proposito, non ex operibus nostris esse aptam? nō est hæc iniustitia Dei, non enim habet ille, quibus præmia hominum iure debeat, quando quidem omnes filij iræ nascimur, nec solum parentis primi labe, & uitio, sed nostris deinde quisq; peccatis peculiaribus inquinati. Nec est cur quisquam ex operibus sibi arroget, & ueluti pro suo iure petat, ut honoris apud Deum, & præmiorum fiat particeps. Sed hi eliguntur, hi non eliguntur, quia horum Deus misereatur, non illorum, Dei enim eligere, misereri certe est, quia nullius opera tanti sunt, ut mereantur: & non misereri, Dei est reijcere, quod omnium opera magis promerentur. Quemadmodum Deus ipsemet in cōmuni peccato filiorum Israël, qui uitulum aureū in solitudine adorauerant, Moyse dicit, se miserturum, quorum tunc misereret, & non miserturum, quorum nō tum misereret. Quanquam hoc secundum non sic diserte pronuntiatum à Deo, sed ex priore illo necessario est intellectum. Quod si ita sit, adipisci gratiam, & dignum præmio fieri, nō uolentis est, neq; currentis, quod à gymnicijs certaminibus est inductum, & pro omni conatu recte agendi, omniq; bona operatione ponitur, sed miserentis est Dei, ut quicquid honoris, ac loci apud Deum obtinemus, non operibus id nostris, nostratq; uoluntati, quam hic certe Apostolus innuit esse nostram, sed Dei ipsius proposito, & misere-



ricordiæ tribuamus, Et rursus in alio scripturæ loco.

Dicit enim scriptura Pharaoni, quòd in hoc ipsum suscitauit te, ut ostendam in te potentiam meam, & ut annuncietur nomen meum in omni terra.

HOC EST Dei iam non miserentis, atq; ideo nec eligentis, quod Pharaoni contigit, quem non solum excitauit Deus, ut offerret se ille spectaculum toti mundo mirabilium, & potentiæ summi Dei; uerum etiam ad hunc ipsum finem Deus illum se excitasse testatus est, ut ostenderet ipse in eodem illo, uim suam, gloriamq; nominis sui in orbe toto diffunderet. Et quoniam prior dubitatio nondum soluta est, etenim si miseretur Deus, quorum illi uidetur, cæterorum uero non miseretur, nulla autem appareat huiuscemodî differentiæ causa, nisi sola uoluntas præpotentis Dei, de duobus alterum uidetur necessario consequi, ut aut iniustus Deus sit, huic magis quam illi sine ratione fauens, aut nostra, qui delinquimus, peccata minime sint plecenda, quando ipso Deo uolente sic perpetrata sunt, quod proxima de Pharaone scriptura uidetur indicare: idcirco Apostolus insistit iterum, & sibimetipse has dubitationes opponit.

Igitur cuius uult, miseretur, & quæ uult, obdurat. Dices igitur mihi: Quid etiam nunc queritur? uoluntati enim eius quis resistit? Imò ò homo, quis es tu ex aduerso respõdens Deo? Num dicet fictile ei qui finxit, Cur me fecisti huiusmodi? an non habet potestatem figulus luti ex eodem mixto faciendi hoc quidem in honorem uas, hoc autem in despiciatum?

PRIMA ista uerba Apostoli sunt cõcludentis ex illis scripturæ locis, quòd omnia nostra ex electione, & proposito Dei sunt, non ex operibus nostris: Quando ipse Deus, quorum uult, miseretur, & quos uult, obdurat. Nam & ipsemet Deus in Exodo Moyfi dicit: Obdurans obdurabo cor Pharaonis, ut ne dimittat populum meum. Et quoniam acris obiectio exoritur, quid ergo nos pœnæ meriti sumus, cum quid delinquimus, aut cum ad cupiditates nostras toti delabimur, si Deum sic uolentem tanquam authorem culpæ, & criminis habemus, cuius uoluntati non possumus non parere? Hoc responsum hominum uelut in indignatione, atq; ira loquentium, ipse quoq; commotus eorum petulantia Apostolus asperius refellit, ut discant modestius & reuerentius de summo authore omnium bonorum Deo, & de immensa, ac inscrutabili illius Sapientia loqui: Tu quinam es, inquit, qui sic audaciter, & superbe tanquam par pari, & nihil illi concedens respondeas Deo? An hoc modo figulum interrogant fictilia, Cur me non honestum, neq; ex ornatum uas, sed incomptum, despicabileq; fecisti? Nonne figuli est potestas ex eadem creta fingendi uas cuiuscemodî uelit, siue mens illud paratum uelit esse, siue sterquilinijs? Enimvero Deus maior multo figulo est: & tu homo præ Deo luto etiam es contemptior; quæ ergo temeritas te aduersus Deum concitat? exquire potius cunctanter, & uenerabunde harum rerum rationem & causam, & ostendetur tibi, quàm sic proterue in reprehensionem Dei erumpas, quæ ratio ea est.

Si autem uolens Deus ostendere iram, & notificare, quàm possit ipse, tulit in longanimitate multa, uasa iræ accommodata in interitum, atque ut notificaret diuitias gloriæ suæ in uasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam, quos & uocauit nos non solum ex Iudæis, uerum etiam ex gentibus, sicut & in Osea dicit: Vocabo non populum meum, populum meum: & non dilectam, dilectam: & erit in loco ubi dictum fuit eis, Nō populus meus uos, ibi uocabuntur filij Dei uiuentis.

PAVLVS ut est contextus sententijs, & implicitam ferè unam cum altera cogitationem proferens, soluere quidem incipit obiectas quæstiones, sed antequam inferat conclusionem, in alteram statim probandam rationem insilit, legentibus relinquens prioris



prioris concludendi, & stabiliendi argumenti cogitationem. Erant autem querelæ, & quæstiones ab Iudæis partim, partim à quibusuis motæ, atque illatæ. Iudæorum illæ propriæ: Vna quòd fidem illis eorum quæ promiserat, non uidebatur præstitisse Deus. Cui respondit Apostolus, non omnes esse Israëlitas qui dicantur Israëlitæ, sed Israëlitis spiritualibus, & ex uerbo Dei profectis promissiones suas fecisse Deum, eisdemq; illas persoluere, ac persoluisse. Altera, quòd cum ipsi primogeniti Dei filij iam antè extitissent, à secundis liberis uenientibus in adoptionem honore, & gratia omni apud Deum uincerentur. In quo ostendit Paulus quod factū in se ægreferant, & tanquam iniquum, ac nouum cōquerantur, Deum in patribus ipsorum & primis illis generis principibus omnibus ferè diu antea fecisse, ut primogenitos illorū filios principatu generis deijceret, & minores fratres in defectorum locum substitueret. Sicut in Ismaele, & Isaac, in Esau, & Iacob, diuino consilio fuit demonstratum. Tertia iam quærimonia Iudæorum grauissima illa erat, quòd cum ipsi & legis iustitia edocti, & operibus bonis meriti essent, ut maiore multo in honore apud Deū esse deberent; à gentibus tamen, quæ neque iustitiam, neque legem antea cognouerant, neq; Deo uero honorem ullum habuerant, in adoptione nouæ gratiæ anteirentur. Quam illorum conuersionem refutat Apostolus ea ratione, quòd non ex meritis nostris, neq; ex operibus gratiæ apud Deum nobis gradus acquiratur; sed ex Dei ipsius misericordia duntaxat, & uoluntate; quam rationem ex longe diuersa conditione duorum fratrum Iacob, & Esau iam inde ab Deo illis destinata, anteq; in lucem ij prodijissent, & ex scripturæ testimonio duplici cōfirmat. Et hæc tenus quidem Iudæis nominatim est responsum. Quoniam uero postrema ista respōsio nouam rursus, & perdifficilem excitabat quæstionem, nec illam magis ab Iudæis quàm à cæteris, ad eam quoq; dissol uendam aggreditur Paulus. Diceret enim quilibet: Si nihil est à nobis, & Dei omnia subiecta uoluntati sunt, quid de nobis conqueritur, si minus ipsi probi, integriq; sumus, si uoluptates nostras aut emolumenta illius honori, & cultui anteponimus? Hanc obiectionem primo refellit, asperius arrogantiam contundens istorū, & exemplo figuli ostendens, non debere eos tam superbe in disquisitionem huiusmodi summum Deum accersere. Deinde hac etiam eam responsione dissoluit, non esse causam exprobrandi quicquam Deo, nec prauis cupiditatibus propterea indulgendi, quòd uideamur id quasi necessariò sic Deo uolente facere, quandoquidem non est ista culpa in Deo posita, sed in nobis. Pharaonem enim longe iam antè accommodantem se, ut fieret uas despicationis atq; iræ, & semetipsum ad interitū concinnantem, posteaq; diu, & multum pertulisset, eiusq; extremam amentiam Deus patienter expectasset, ut uidit occasionem existere aptam, qua produceret illū in medium, & quasi in aciem atq; in certamen contra se pertraheret, quò declararet omnibus in illo uim & potestatis, & magnitudinis suæ, atq; item ex altera parte, ut patefaceret, notasq; redderet diuitias gloriæ suæ in ea uasa misericordiæ, quæ præparauerat ipse ad gloriam, hoc est in eos homines, qui sese quidem aptauerant ipsi, quoad in illis fuit, ut essent misericordiæ receptacula, aut certe non se ad iram & interitum accommodauerant; uerum quos imprimis ipse Deus ex æterno principio ad gloriam ipse suam electos, & præparatos præparauerat. Nam nos quidem per nosmetipsos ad gloriā non possumus præparari, Deo opus est & diuino auxilio, atq; adeo ex Deo totum est, quòd effici mur apti, per quos ille suam gloriam omnibus hominibus ostendat, à nobis aliqua inuita quidem bonæ uoluntatis, ut præparari ad misericordiam apti simus, proficiuntur: sed neq; ea sine Deo tamen, ut antè dictum est: ipsa autem præparatio ad ministerium diuinæ gloriæ Dei opus est, & non nostrum. Igitur inquam si fuit tum occasio Deo idonea, atq; opportuna in utranq; partem sic se demonstrandi, ut in illo potentiam, & uirtutem, in his gloriam suam & misericordiam indicaret, quid est, quòd tu arbitrere (hoc enim deest sententiæ, ac conclusioni, & supplendum est) tuis sceleribus, & peccatis excusationem tibi ex Dei uoluntate prætendendam esse? non ille uult, neq; creat tuum crimen, sed cum te iam profligatum penitus, perditumq; cognoscit, excitat in medium, utiturq; tanquam uase proiecto, atque inutili, neque amplius uult ullam suam admonitionem denunciationem ue periculi ullum pœnæ atq;



exitij metū ad pœnitentiam tibi aut ad spem implorandæ misericordiæ ualere. In quē  
 sensum & ab Deo Moyſi dictum est se obduraturū cor Pharaonis, ut ne dimitteret  
 populum. Et in Hieremia, se occæcaturum oculos eorum, ut ne uidentes uiderent,  
 & meditantes ne intelligerent, ac conuerterentur, & ipse sanaret eos. Non enim eos  
 Deus, qui tenebrarum filij iam effecti sunt, quicūq; omnem uim, & potestatem rationis,  
 ac uoluntatis, suæ improbitati, & libidini penitus subiecerunt, ad lucem amplius, &  
 ad salutem erigere uult, hoc est, ut conuertantur, ulterius expectare; sed cum occasio  
 adest, atq; opportunitas, qua pœnam illorū ad gloriam sui nominis, & ad exemplum,  
 doctrinamq; bonorum proficere posse intelligit, tunc productos in spectaculum, tan-  
 quam in harenam, dignisq; supplicijs damnatos ueluti feris obijcit, ut in utroq; appa-  
 reat magnitudo gloriæ suæ, & in plectendo perditos, & in miserendo his, qui se para-  
 tos, & idoneos ad accipiendam misericordiam præbuerint. Porro autem hi sunt, qui  
 non ex Iudæis tantum sunt ab ipso Deo, sed ex gentibus uocati, qui non carnis, sed  
 promissionis filij, uerusq; Israël sunt. Quod denuo aduersus Iudæos est prolatum, qui  
 se unos arbitrabantur Dei electione dignos, gentes autem reliquas tanquā pollutas,  
 atq; impuras ab omni Dei cura, & prouidentia opinione sua abdicabant: quam eo-  
 rum opinionem Apostolus aliquot scripturæ testimonijs deinceps refellit, ex Osea  
 primum, apud quem Deus: Vocabo non populum meum, populum meum inquit.  
 Quod quidem manifeste de gentibus est dictum. Et non dilectam, dilectam, congrega-  
 tionem, ecclesiamq; uidelicet, quam in amore non habebam, amaturus mox sum. Et  
 erit, quemadmodum dico, scilicet. Quid autē erit? Quod quo in loco dicebatur, Non  
 populus meus uos, in eo uocabuntur loco, non modo populus, uerum etiam filij Dei  
 uiuentis. **HIC IVLIVS.** Et si planus hic mihi uidetur Apostoli sensus, inquit, ta-  
 men cum ad ea quæ paulo antè disputata à nobis de libero arbitrio nostro, deq; Dei in  
 nobis iudicio uoluntateq; sunt, aliqua hic à Paulo posita aduersari uideantur, peto à  
 te, ut regrediare paulum ad hæc ipsa diluenda, quæ usq; eò nihil in nobis positū esse  
 constituunt, per quod Deus hos illis in eligendo habeat potiores, ut nec ipsius Dei in  
 discernendo, seligendoq; sapientiam, nec arbitrij nostri libertatem uideantur relin-  
 quere. Etenim obsecro quid est, quod de Iacob & Esau scriptum, antequam essent ge-  
 niti, antequam boni quippiam, mali ue fecissent, ut ex electione propositū Dei maner-  
 ret, & non ex operibus, sed ex uocante, unum esse alteri in seruitutem fratrem datū,  
 & alterum dilectum Deo, alterum odio habitum, nisi quod uoluntatem Dei in illoꝝ  
 utroq; non modo fors, & conditio uitæ, sed diuersa etiā studiorum & uoluntatum su-  
 scepcio secuta est? Aut quid aliud indicat, Miserebor cuius miserebor, & Non uolens  
 tis est, neq; currentis, sed miserentis Dei. Et rursus: Cui uult miseretur, & quem uult  
 obdurat, non ne nos totos ita ex Deo pēdere, ut nullam in partem ex libero arbitrio  
 nostro, sed tantum impellente ipso cōmouere nos ualeamus? Quæ quāquam mihi du-  
 riora, & multis implicita difficultatibus uidentur, egoq; pristinam tuā opinionem &  
 sententiam illam leniorē uidelicet, magis probo, qua aliquod initium nostræ uolunta-  
 tis nō quidem sine Deo, sed tamen nec sine nobis statuebas positū esse in nobis: tamē  
 quoniam & ab hac parte multi stant docti homines ac probati, resq; digna cōsidera-  
 tione graui est, peroptatum feceris mihi, si adhibueris diligentia, quò ista, quæ hic ab  
 Apostolo aduersus liberum arbitrium dicta esse existimantur, nō tamen talia omni-  
 no esse, neque facultatem libere quod uelimus eligendi auferre nobis intelligantur.  
**FACI S.** inquit, Iulij, quod discere cupientiū maxime proprium est, ut nullū uerbum  
 uelis in Paulo nō bene examinatum ac perpensum præterire. Nam nec ille in tantis  
 cœlestium mysterioꝝ explicationibus uel unam minimā literam in scribēdo sine con-  
 sideratione maxima disposuit. Sed tamen hæc, quæ hic à Paulo sunt posita, non mihi  
 ita obstare libero nostro arbitrio uidentur, ut illud tollant. Quin, etiā ea Dei potestas  
 in nobis est, quæ certe est, ut nihil absq; eo rectum, neq; nobis salutare suscipere, aut  
 exequi possimus: tamen uolūtatem nostram liberam teneamus. Vt enim paulo antè  
 dixi, uelle certe à nobis quadam ex parte est, siquidem Dei in nobis operationi & ipsi  
 cooperamur, itemq; in nobis est moliri nonnihil atq; contendere, ut tanquam manus  
 Deo porrigentes subleuemur ab eo primum, deinde recti cōstituamur. Verum ita se  
 habet



habet omnis nostra molitio, ut inanis, & uacua ipsa per se sit, nisi gratia Dei, misericordiaque aduenerit, quæ illam compotem uoti, atque ipsi Deo gratam faciat, & acceptabilem. Non enim est uolentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Quod si uelle, & currere nihil omnino ex nobis, sed ex Deo totum esset, non magis esset dictum miserentis esse Dei, quam uolentis: quippe cum uelle, decretum, & constitutum in se habeat, misereri uero, opem, atque auxilium, uoluntasque Dei libera, & absoluta in se sit, misericordia uero ad illum hominem aspectum referat, cui misereatur. Etenim uolentibus sibi opem & misericordiam tribui, miseretur Deus. Nam cum sub seruitute peccati nati nos simus, neque nostra ope, ex illo, nostrisque uiribus emergere, atque eicere nosmetipsos queamus, uolumus quidem ex nobis etiam & adnitimur, ueruntamen ad consurgendum Dei omnipotentis ope indigemus, qui tendentes brachia ad sese, corpusque agitant ut euoluantur, misericordia sua adiuuat: ignauos uero, & desides neque quicquam agentes, quamobrem debeant subleuari, in ipso luto infixos, perditosque relinquit. Nam quod Paulus sic ponit, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex uocante, in hunc mi frater modum debes intelligere, atque adeo necessario sic intelligendum est, ut quoniam, quæ uentura sunt circum electos & uocatos Dei, ea à Deo prouisa, & prædeterminata iam sunt, non sit eorum euentus, atque decursus humanis actionibus permittendus, quæ fragiles, & mutabiles suapte natura si ducerent ipsæ, & regerent decreta Dei, nullum eorum stabile, & immutatum sinerent: uerum quod non mutant illa, quod rata, firmaque sunt, quod nullo unquam tempore euentu suo frustrantur, hoc est non operum nostrorum, sed electionis, & uocationis, & propositi summi Dei. Ergo quæ circa duos fratres euentura Deus tanto antè prouiderat, atque uti ita euenirent, decreto ipse suo imprimis diffiniuerat, ille quidem præcognitis ambobus, sic iam tum disposuit, & diffiniuit, ut maior minori frater seruiret fratri, ipseque diligeret alterum eorum, alterum odio haberet. Verum est id ad eum quoque finem ab Apostolo inducitur, ut quod adsciscerentur gentes in filiorum nomen, ipsi autem priores filij eicerentur, non nouam aliquam Iudæi mutationem animi: sed uetus & stabile decretum in omnipotenti Deo esse intelligerent, apud quem in decernendo, ac constituendo nullum tempus est, neque præteritum, nec futurum, sed omnia una, atque simul in eodem uniuersæ æternitatis momento illi sunt presentia, quæ diffinita semel à Deo nullum tempus deinde, nulla uis, nulla nostra actio possit infringere, aut uariare: quo etiam sensu dicitur, se miseretur, cui iam miseretur, ut inuiolabile constitutum Dei esse perspicias. Nam quod obdurat, quem uult, tunc quidem dicitur obdurare, cum desperatum iam hominem, & in uitio suo penitus perditum producturus in spectaculum aliquod, in quo aut seueritas Dei ad unius poenam, cæterorumque disciplinam, aut uis, & potestas, & magnitudo eiusdem aduersus superbos, & impios ostendenda sit, non patitur amplius moram ullam, neque damnato dat locum respirandi, ac resipiscendi, quod in Pharaone fecit, quem tamen ipsum cum se obduraturum antea prædixisset, potentemque manum suam in illo exerciturum, quot tamen modis (ò clementiam inenarrabilem) quibus castigationibus, & monitis, quanta cum patientia, & longanimitate ab illa impia uoluntate deducere est conatus: quoties illi spiramenta incommodorum præbuit: & tanquam illi crederet affirmati dimissum ab eo iri populum, plectentem manum suam, & uerberantem tantisper ab eo amouens, ab illa duritie animi studuit reuocare: usque adeo alienum à Deo est, ipsiusque bonitati, & humanitati contrarium damnare, aut nocere, aut malefacere cuiquam, nisi nos ipsi nobismet illam extremam pestem illius abalienatæ opis accerferemus. An existimamus aliud esse causæ, cur homines impij, & scelerati in hac sæpe uita sic sustineantur: est hoc consilium, & admirabilis clementia omnipotentis Dei, qui perfert prauos ut resipiscant, semperque omnibus adest, ut excipiat malos, si forte uelint illi, atque instituant boni fieri, & bonos, atque electos scuto ueritatis, & decreti sui circumdet, & protegat, ut ne terreantur à timore nocturno, à sagitta uolante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurfu, & dæmonio meridiano. Et quoniam in natura hominum parum est firmitatis, non ex operibus illorum, sed ex electionis suæ decreto stabile Dei propositum in suis electis glorificandis maneat. Sed ne diutius euagemur, redeamus iam ad Pauli uerba,



à quibus discessimus. I M O V E R O mi frater, inquit Iulius, non hoc est uagari, sed certo in loco consistere, cum ista de Deo, & cogitamus, & loquimur, illiusq; infinitam uim bonitatis & recordatione nostra sapius, & prædicatione usurpamus: sed tamen tu ad institutum reuertere.

Esaïas autem clamat super Israël, Si sit numerus filiorum Israël, ut harena maris, reliquias saluæ fient. Sermonem enim consummans, & corripiens in iustitia, quoniam sermonem compendiosum faciet dominus in terra, & sicut prædixit Esaïas, Si non dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, ut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorra similiter fuisset.

D V O hæc testimonia hic inducta sunt, ad ostendendum non Israël, nec quæ Israël, sed solos electos Dei saluos esse: & tamen spirat in illis fidei nostræ mysterium. Dicit enim in Esaïa Dominus, Quantumuis numerosus, & multus sit Israël, non eum uniuersum, sed reliquias saluas fore: quod indicat, & denotat electorum ex Israël paucitatem. Quod si Israël, hoc est populi Israëliti salus & promissio, & gratia propria esset, non reliquias Israël, sed uniuersus Israël salutem inuenisset. At quomodo reliquias saluæ: quia, inquit, Dominus est (hoc enim intelligendum) terminans, & corripiens sermonem in iustitia: quia, inquit, sermo domini omisis tot controuersijs, & obseruationibus, & conuictibus Mosaicæ legis, breue faciens, quod necesse est, salutis totam rationem in una fidei iustitia ponet, atq; concludet. Nam legis iustitiæ, ut quæ in uarijs curis, & actionibus, & litibus de humanis rebus appetendis, dirigendisq; uersantur, plures ipsæ quoq; & uariæ necessariæ sunt. Vna autem est ad salutem iustitia, quæ sola apta sit, nihil omnino uidelicet tribuere rebus humanis, & ad ea sola bona, quæ cœlestia sunt, spe, & cupiditate contendendo sese omni cum fiducia totum Deo permittere, qui sermo est Domini, & ipse C H R I S T V S: hæc iustitiam ueram, & singularem qui obtinet, quam ex sola C H R I S T I fide Deo donante potest adipisci, nihil cæteris legis iustitijs indiget, neq; in tot chartis, librisq; euoluendis, sed in hoc solo fidei tenendo sacramento spem certam suæ beatitudinis retinet. De quo idē Esaïas: Quoniam sermonem, inquit, compendiosum faciet dominus in terra. Ergo illi, qui ex Israël electi sunt, reliqua omni neglecta, posthabitaq; multitudine in hoc sermone breui sunt seruati, uel quod spiritu eum sancto edocti prouiderunt, & crediderunt, uel quod ab Deo in eorum, qui promulgaturi illum toto orbe terrarum erant, semen & stirpem sunt relictæ. De quo item Esaïas, Nisi dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma, & sicut Gomorra similiter cecidisset. In quo indicat propheta ut esset semen eorum, qui uerbum compendiosum suscepturi erant, hoc est, ut conseruarentur patres, auicq; eorū, qui fidem C H R I S T I accepturi, atq; ut tanquam seminatam fuisse. Non habet igitur Iudæus, cur tantum confidat generi, & nomini Israël, aut cur ad promissiones illas Dei tantopere attendat, quando non ut ex Israël, sed ut ex eligente, & uocante Deo quisq; salutem, & gratiam adipiscitur: ideoq; nec mirum est illam, & salutem, & gratiam etiam gentibus fuisse datam.

Quid igitur dicemus: quando gentes quæ non sectantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam: iustitiam autem, quæ ex fide. Israël autem sectans legem iustitiæ, ad legem iustitiæ non euasit. Quid ita: quia non ex fide, sed ut ex operibus legis. Offenderūt enim in lapidem offensionis sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali, & omnis credens in eo non confundetur.

G E N T E S, quæ de iustitia minime antè laborabant, quæ solam uitam illam resectam, & congruam esse existimabant, quæ est animo suo gerere morem, & cupiditates suas pascere: ita tamen uti cum ipsis unà uoluptatibus incolumitatis, & ualetudinis & apud



& apud præstantiores animo etiã dignitatis ratio duceretur, hæ repente fidei iustitiam, hoc est breuem illum sermonẽ sunt amplexæ, suasq; spes omnes e terris transtulerunt in cœlum, & ad Deum penitus e mundo commigrauerunt. Iudæi uero, qui legem iustitiæ sectabantur, non peruenierunt ad iustitiæ legem, quoniam in breui illo sermone non crediderunt, nec ut anteferrent illum uerbosæ legi Moylis in animum induxerunt: sed in ipsis multiplicibus, & uarijs legis operibus agitati, atque iactati, infirmasq; & tennes consecrati iustitias, quæ laborem animi, corporisq; permagnum, nullum autem fructum illustrem, neq; cogitationem ueræ gloriæ afferebant, ab ipsa comprehensione ueræ iustitiæ, quæ ex CHRISTI fide est, aberrauerunt. Offenderunt enim, inquit, in lapidem offendiculi, quod certè nõ debebant, cum ab eodem illo Esaiã tanto ante prænuñciante admoniti fuissent, positurum Deum inter ipsos lapidem offensionis, & petram scandali: qui etsi eos esset à ueteri lege in nouam fidem auocaturus, & ab usitatis iudicijs, ac purgationibus, & cerimonijs legis in simplicem, & inauditam iustitiam inducturus (hoc enim erat lapidem esse offensionis) quãdo omnis uetus mos probatus patrum, auorumq; iudicio, ac præsertim etiã auctoritate Dei confirmatus, noui ritus, atq; moris maiorem, illustrioremq; ueritatem, atq; iustitiam non nisi à probis, & omnia æquo animo auscultantibus hominibus sinit agnosci, ut maior multo pars contemptu, & contumacia quadam in ipso statim initio ab omni cura cognoscendi, & intelligendi se auertat. Sed etsi nouam, & insolitam simplicis iustitiæ legem in illo breui sermone erant audituri: ei tamen si credidissent, fidemq; CHRISTO Domino habuissent, nulla eos uerecundia, nulla poenitentia erat exceptura. Nam & propheta idem ait, Et omnis credens in eo non confundetur.

Fratres propensio quidem mei cordis, & deprecatio ad Deum pro Israël est in salutem. Testimonium enim illis do, quòd zelum Dei habent, sed non secundum cognitionem. Ignorantes enim Dei iustitiam, & propriam iustitiam quærentes statuere, iustitiæ Dei non se summiserunt. Finis enim legis CHRISTVS in iustitiam omni credenti.

RVRSVS Iudæos accusaturus, qui fidem CHRISTI suscipere renuebant, & apud communem Romanæ ecclesiæ cœtum, in quo non pauci erant ex Iudæis creditibus, cum horum ipsorum, qui crediderant, nimium tamen legis studium, tum aliorum obstinatum in non credendo animum argumentis, & auctoritatibus conuellere tentaturus, ne incurrat odium, atque iram generis sui, ne ue ipse inimico potius animo, quàm beneuola uoluntate aduersus eos uideatur agere, præponit indicia suæ in illis beneuolentiæ, ut quicquid dicturus de eis, & in eos est, in bonam partem ab illis potius accipiatur. Nam & propenso se corde in eos esse dicit, & omnem pro illis deprecationem, qua ad Deum utatur, ad salutem illorum spectare, ac pertinere: præterea dat illis testimonium, quòd zelum Dei habeant, quòd uellent ipsi quidem, ac cuperent gratum facere Deo, & sese illi adiungere, atque applicare, quæ sunt probæ, & piæ uoluntatis indicia: sed errare illos ex ea parte, quòd quo id pacto oporteat agi, non planè bene nouerint. Atque hætenus quidem non est eorum uitium, si cupiunt illi quidem, uerum ignorant uiam. Est enim ignorantia excusatio apud æquos, dum uoluntas bona adsit, uenia digna. Verum quod iam graue illorum crimen, & inexcusabilis est error, id quod ignorant, ne patiuntur quidem se doceri, ultro q; docentibus, & monentibus infesti, & intractabiles sunt, quanquam hanc illorum propriam culpam profectam ab iniquitate animi, & ab contumacia non palàm, neque aperte coarguit Apostolus: sed cum modestia, & humanitate ad arguendum aggreditur: Vellent quidem Deum, inquit, sed ignorant modum adipiscendi, quippe qui Dei iustitiam non cognoscentes, & in sua ipsorum iustitia, quæ ex legis sibi operibus conantur comparare, plus fiducia ponentes, non summittunt sese iustitiæ summæ Dei: hoc est, boni ipsi ex se fieri contententes, spem bonitatis suæ totã Deo non permittunt. Non enim de illo sic arbitrantur, etiam si nullam ipsi partem bonitatis attulerint: illius tamen infinita bonitate, & clementia, si de eo ita senserint, atque crediderint, se saluos futuros.



ros. Etenim finis legis **CHRISTVS** est, uel ut spectatus ipse, & propositus à lege, ad quem lex tota tanquam ad ultimum, summumq; contenderet, uel ut legis perfectio, qui addiderit legi, quod ex se lex habere non potuit. Illa enim cum gratiam ac beneuolentiam cum Deo in multis, & magnis laboribus, sollicitudinibusq; quæreret, non gloriã in ea re Dei, sed operam, & meritum nostrum intendebat. Fides autem & **CHRISTVS**, id in quo lex laborabat, neq; assequi poterat ipsa, omni cum facilitate, compendioq; perfecit, ut non operum tantorum obitu, neq; sudorum, sed sola credulitate, & fiducia in bonitate Dei salus nobis, & uita continuo pareretur. Et hæc est ipsa fidei iustitia, quæ credentibus donatur, quæ cum hominibus salutem à Deo quærentibus facilior est, & planior, tum Dei bonitas in ea, & magnitudo ipsius gloriæ magis illustratur. Nihil enim de honore diuinæ iustitiæ, atq; clementiæ labores nostri & opera, illa ratione decerpunt, quæ tum decerperent, si fructum salutis, quem percipissemus, non uniuersum Deo, sed nobis quadã ex parte acceptum referremus. Ergo in lege uelle insistere, in eaq; permanere longe nobiliorem, & potiozem rationem inueniendæ salutis rejicit, & aspernatur, gloriãq; Dei, & magnitudinem illius potestatis, clementiæq; diminuit. Quod tu Iudæe si ignoras, cur te doceri non pateris, & qui id ostendere, ac declarare tibi uolunt, non eos æquo animo auscultas? Finis itaq; legis **CHRISTVS** est, ad adipiscendam ueram, plenamq; iustitiam, quæ solum credentibus datur; sudantibus autem, & laborantibus absq; fide, est interclusa, quando isti habere potius in seipsis uolunt, quo cõfidant, neq; inducunt animum totum Deo committere, & sese illius penitus iustitiæ, ac bonitati summittere.

Moyse enim describit iustitiam ex lege, quòd qui fecerit hæc homo, uisuet in ipsis: ex fide autẽ iustitia sic dicit, Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cœlum? hoc est ad deducendum **CHRISTVM**: uel quis descendet in Abyssum? hoc est ad **CHRISTVM** è mortuis reducendum. Sed quid ait? Prope te uerbum est in ore tuo, & in corde tuo: hoc est uerbum fidei, quod prædicamus, quoniam si cõfiteberis in ore tuo dominum **IESVM**, & credideris in corde tuo, quòd Deus ipsum excitauit è mortuis, saluus fies. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim scriptura, Omnis credens in illo, non confundetur.

**ITERVM** hic comparat iustitiam legis cum iustitia fidei, & illam legis cum opere rosiorem, & laboriosam magis, cū Dei honori & gloriæ minus tribuentem, tum etiã haud ita ueram, nec synceram esse ostendit, ut est fidei iustitia. Quæ ergo est legis iustitia? Nempe quam Moyse sic describit, postquam præceperat, quæ essent seruanda, quæ agenda, & à quibus esset abstinendum: Homo, qui hæc fecerit, inquit, uisuet in his: ut & in faciendo labor, & quòd uicturi essemus, non Deo id, sed labori nostro ferremus acceptum: cumq; in factis, & operibus iustitiam constitueremus, in iis eam poneremus, quæ ueritatis ex sese expertia æque ad simulationem, ac ad synceritatem sunt parata. Iustitia uero fidei, & in solo corde plena est, & fiduciã tantummodo in bonitate Dei à nobis postulat, salutisq; nostræ uniuersam laudem, & gloriã uni Deo attribuit; atq; hoc etsi præclarum continuo, & euidentis; tamen quoniam Iudæis insolitum est, ac nouum, semper in ipsis operibus, & obseruantijs legis, cura, animoq; occupatis, quò illis planius id, & facilius cognitu efficiat, affert opportunissimum ex lege testimonium, in quo fidei, & iustitiæ ex fide imago quædam illustris ab eodem Moyse est expressa. Is enim in Deuteronomio, iam ad moriendũ uicinus, legemq; populo cõmendans, cum hortaretur omnes, ut sequerentur rectam uiam domini, illiusq; præcepta, & mandata seruarent, cauerentq; ne præuaricatores, & exleges effecti inciderent in execrationes non seruatae legis, tum addit: Si forte eos Deus tanquam contumaces, & minime sibi deditos eijceret ex donata terra, ac per orbem terræ in uarias gentes dispergeret, fore ut in eandem terram restitutus esset illos, ac ad priora, & uberiora etiã bona reducturus, si reuersi essent ipsi ad dominum Deum suum, toto corde



corde suo, & tota anima sua: continuoq; subiungit: Quia mandatum hoc, quod præcipio tibi Israël, hodie non occultum à te, neq; longinquum est, non in cœlo est, ut dicendum tibi sit, Quis pro nobis ascendet in cœlum, & deferet illud ad nos, atq; ut audiamus efficiet: & faciemus illud. Et nec trans mare est, ut sit dicendum, Quis transfrabit pro nobis mare, & id nobis referet, facietq; ut audiamus: & faciemus illud. Namq; propinquum est tibi maxime uerbum hoc, in ore tuo est, & in corde tuo, ut facias illud. Si reuersus fueris ad dominū Deum tuum, Moyses inquit, toto corde tuo, & tota anima tua, quod iam nō operum, neque laboris, sed tantummodo cordis actio quædam est, proxima illa tibi, atque adeo insita in ipso te, ut ad eam suscipiendam, & conficiendam nō è summo cœlo detrahendum tibi quicquàm, neq; trans mare accersendum sit. Hanc sententiam Moyses tanquam descriptionem, & formam ueræ in CHRISTO fidei usurpans sibi Apostolus, & in CHRISTO constituens, fidem CHRISTI eisdem penè uerbis, cuiusmodi sit, demonstrat. Non enim (ait) necesse est, si CHRISTO debeas credere, ut sic dicas in corde tuo, Quis ascēdet in cœlum: quasi CHRISTVM inde nobis deducturus, ut credamus eius è sinu, & consortio Dei patris ad homines descensum, & susceptam pro nobis ab eo hominis carnē. Aut rursum, Quis descendet in Abyssum: hoc autem, ut CHRISTVM nobis è mortuis reducat, noscamusq; eius resurrectionem. Non enim tanta tibi cōquisitione, nec tanta circuitione est opus. Sed quid ait fides: Prope te uerbum est in ore tuo, & in corde tuo. Hoc est uerbum fidei quod prædicamus. Quodnam id cedō: Quoniam si cōfiteberis in ore tuo dominum IESVM, & credideris in corde tuo, quod Deus eum suscitauit è mortuis, saluus fies, quo quid tibi potest esse facilius: aut promptius: Non hic labor, non opus, nō diuturna, & dura quæritur inuestigatio, sed animi tantum inductione, & conuersio mentis ad credendum, & confitendum, etenim corde creditur ad iustitiam. Solum enim cor iustificationem accipit, sola uera est cordis credulitas, & fides CHRISTI si uere suscipiatur, corde suscipitur, statimq; ueram fidem diuina illa iustitia concomitatur: ore autem cōfessio fit ad salutem, eò quod non est satis occultum, & cōpressum fidei uerbum retinere, sed pferendum est, sed in medium producendum, ut & alios doceas, ac cohortere: etsi uila actio inter immanes homines, & barbaros minus etiam libera tibi sit: nō tamen nomen Dei omnipotentis & domini IESV Christi nō ore tuo celebrandum, & glorificandum est, quandoquidem si eius apertam, & liberam confessionem repressam metu contineas, habeas profectō aliud quid, quod pluris arbitrere, uel existimationē inter homines, de qua Ioānes, Magis, inquit, gloriam apud homines, quàm apud Deum quæsiuerunt, uel incolumitatem corporis, atq; uitam, ex quo minime uerè fidem recepisti, si illa tibi aut pudenda, aut poenitenda esse uideatur, uel certe imbecillam, & infirmam illam obtines, ut non habitura sit perseverantiæ præmium, in qua præcipue est salus: ita corde credere ad ueritatem pertinet, ore autem confiteri ad perseverantiam, & firmitatem. Quorum ex primo iustitia, sanctitasq; cōparatur. In secundo salus præcipue posita est, quam quidem in cōfessione oris, fidei firmitatem significans scriptura per Esaiam ait: Et omnis, qui credit in illo non confundetur: quod est, intrepide, & constanter id ager, nec infamiam is apud ueritatis ignaros, aut supplicium apud crudeles uerebitur, sed audacter, & libere de Deo & fide CHRISTI pronuntiabit: sicut & in Euāgelio CHRISTVS: Quem mei puditum fuerit coram hominibus, inquit, eius & me pudebit coram patre meo. Quoniam autem dixit propheta, omnis qui credit in illo, non confundetur, uerbum illud, omnis, Apostolus cōtra Iudæorum opinionem & spem continuo interpretatur,

Non enim est distinctio Iudæiq; & Græci. Idem enim Dominus omnium abundans in omnes inuocantes ipsum. Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini, saluus fiet.

Quod Iudæi arbitrabantur, gloriæq; sibi ducebant, Deum cœli proprium suum esse Deum, id & alibi supra, & in hoc loco Apostolus non tam ratione quidem, quæ euidens ipsa quoq; & manifesta est, quàm authoribus prophetis confutat, qui diuinitas



tias bonitatis Dei omnibus hominibus affatim suppetere intelligentes nō restrinxerunt earum largitatem, & affluentiam in solis Iudæis. Itaq; & Esaias dixit, Omnis qui credit in illo. Et Ioël, Omnis qui inuocauerit nomen eius. Quo quidem loquendi modo uterq; Græcos à Iudæis non distinxit, nec separauit; nec uero in lege, aut in operibus legis, sed in fide, & cōfessione, quæ est diuini nominis inuocatio, salutem nostram posuit, quasi duorum prophetarum coniuncto testimonio affirmans, quod antè dixerat, Corde credi ad iustitiam, ore autem confessionem fieri ad salutem.

Quomodo igitur inuocabunt, in quem non crediderunt? Quomodo autem credent in eum de quo non audierunt? Quomodo autem audient absque prædicante? quomodo uero prædicabunt, si nō missi fuerint? sicut scriptum est. Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona? At non omnes obedierunt Euangelio. Esaias enim dicit, Domine quis credidit auditui nostro? Ergo est fides ex auditu, auditus autem per uerbum Dei. sed dico an non audierunt? Imò in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum.

QVOD studium Dei, zelumq; Israëlita habebant, pauloante dixit Apostolus, uerum non recta cognitione in eo se gerebant. Peccabant enim in pluribus. Primum, quòd iustitiam fidei non accipiebant, quæ & facilior multo, quàm illa legis, & præstantior longe, ac Dei gloria dignior est. Deinde, quòd Deum cunctorum dominum ad suam ipsorum unam nationem cōtrahebant, in hoc quoq; illius maiestati, & nomini derogantes. Deinde, quòd gentes ceteras præ se contemnebant, & ueluti pollutas aspernabantur, nequaquã ne in hoc quidem imitantes clemētiam, & bonitatem summi Dei, cui se deditos esse fatebantur, qui ut suorum operum, & effectorum fructus ac cōmoditates, ita semetipsum omnibus propositum, atq; appetitū esse uult. Etenim ille solem suū, & sydera, & rores ac pluias omnibus hominibus cōmunes iubet esse. Postremò, quòd multis rebus, & indicijs testimonijsq; admoniti, ea, quæ ignorabant, minime intelligere, sed per cōtumaciam, & nequitiam animi ignorare uelle perseuerabant. Ac superiores quidem ignorantia uenia aliqua fortassis dignæ, hæc uero postrema inexcusabilis omnino erat. Toties igitur rationibus, argumentisq; edocti, toties prophetarum cōuicti testimonijs, nequaquam adhuc dimissa contradicendi pertinacia, ut se ad omnia sigillatim opponerent, sic opponentibus ad singula respondet Apostolus, dense, & cōplexe ille quidem. sed ut sit illius nobis sententia latius explicanda. Erant sanè ista omnia dubitata, quæstionesq; Iudæorum aduersus Apostolos CHRISTI hortantes, ut acciperent nomen Domini, & inuocarent illud, atq; in una illa inuocatione spem maiorem salutis suæ ponerent, quàm in elaboratis, atq; fucatis operibus legis, quæadmodum & à CHRISTO edocti fuerant, & ab ipsis tunc docebantur. Opponebant enim illi cōtra apostolos cum alia multa quidē de lege, & operibus legis, & de Deo peculiari ipsorum Deo, Abraamq; primo Iudæorum patre electo Dei, cui, & ipsius generi soli factæ essent ab Deo tantarum rerum, donorumq; pmissiones, & similia pleraq; quæ cuncta toto decursu apostolici sermonis usq; adhuc dissoluta sunt. Nunc illud item opponunt, quod ad cōuersionem imprimis gentium pertinet, quas sub illo uerbo, Omnis, Ioëlis prophete scriptura comprehendit, quæ ille dicit, Omnis qui inuocauerit nomen domini saluus fiet. Ad eas enim missos ab Deo apostolos Iudæi nō credentes sic contradicunt, & argumentantur, se cum nec inuocari possit Dei nomen illius, in quem nō creditur; nec in eum credi, de quo nihil audiat; nec audiri uero nisi prædicetur, sed nec prædicari, nisi is, qui prædicat, à Deo ipso met huic prædicandi officio delegetur; in hoc extremo esse hæsurus, neq; antè ad hæbendum fidem de uocatione gentiū se accessuros, quàm planè nouerint delegatos ab Deo esse istos, qui nouæ fidei regulam nominent Euangelium. Huic entymemati in ipso quoq; extremo, & tanquam nodo dubitationis occurrit Apostolus, Esaiam statim aduocans, sic dicentem: Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium



zantium bona: Videndū enim est, inquit, quid nos tandem annunciemus, non ne pacem, nō tantum inter homines, sed cum ipso Deo: non ne bona, nō interitura, & fugacia, sed solida, & sempiterna: Qui porro habitus noster; quæ species annunciandi; discurremus per omnes gentes, nusquā domiciliū stabile retinemus, uagamur, peragamus, in hoc unū opus intenti, atq; addicti, ut hominibus amicitiam cum Deo conciliemus, ut uitæ æternæ in omnium mentibus, ac uoluntatibus, spem, desideriumq; infundemus. Qui ergo sunt pedes euangelizantium pacē, euangelizantium bona, nisi eorum qui & pacem illam, quæ tutissima, & tranquillissima est, & bona ea quæ præstantissima, omnibus hominibus annūciant, & prædicāt, quicq; quod itē à prophetis prædictum est, à gentibus iam audiuntur, & ad cultum ueri Dei nationes ex teras adducunt, qui orbem terrarū pedibus assidue perambulantes, nullo usquam ut proprio in loco comorantur: qui si & à propheta pronunciat, & à Deo missi sunt, si pacis, & bonorum euangelium prædicauerunt, si id non iam inauditum, immemoratūq; fecerunt, si fidem omnium etiam gentium ad credendum prouocauerunt, credatur iam nomen domini à Iudæis, & inuocetur. Ita quod Iudæi à primo ad postremum sic deducebant, ut in postremo ipso insisterent, arcemq; inibi suæ iniquitatis & pertinaciæ facerent, ipsa illorū arce capta, & solo æquata Apostolus à postremo ad primū facili cursu probationis redarguendo peruectus est; nec tamen adhuc desistit cōtentio, semperq; molitur aliquid peruicacia, ut ne optimis uicta rationibus acquiescat. Resistunt enim rursus Iudæi, atq; obijciunt: Si uos à Deo missi, & à propheta prædicti Euangelium Dei annunciat, cur nō credunt omnes Euāgelio? Quos refutat euestigio Paulus, scripturam illis præterdens, & inquit: Non ne uos Esaiam prophetā ab Deo missum admititis? Cur ergo ille dicit, Domine quis credit auditui nostro? Quod si necesse esset ab omnibus credi, quodcumq; apostolorum, & prophetarum præconio à Deo esset denūtiatum, nō ille sic uerba illa posuisset. Atqui illi etiā minus, quā nobis credebatur, illius enim monita & præcepta nō modo nihil quicq; Iudæis profecerunt; uerum ipsi ultro præcipienti, & monenti sine aliorū utilitate fuere exitio; nos & multorum mentes ad cognitionē Dei trahimus; & si pro CHRISTI fide obeunda nobis mors sit, illam alijs etiā compluribus doctrinæ & salutis fore cōfidimus. Verum idcirco nō necesse est ab omnibus credi uerbum Dei, & suscipi, quia fides, & credulitas hominū arbitrii, & liberi animi est. Restabat ergo, ut qui parati ad credendum essent, præconium euangelij auribus perciperēt, ut ex auditu ipso uerbi Dei, fides in illis cōstitueretur, Cui etiam rei ample, & largiter prouisum est. Siquidem in omnē terram exiuit euangelizantium sonus, & in omnes fines terræ uerba eorum; nisi forte Israël solus nō audiuit, qui non modo in recentibus præconijs apostolorū, & in euangelistarum, uerum & in prædicationibus, ac uaticinijs legis, & prophetarū tritas iam habet aures ad exaudiendū si uelit, & statim intelligendū sonum euāgelij, de quo Apostolus prosequitur.

Sed dico num nō cognouit Israël? primus Moyses dicit: Ego ad æmulandum prouocabo uos in non gente, in gente stulta irritabo uos. Esaias autem audacter agit, & dicit: Inuentus sum ijs, qui me non querebant: Manifestus factus sum ijs, qui me non interrogabant. Ad Israël autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non obedientem, & contradicentem.

GENTE S, inquit, ex hoc tempore audierunt, & nouerūt euangelium, Iudæi ex prioribus temporibus. Primus enim Moyses, & alter Esaias prædicant illud, atq; ostendunt. Nam in Deuteronomio Deus iratus Israëlitis, quod se in falsis dijs illi prouocassent, & in uanitibus irritassent, uoce Moysis sic de eodē populo pronuntiat, Quod eum uicissim esset ipse in non gente ad æmulationem compulsurus, & in gente stulta ad iram prouocaturus, quod nunc eueniebat, cum & gentes à Deo in gratiam recipebant, & eam rem Iudæi ualde iniquo animo paterentur. Esaias autem apertius loquentem Deum inducit, & de gentium studio, atq; applicatione ad se: De Iudæorum uero insolentia, & peruersitate sic distinguentem: Inuentus sum ijs qui me non querebant: Manifestus factus sum ijs, qui me nō interrogabant. At hoc uidebatur utriq;



Iudæi facere, & quærere semper Deum scilicet, per functiones, operationesq; legis, & illum illiusq; mandata cognoscere. Qua de re Barachias; Beati sumus o Israël, inquit, quoniam quæ placita sunt Deo, manifesta sunt nobis. Et neutrum tamen illi effecerunt; sed gētes, quæ nullum antea laborem, nullam sollicitudinem, atq; curam ad quærendum Deum noscendumq; adhibuerant, quæq; in omnia contraria Deo studia diuersa abierant, statim, & facile oblato sibi Deo se totas ad illum cōtulerunt. Breue enim compendium uerbi Dei, non longos illos logos legis didicerunt. Israël uero, qui anfractus, & circuitiones præceptorum, ac operum sectatus est, nō modo ad utilitatem, & fructum summi præcepti nō peruenit, qui fuit CHRISTVS: uerum ne passus quidem est, ea de re admoneri se, & doceri. De quo idem apud Esaiam dominus: Tota die expandi manus meas, inquit; quod amanti est, & paterno animi affectu in sinum, & complexum suum inuitantis Dei, imagoq; in eo ē cruce pēdentis CHRISTI prorsus expressa. Expandi manus, inquit; ad populum non parentem & contradicentem, quod est nō leuitate solum, & uecordia quadam auersum, sed per nequitiam etiam, & per cōtentionem mihi se opponentē. Ex quibus omnibus tum prophetarum testimonijs, antiquaq; legis autoritatibus, euāgelijq; præclaris, & illustribus doctrinis, atq; euentis, tum gentium facilitas ac obedientia ad inueniendam Dei gratiam, tum peruersitas Iudæorum ad eandem amittendam merito ualuisse cognoscitur, iureq; illæ adscitæ in nomen, & genus filiorum Dei, hi eiectioni, & repudiati ab eodem Deo intelliguntur, neq; Israël tamen ipse ut Israel repudiatus est. Sic enim de eo loquitur:

Dico igitur, num repulit Deus populū suum? Absit. Nam & ego Israëlita sum ex semine Abraæ, tribu Benjamin; nō repulit Deus populū suū, quem præcognouit. Non ne scitis in Helia quid dicit scriptura? Quēadmodum alloquitur Deum aduersus Israël, dicēs: Domine prophetas tuos occiderunt, & altaria tua euerterunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit ei oraculum? Reliqui mihi ipsi septem millia hominum, qui non flexerunt genu simulacro Baal. Sic igitur & in hoc tempore residuum secundum electionem gratiæ fuit. Si autem gratia, non iam ex operibus, quoniam gratia, non amplius est gratia. Si autem ex operibus, non iam est gratia: quoniam opus non amplius est opus.

EOSDEM Iudæos Apostolus, quos uidebatur penitus ab Deo repulso, atque abiectos ostēdere uoluisse, rursus nūc restituens, ut intelligatur nō ipsum Israël, neq; semē Abraæ fuisse à Deo repulsum, sed qui ex illo genere, illaq; natione aduersus fidē CHRISTI cōtumaces perstitissent, fiduciaq; spei suæ in lege potius, & in operibus legis, quàm in Dei gratia ponere perseverassent, hos esse, qui cecidissent ex gratia, & beneuolentia summi Dei, neq; amplius in promissionibus ad Abraam factis comprehensi essent, exemplo ex seipso probat. Non populū, qui antea populus Dei appellaretur, neq; semen Abraæ à Deo esse eiectionem: quādoquidē si ita esset, & ipse qui est ex illo semine, eiectionis unā fuisset, sed de illo populo saluos fuisse factos, quos prænouisset deus. Quæ quidē cognitio in eū modum accipiēda est, quo utimur in scripturis. Nam si simpliciter cognoscere accipiatur, omneis planē Deus cognoscit & bonos, & malos. Si uero illa cognitio animorū est coniunctio, & beneuolentiæ indicium, solos Deus cognoscit bonos: quem in sensum dicitur, Ego cognosco meas, & cognoscunt me mea. & ex contrario, Discedit à me omnes operarij iniquitatis, quia ego non cognoui uos. Hac itaq; ratione positū in hoc loco est: Non repulit Deus populū suū, quē præcognouit. Et supra: Quos præcognouit, hos & prædiffiniuit. Ac præcognitio quidem (debet enim occurrere ipso initio statim dubitantibus, & uiam facilem ad intelligendum reddere) præcognitio, inquam, Dei, futuram hominum propensionem, & quali parabilitatem quandam ad credendum, & amandum Deum prouidet. Prædiffinitio uero tota gratia Dei est, neq; quicquam in illa nostræ operæ inesse, aut partem intelligitur. Nam quod ego facilis uoluntate, & animo paratus ad fidem in Deum accipiendam



accipiendam sum, mei est illud iudicij, & mei liberi arbitrij, idēq; ante omnia tempora prauidit in me, & præcognouit Deus. Sed hoc nihil etiā nunc est, doctor accedat oportet, & itineris recti demonstrator, qui mihi portum salutis, & uitæ ostendat. Neq; tamen hoc etiā satis. Volens enim & cupiens uiam bonam insistere, & stationem tenere eam, quæ mihi felix, & tuta sit proposita, multis tamen ab ea mente periculis, multis obiectis uoluptatibus, multa deniq; cum iucundarum, tum molestarum rerum uarietate abstrahor, atq; auertor. Ergo his tot malis, tātisq; discrimibus, quæ imminēt in nos undiq; nosq; proturbant, & auferunt nobis ipsis, opem fert Dei uoluntas, & prædissinitio, quæ gratiæ tota est, quæ id, quod nostrum solum est, flexum mentis scilicet & inclinātionē liberæ uoluntatis tot diuinis muneribus uestit undiq; & cōfirmat, ut quod est ex nobis, minimum quiddam sit, nec meriti rationem ulla ex parte obtineat. Illa uero Dei liberalitas, & prædissinitio integram in se contineat totius gratiæ laudem. Ista ergo prædestinatio, & Dei gratia septem illa millia uirorum sibi ipsa conseruauerat, qui uel regis impij metu, uel exemplo tribulium, & popularium suorum licet bona erga Deum uoluntate essent; statuam tamen Iouis adorauissent, nisi illorum imbecillos animos, & infirmas mentes gratia, & electio Dei corroborauisset; quæ gratia omnis quidē ex ipso Deo est, donumq; eius liberale, & proprium, quod nullo à nostra parte merito, sed à diuina beneficētia totum proficiscitur. Sed ut redeamus ad exponēdum: Non repulit Deus populum suum Israēl, ut Israēl, & semen Abraæ, ut illius semen, sed gratiam Dei non agnoscentes, & in lege operibusq; pertinacius hærentes, hos nimirum repulit; qui si ex tanto hominum numero, ac frequētissima natione forsitan pauci esse uideātur, regredere animo, & cogitatione ad præterita, & intelliges non solum in CHRISTI fide accipienda, sed in ueteri lege seruanda paucos tum quoque à Deo fuisse diffinitos. Etenim sic ipsemet grauius accusanti populum Israēl Helia respondit, se reliqua adhuc fecisse sibi septem millia uirorum, quæ ante Iouis simulacrum genua non incuruauerint. In quo animaduerte gratiam, quod sibi ea ipse fecerat reliqua, & intuere paucitatem, quod ex innumerabili populorum multitudinē septem tantum millia salua facta sunt. Sic, inquit Paulus, in hoc tempore, quod è populo Israēl ad fidem CHRISTI accessit, residuum est ex multitudinē reliqua, quod per electionem gratiæ Dei effectum est saluum. Sicut enim tunc illa septem millia ope, & patrocinio suo Deus ab errore contulit; sic hoc tēpore & apostolos primū, ac discipulos reliquos, quos CHRISTVS adhuc uiuēs sibi ipse delegerat, & deinde post CHRISTI mortē exurrectionemq; priora illa tria millia, ac deinde alia quatuor millia, postea etiā alia quædam millia, quæ Deus præcognouerat, & sibi ipse delegerat, ac in patrociniū suum iam inde æterno ex principio susceperat per electionem diuinæ gratiæ ex innumerabili multitudinē non magnus hominum numerus ad fidei, & salutis portum perducta sunt, non ex operibus ipsorum, quod quidem aduersus Iudæos opponitur: Quoniam gratia, & donum Dei nō ex operibus est, inquit; non, inquam, ex operibus est gratia, neque illa, quæ æterno ex principio eligendo, ac prædissiniendo antecedit, nec uero quæ post productos nos in naturam protegit semper, & comitatur. Nam si operibus dona Dei tu promeritus sis, euanescit statim gratia, totumq; quod tibi à Deo datur, non tibi donari ab eo, sed reddi potius uidetur, in quo tu ut iustitiā & uirtutem tuam constituas, Dei liberalitatem, gloriāq; extinguis. At hæc uera est uirtus, & benignitas, & gloria summi Dei, gratis conferre munus suum, & bonitatis suæ magnitudinem in propria liberalitate, beneficentiāq; constituere. Gratia porrò, & opus sic inter se contraria insociabiliaq; sunt, ut si ex operibus, non iam amplius gratia sit gratia: si autē sit gratia, opus iam amplius opus non sit. Non enim utrūq; stare potest simul; sed alterutrum tantum adesse necesse est, idēq; incomitatum ab altero, atq; solum.

Quid igitur? quod quærit Israēl, hoc non est potitus, electio autem posita est, reliqui uero cæcati sunt, sicut scriptum est: Dedit eis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non uideant, & aures, ut non audiant usq; in hodiernum diem. Et Dauid dicit: Fiat mensa eorum in laqueum, & in captiuitatem,



tatem, & in scandalum, & in retributionem ipsis: Obscurentur oculi eorum ne uideant, & dorsum illorum semper incurua.

QV I D est igitur, quod cōcludo, & statuo: hoc inquit, quòd id quod querit Israël, potitus eo ipse non est: electio autem est potita. Ast quamobrem non potitus: non ne uolebat: non conabatur: non ad Deum studio, & uoluntate se ferebat: non ne hi, qui huiuscemodi existunt, illi ipsi sunt, quos præcognitos antea Deus sibi ipsi solet diffinire, atque eligere peculiare: Cur ergo isti in electione non sunt comprehensi: Quoniam sibi ipsi nimium confisi sunt: quoniam etsi illi Deum uerum quærere se prædicabant, illum ipsum tamen externis, atq; alienis operationibus, non puro, neq; humili corde quæsiuerunt, quæ est uia quærendi, & inueniendi Dei unica. Cuius rei cognitionem illi cum se optime tenere, & scire arbitrarentur, opinione sui elati, ac tumentes, cæterorum doctrinas, & monita sunt aspernati: neque id solum, sed docentibus quoq; ipsis, & recta monstrantibus infesti, inimici intractabilesq; extiterunt: electi uero, finis eius qui quærebatur ab uniuerso Israël, pauci homines uidelicet, & ex magno numero residui ac reliqui, per gratiam Dei potiti sunt, qui cum Deum corde bono, & uoluntate appetere, monstrantibus uiam ad eum perueniendi attento, & facili ad obtemperandum animo auscultauerunt. Non enim opinionem suam, & de seipsis, suarq; scientia, ac doctrina superbam persuasionem tanquam murum opposuerunt rectora admonētibus: Sed cum & ipsi per operum legisq; obseruantias, ad Deum interea niterentur, breuiore sibi, & tutiore multo fidei uia demonstrata, libenter, ac prompte in eam se dedere, cum illi inflatiores, sibiq; ipsis maiorem in modum chari, atque iucundi, in uetere instituto manerent obstinati, nec rationem ullam aduersantem opinionibus suis uel auribus modo admittere sustinerent. Etenim est hoc præcipuum, & maximum inter probas animas, prauasq; discrimen, quòd qui faciles ductu ad Deum sunt, ubi ullum de Deo audiunt proferrī uerbū, ex templo attentī, docilesq; expectant, num quid exponatur qd' ipsis queat esse doctrina, ac emolumento, quodq; in eis pietatē, & studium Dei adaugeat, idq; si eiusmodi inueniant, gratantes, ac læti in cordibus suis reponunt. Qui uero agunt secus, qui suam opinionem inducunt uidentur sibi ualde esse sapientes, ut nō doceri ipsi ab ullo uelint, sed alios semper docere: hi nomen Dei, quod in sermonibus usurpant, nō ad ipsius Dei gloriam, sed ad suam ipsorum ambitionem, quæstumq; cōuertunt: ideoq; maxime in operibus uersantur exterioribus, legemq; scriptam mordicus tenent, neq; in illo intestino, occultoq; homine uere requirunt Deum: quod si facerent, cum ipsi intus humiles essent, tum cuilibet bene suadenti ad obtemperandum parati, & dociles: sed in eo qui cernitur, oculisq; est homo expositus, quasdam tanquam Deum colentium similitudines appingunt. Cui porro externo homini inter homines cæteros se ostēdenti doceri, ignominia est, castigari conuictū, refelli autem, & coargui iniuria morte acerbior. Enim uero qui tales sunt, cum uideantur Deum quærere, Deo tamen non potiuntur. Atq; hi sunt, qui ne putentur eguisse aliorum monitis, falsum suum potius cum pertinacia defendūt, quam aliorū uerum amplectuntur: Inimici omnibus à se dissentientibus, qui non modo alienam doctrinam aspernantur, & cōtemnunt, sed ipsos quoq; doctores acerbis & capitali insequuntur odio. Quemadmodum Iudæi & in CHRISTO antea fecerūt, & tunc in Apostolis CHRISTI, ipsosq; præcipue Paulo faciebant, quos cæcatos fuisse dicit Apostolus, eo quòd illa uana, & arrogans de semetipsis persuasio aciem mentis in illis, animiq; oculum occæcauerat. De quibus Esaias: Dedit eis Deus spiritum compunctionis, oculos ut ne uiderent, & aures ut ne audirēt usq; in hodiernum diem. Quod postremum adiectum ab Apostolo est, usq; enim eius ad ætatem Iudæi in eadem manebant cæcitate, & ignorantia. Sed & hæc ipsa Esaiæ sententia non ex uno prophætæ loco decerpta est. Atq; hic spiritum cōpunctionis Esaias stimulos inuidiæ, & obtreccionis uoluit significare, qui pungunt eos maxime, & fodiunt, quos gloriam apud homines, existimationemq; quærentes in eo maxime, ambitio, & liuor male habet, quòd quam ipsi opinionem, & laudem ab hominibus quærunt, alios melius uident, non id cogitantes, neq; spectantes adipisci: qui quidem stimuli eiusmodi sunt, ut



sunt, ut oculos, & aures ad intuendam, audiendamque ueritatem nequaquam suo sinant uti iudicio. Porro hos illis stimulos per occasionem dedit Deus, non dedita opera in illis inuenit, sed dum aspirat, & subuenit ope diuina conatibus eorum, qui uera cum charitate, & synceritate prædicant uerbum uitæ, idque non ad comodum, neque ad utilitatem propriam, sed ad audientium fructum, salutemque conuertunt. Horum ex ipsa contentione & comparatione cor astuare maleuolentia, stomachus odio repleti, ipsi rabie quadam inuidiæ, obrectationisque accendi, ut frangerent dentibus in Apostolos, ut plagis, & contumelijs appetere, seditionibusque agerent, omnia denique permiscerent, quo ne illis esset in eis ciuitatibus locus, in quibus ipsi ab incolis & quasi sibi, & sapientiæ opinionem aucuparentur. At qui tales semper Iudæi & uetustioribus seculis in patres, atque prophetas, & tempore postremo in Apostolos extiterunt, hodieque adhuc sunt iidem illi ipsi pleni perfidiæ scilicet, & iniquitatis, quo animi morbo qui aguntur, neque oculis rite utuntur, neque auribus. Quod autem spiritum compunctionis hoc loco, stimulum inuidiæ denotauerit Esaias, audi & Dauid ad Dominum loquentem, Vt psallat tibi gloria mea, & non compungar. Quæ psalmographi sententia declarat gloriam eam, quæ in unoquoque ad Deum referatur, inuidiæ stimulos non sentiret si autem ad seipsum quis referat, sentire. Iam & de eisdem Iudæis Dauid, Fiat mensa illorum in laqueum. Quod quidem non imprecantis est, sed quæ futura sunt, prouidentis prophætæ. Atque hæc illis mensa, bona sunt seculi, quæ illi imprimis expetunt, & quorum amore correpti incidunt in laqueum, & in captiuitatem, & in offensam, siue hic spiritualiter uelimus intelligere, in amissionem gratiæ summi Dei, siue etiam corporaliter, quod propter bonorum mundanorum studium, auersi à Deo, & ab eo in captiuitatem gentium, & seruitutem traditi, ne adhuc quidem oculos aperire ad perspiciendum uerum, nec eos attollere ad intuendum Deum possunt.

Dico ergo: Num offenderunt ut caderent? absit, sed ipsorum casu salus est gentibus, in prouocando ad æmulationem ipsos. Si autem casus ipsorum, diuitiæ sunt mundi, & diminutio ipsorum, diuitiæ gentium, quanto magis plenitudo ipsorum?

CALLIDE, & sancte in his uerbis Apostolus licet Iudæos consolari uideatur; gentibus tamen totam laudem ascribit, plectiturque alternam quandam relationem, ut & Iudæis, & gentibus conferta inter se, & communicata, fidei, & salutis utilitas appareat. Non enim Iudæi, inquit, cum offenderunt, & in peccatum lapsi sunt, id secutum tantum est, ipsi ut caderent; sed illud magis euenit, idque à Deo magis prouisum statutumque est, ut lapsus illorum salus mundi existeret. Nam illi & in CHRISTO lesu cruci affigendo redemptionis humanæ mysterium absoluerunt, & in fugandis, exterminandisque Apostolis fidei uerbum in omnes gentes disseminauere. Errauerunt igitur, non ut ipsi caderent, sed ut ceteros illorum error conseruaret. Et rursus, quoniam illi sua culpa minus idonei effecti sunt ad agnoscendam fidei CHRISTI ueritatem, cum intuerentur tanto eam studio à gentibus adscisci, & comprobari, æmulatione quadam & ipsi prouocati ad inspiciendam rem, ac melius considerandam se referrent, ex quo in eos postea salus posset à gentibus redundare. Ita Iudæorum lapsus, atque error gentibus quidem recta, & ipso primo progressu profuit: à gentibus autem in Iudæos, tanquam ex repercussu resiliens, poterit prodesse. Quod si casus ipsorum, diuitiæ sunt mundi, si quod illi obrusi, & imminuti, ac tanquam bonis suis spoliati sunt, id gentibus ad opulentiam celsit: quanto magis si ipsi quoque accesserint, & ad exemplum gentium se conformauerint, ut CHRISTVM, & fidem CHRISTI illarum exemplo prouocati accipiant, hoc gentes faciet gratiæ apud Deum, & meriti locupletiores.

Vobis enim dico gentibus, in quantum quidem ego sum gentium Apostolus, ministerium meum glorifico, si qua prouocem ad æmulationem meam carnem, & seruem aliquos ex ipsis, Si enim abiectio illorum reconciliatio mundi



mundi est, quæ erit assumptio: nisi uita ex mortuis: Si autem primitiæ sanctæ, & aceruus: & si radix sancta, & rami. Quod si quidam ex ramis defraçti sunt, tu uero cum oleaster esses, insitus fuisti illis, particepsq; radicis, & pinguedinis oleæ factus, ne insulta ramis, Si uero insultas, non tu radicem fers, sed radix te.

QVOD tantum laudis attribuerat gentibus, & tam acriter, ac uarie coarguerat Iudæos, utrunq; nunc uolens ad temperamentum quoddam redigere, gentibus se testatur, ea dedisse præconia, ut quoniam ipse gentium esset destinatus Apostolus, ministerium imprimis suum cohonestaret, in quo & gentiū sibi allicit beneuolentiam, quatenus earum se propriū ministrum dicit, & excusationem ad Iudæos comparat, qui nō ægre debeant pati tantum eum tribuere gentibus, cum his ipse officio, & munere prædicandæ sit addictus. Neq; tamen omnino Iudæos suos cōtemni uult. Adhuc enim nō solum se collaudare gentes, ut honestet ministerium suum: sed etiam ob eam rem, ut laudibus illis carnem suam, quod uerbum affectum amantis in se habet, plusq; cōtinet, quàm gentiles, quàm necessarios, quàm cognatos, ad æmulationem eiusdem accipiendæ fidei prouocet, si quo pacto aliquos illorum queat conuertere, & seruare. Qui si ob incredulitatem à Dei gratia repulsi, & abiecti, cōciliationem tamen mundo cum Deo attulerūt, quid facient assumpti ad eandem fidem, & in Dei gratiam, ac beneuolentiam reducti: Non ne uidebuntur per uos quodam quasi miraculo o Gentes uelut ex mortuis iterum redditi uiuentes? Quod alto profectò cōsilio in laudem gentium profert Apostolus, innuens uim fidei. Si illorum enim per incredulitatem abiectio uobis per fidem gratiam Dei cōtulit, non ne assumptio eorundem maiorem uobis gratiam eiusdem Dei afferet: cum iam hanc in uobis fidei potentiam cognituri sitis, quod ex mortuis estis facturi eos uiuentes. Ac ne forte uideantur dici repugnātia, si reiectio Iudæorū salus fuit mundi, quā possit idem esse redintegratio: intelligendum est, nō eodem modo reiectos salutem mundi fuisse, & futuros assumptos: sed ut reiectio per occasionē locū, & accessum præbuit gentibus: sic per exemplū, & æmulationē fides Gentiū Iudæis ut resipiscant, occasionem est allatura: quo in utroq; cōsiliū Dei, & ex malis bona, & bona item ex bonis producētis, primarium summumq; cernitur, & ubiq; semper extat ipsius gloria, & gratia. In gentibus uero ipsis, atq; Iudæis, quod ex facto gentium exoritur ad incitationem, & prouocationem Iudæorū, id in gentibus quidem uirtutis & meriti speciem aliquam præferet, in Iudæis autem penitus nullam. Ac ut repugnantiam, quam diximus, melius dissoluamus, nō hæc assumptio huiusmodi, quæ Iudæos antè reiectos recipit, sed si illi statim initio ad CHRISTVM se contulissent, neq; cōmisissent, quamobrem reijcerentur, saluti id, & lucro, & locupletationi mundi fuisset aduersatum. Incluso enim in Iudæa fidei CHRISTI mysterio, uel nequaquam, uel serius ad gentes Dei liberalitas, & gratia se effudisset. Atque his dictis, ne omnia gentibus tribuere uideatur, præcedit Apostolus ad ornandum genus suum certis laudibus, quæ nō in ipsos tamen, sed in patres ipsorum, & in honorem generis, nominisq; redundent, quod accessioem etiam illorum ad fidei cultum iure amplificaturam mundi diuitias ostendat. Si primitiæ, inquit, generis mei sanctæ fuerūt, & aceruus est sanctus, & si radix sancta, sancti & rami, duabus similitudinibus uolens denotare familiā illam, quæ ex authore generis pbato, atq; sancto producta sit, etiam si nō suis ipsa operibus digna inueniatur, parentū tamen causa in honore esse debere. Et ne gentes laudatæ à Paulo, atq; dilectæ minoris fortasse æstiment Iudæos, quàm par sit, in secunda illa similitudine radicis, arborisq; insistens, egregiam texit argumentationem, quamobrem Iudæis deferendus honor, & natio tota in aliqua exiustimatione habenda esse uideatur, Quandoquidem illa tanquam oleæ arbor est, gentes uero reliquæ tanquam oleastri, quæ in ueram, & naturalem oleam insitæ, omnem suæ in melius mutatæ conditionis dignitatem ex aliena radice, & planta accipiunt. Ac sanè oportuit ex uera olea defringi ramos, si ramos alios oleastri in ea inseri decuit. Neque enim fuisset peregrinis, & adscititijs surculis locus, si naturales, & domestici



domestici in sua arbore integri permansissent. Veruntamen habet uim istam insitio, ut qui ex aliena arbore insiti rami sunt, radicibus, & uiribus hospita arboris sustineantur, coalescantque in eandem totius corporis qualitatem. Itaque radix, & planta Hebraici generis ipsa est, quae succum, & uim nouis suppeditat ramis, ut fructum deinde illi ex sese iustitiae per fidem possint efferre. Est enim radix Abraam, & David; truncus CHRISTVS: succus uero, & spiritus, fides ipsa, ac iustitia: atque ibi arboris totius author, & propagator Deus. Non ergo contemnenda arbor in ramis suis, quae in radice, & trunco tanto honore digna est.

Dices igitur, defracti sunt rami, ut ego insererer, probe, infidelitate sunt defracti. Tu autem fide stetitisti, ne alte sentias, sed uerere. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne qua tibi nec parcat. Aspice igitur bonitatem, & seueritatem Dei, in cadentes quidem seueritatem, in te autem bonitatem. Si permanseris in bonitate, quoniam & tu excideris: & illi item, si non manserint, in infidelitate inserentur. Potens enim Deus est rursus inserere ipsos. Si enim tu ex naturali excisus es oleastro, & praeter naturam insitus in bonam oleam, quanto magis hi secundum naturam inserentur in familiari olea.

PERSTAT in similitudine insitionis, & arboris, illudque discrimen, & iudicium summi Dei, quo Iudaeos ille excidit e uera olea, & gētes ex oleastro abscissas in ipsam ueram oleam inseruit. Non Iudaeis, neque gentibus, sed fidei dicit, & infidelitati fuisse datum, ut Iudaei quorum radix, & planta bonae arboris propria, ac domestica erat, tanquam stolones, & rami inutiles abscinderentur, propterea quod non utebantur succo trunci, atque radicis, hoc est, in fide Abraae, & CHRISTI, ad Deum non nitentur. Atque in eorum abscissorum locum translati ex oleastro surculi insererentur, qui in ipsa ingenua, & naturali olea coalescentes, geniales illos succos biberent ex radice, ipsique alerentur, quos naturales prius rami respuissent, in seseque attraherent, atque in substantiam, ac uiriditatem conuerterent suam fidei ex Abraam, & redemptionis ex CHRISTO nutrimentum. Itaque non est Iudaei, neque Gentilis, sed fidei, & infidelitatis facta distinctio, quae eadem fides mutare, & transire conditionem illam in alternas, & contrarias partes potest. Nam & qui insiti sunt ex aliena arbore in nobiliorem arborem propter fidem, nisi hi in fide illa ipsa manserint, ipsi quoque excidentur. Causam enim cur excendantur, accersent sibi infidelitatem. Et qui propter infidelitatem e propria arbore fuere defecti, si ad fidem se contulerint, facilius etiam & melius in familiarem plantam inserentur.

Nolo enim uos ignorare fratres mysterium istud, ut ne sitis apud uosmetipsos sapientes, quod caecitas ex parte Israel facta est usque eod, donec plenitudo gentium introeat: & sic omnis Israel seruiabitur, quemadmodum scriptum est: Veniet ex Sion liberans, & auertet impietates a Iacob. Et hoc ipsis a me pactum, quando abstulero peccata eorum.

ISRAEL est populus omnis Hebraeorum carnalis ex Abraae semine oriundus, & Israel est populus spiritualis ex fide Abraae progenitus, & natus: est autem caecitas carnali populo Israel ex parte facta, ut introiret in semen fidei Abraae plenitudo gentium, & sic uniuersus spiritualis Israel, salutem adipiscatur. Nam si de carnali Israel seruando uolumus intelligere, quota portio erit populi Hebraici, & uniuersi generis Iudaeorum aetas illa, quae in aduentu Heliae extremo iam instante mundi iudicio seruabitur: Sed ut totus plane seruaretur Israel, permisit Deus Iudaeos in CHRISTVM, tanquam in lapidem offendere, ut offensione illa ex suo loco pristino dimotus lapis in caput anguli discederet: sicque illis caecitate quadam rectam uiam non tenentibus, & e semita cadentibus, gentes succederent, quae in lumine ueritatis oculos melius figerent, & ad populos reliqui orbis eadem lux funderetur. Atque item deinde, ut concursus



gentium ad Christum, ueramq; in Deum fidem, frangeret animum, & pertinaciam Iudæorum, plurimosq; eorum ad eandem fidem adduceret, alto mysterio Deus composuit, & dispensauit. Cui prouidentia, & mysterio Dei omnia sunt attribuenda, non à quopiam sibi ipsi. Non ergo nec gentes nimis glorientur, quod est, ne nimium sibi ipsæ sint sapientes, ne attribuant hoc ingenio, & intelligentiæ suæ, si in fide accipienda Iudæis ipsæ præcelluerunt. Id enim prouisum in illis, & datum à Deo est, Iudæiq; permisi hallucinari, ut ad gentes ipsas uerum lumen accederet, neq; ob eam rem ualde contemnant Iudæos. Etenim idcirco ipsæ adscitæ in gratiam, & amicitiam cū Deo sunt, ut suo exemplo Iudæis afferant studium eiusdem æmulandę fidei, & salutis. Atq; ita diuersis modis, & rationibus in utrosq; misericordiam suam exercet Deus, & ut ex cæcitate Iudæorum gentibus lumen ostendat, & ex illuminatione gentium aditum inueniat Iudæis miserendi, atq; parcēdi. Nam autoritas propheta Esaiæ ab Apostolo inducta, hoc sibi uult, quod conclusio & exitus uniuersæ salutis spiritalis Israël, Israël ipse carnalis futurus est, ut & agminis sancti atq; electi, ductor Israël, & idem etiam coactor sit futurus. Namq; fides primo & orta à Iudæis, & ab ipsorum non paucis suscepta est. Post cum eiectione, & repudiatione eorum, qui ex carnali Israël fidem CHRISTI non admisere, ad gentes emigrasset, rursus introductis gentibus ad eum electorum numerum, qui ab Deo est præfinitus, inde in eosdem ipsos Iudæos tempore extremo est redundatura. Huius nunc & rei, & temporis facit propheta uaticinium: Veniet ex Sion dominus: hoc iam principium est germinantis fidei: & auertet impietates ab Iacob, à spiritali auertet: qua quidem criminum & impietatum abstersione non Iudæos solum comprehendit, uerum etiā alienigenas, qui per fidem in ipsum Israël inferentur. Deinde uero ad carnale semen iterum reuersus, non iam relinquet in omni Iacob & spiritali simul, & carnali, quod sit amplius peccati, impietatisq; auertēdum. Etenim extremo illo tempore, quo ad iudicādum filius Dei uenerit omnium omnino electorum numerus explebitur, neq; erit amplius macula aliqua in Iacob. Et hoc est ipsi pactum meum, dicit in eodem propheta dominus, quod mox Apostolus suis uerbis ex persona domini interpretatur, Quando abstulero peccata eorum, inquit, Dominus autem in propheta populo suo sic loquitur, Hoc est pactum aduentus mei ad uos: id est, Tunc ueniam ad uos, tunc præstabo de meo aduentu id quod nunc paciscor, tempusq; mei accessus ad uos tunc fuerit, cum non relinquam amplius in Iacob, quod debeat abstergi, cum omniū fuerit ordo, & numerus conclusus electorum, cunctusq; Iacob spiritalis fuerit completus. Cuius, ut diximus, spiritalis coetus, ueriq; Iacob & principium, & finis ille Iacob carnalis futurus est, quem in fine seculorum anteuertens dominum Helias instruet, & quæ sunt salutis, ac fidei, edocebit. Ac ut Apostolus uicissitudinem istam commentis ab Israël ad gentes fidei, & rursus ab eis ad Israël reuertentis clarius ponat ante oculos, sic prosequitur.

Secundum quidem Euangelium inimici propter uos, secundum autē electionem amabiles propter patres. Impœnitenda enim sunt dona, & uocatio Dei. Quemadmodum enim & uos quandoq; non credidistis Deo, nunc autem consecuti misericordiam estis horum incredulitate: sic & isti nunc non crediderunt misericordiæ uestræ, ut & ipsi misericordiā consequantur. Conclulit enim Deus omnes in incredulitatem, ut omnium misereretur.

GENVS, inquit, electum à Deo Hebræorum in ipsis patribus amabile semper est eidem Deo, neq; unquam reiecit illud, aut reppulit ab sese Deus, nisi si quos ex numero illo, nomine infidelitatis abiicit. Nam ipsam quidem nationem habuit semper in gratia, & in amore. Non enim pœnitet Deum beneficiorum suorum, nec uocationis unquam suæ, quorum extitit semper nationi Iudæorum liberalis, quam seuocauit ex reliquis nationibus, unamq; sibi delegit, suisq; celestibus tum beneficijs, tum etiam aliorum semper beneficiorum promissionibus largiter prosecutus est. Sed in hoc recente Euangelij dono, quo nullum maius, neq; salutaris generi humano ab ipso



ipso Deo potuit concedi, tantisper se auelli ab suis Iudæis passus est, ut hæc similtas Deo cum illis, aditum gentibus patefaceret ad consequendam apud eundem Deum misericordiam. Hic occurrat quispiam. Quid non ne Iudæos simul, & cæteras gentes eodem dono misericordiæ pariter comprehendere, & cõplecti Deus potuit: aut quid attinuit tantisper reijci Iudæos, quoad gētes ingrederentur? Hic nos, etsi fortassis audacia est, cõsiliorum Dei dare uelle rationem: tamen uenerabundi, & timidi dicamus, frustra uideri potuisse summum Deum delegisse sibi propriam Iudæorum nationem, si ea, quæ illis seorsum beneficia promitteret, communiter cæteris erat præstaturus: Sed cum illi ea non reciperent, atq; adeo potius aspernarentur, causam oblatam Deo honestissimam, & optimam, suam benignitatem & misericordiam in omnes homines effundendi, quod ille tamen sic futurum sua infinita sapientia præuidisset: certe quidem sic factum est, ut repellentibus Iudæis uerbum **C H R I S T I**, & illud ex suis finibus exterminantibus in reliquis orbis terræ regiones fidei ueritas extenderetur. Inimici ei ego Iudæi tantisper Deo dum Euangelium gentibus cõmunicatur, uerum ipsi propter se, & propter patres suos amabiles, atque ita amabiles, ut nec uocationis, hoc est, electionis, nec suorum in eam gentem beneficiorum Deum poeniteat. Ac sicut uos ò exteræ gentes, inquit, quæ antea non credebatis, neq; Deo fidē habebatis, ex Iudæorum incredulitate, infidelitateq; occasionem nactæ estis credendi, & per fidem misericordiam à Deo consequendi, uocataeq; estis ad eiusdem Dei, non notitiam solum, uerum etiam cognationem; sic Iudæi, qui antea Deum uerum noscebant, atq; colebant, tuncq; egere minime misericordia uidebantur, in infidelitatē & ipsi, incredulitatemq; delapsi sunt, ut ipsi quoq; necessaria fieret à Deo misericordia. At cuiusmodi ista infidelitas Iudæorum: quia non crediderunt uestræ misericordiæ, inquit. In quo licet inueniri singulare acumen, & admirabilem sapiētiam tanti Apostoli, quid est enim hoc, quod ait, non crediderunt misericordiæ uestræ, nisi quod non putauerunt ueram esse in Deum fidem illam, ueram Dei erga homines misericordiam, cuius esset gentibus, & alijs nationibus copia facta, quādo ipsi sibi solis, nominiq; & generi Iudæorum soli, omnia Dei beneficia, & cœlestes diuitias omnes debitas esse arbitrabantur: quæ opinio peculiaris apud Deum gratiæ, & in illo Hebræorum populo arrogantia non modo in contumacibus aduersus **C H R I S T V M** Iudæis, uerum etiam in conuersis, & uenientibus ad fidem longo tempore permansit, ut uix possent credere, sibiq; persuasum habere, gentes tali diuinitus beneficio esse comunicatas. Conclufit enim Deus omnes, inquit, in infidelitatem, ut omnium miseretur. Sicut & ante dictum est, Conclufos omnes sub peccatum, ut in omnibus Deus gloriam, & iustitiam suam ostenderet. Atq; hæcenus mi frater explicatis ab Apostolo fidei nostræ mysterijs, & ueritate Christianæ religionis penitus patefacta, atq; in aspectum mentibus nostris prolata, statuendum nunc tibi est, utrum aliquid putes residere posse scrupuli, & dubitationis in cordibus eorum, qui hæc ipsa attente legerint, accurateq; considerauerint: an uero, id quod ego de principio dixi, constare plane incipiat, quicumq; Paulum legerit, eumq; & in manibus crebro, & in cogitatione, ac mente assidue gesserit, itemq; dicta eius, atq; scripta non ad suas odio nonnunquam, aut amore corruptas opiniones, id quod hæretici ferme agunt: sed ad ueritatem, & spiritum scribentis fuerit interpretatus, fore illum non tantum uerbo & simulatione: sed pietate integra, & sanctis moribus, ac deniq; reuera Christianum. **S T A T V T V M** iandudum est, inquit, planeq; extat hoc imprimis doctore fidei **C H R I S T I**, atq; magistro, omnes non modo de fide ipsa ambiguitates, & controuersias, quæ ignaros intimi mysterij interdum torquent: uerum etiam errores animi penitus fore sublatos, ut cui in amore Paulus, atq; in delitijs fuerit, aut singularis illi totius uitæ munditia, atq; integritas, aut certe animus uacuuus, ac liber ab intestinis uitijs sit futurus. Etenim amabo te mi frater, quid est tam altum & arduum, quod iste maximus Apostolus non nobis planum, facileq; reddiderit: quid tam abditum, quod non patefecerit: tam abstrusum, quod non inuestigauerit: ut uideamur nunc quidem nos in medijs ipsis diuinitatis consilijs ambo fuisse uersati. **A T Q V I M I** frater, inquam, non sic sese res habet. Sed accidit Paulus, quod solet usu uenire ijs, qui oceani maris magnitudinem magis nauigando, quam



è littore prospectando soliti sunt admirari. Nam qui uno illo aspectu tantummodo permouentur, cum oculis eorum finis nulla, sed tantum immensitas aquarum se obijciat, concipiunt illi quidem in animo uastum quiddam, & late se fundens, ipsaq; etiam cogitatione formidolosum, sed tamen quod aliquando confici, & peragrari posse uideatur, quippe quorum simplex est, & unica admiratio. At qui se intro iniecerunt, qui longe ingressi sunt, qui per nauigauerunt, atq; in remotissimas oras, ac regiones nauibus, cursibusq; prouecti, eandem semper faciem interminabilis pelagi conspexere, quoq; enixius contenderunt, studioq; certauerunt, ut peruenirent ad ultimum, tanto illis longiora semper, & difficiliora ad conficiendum occurrerunt maris spatia: hi sunt, qui non unam, sed plurimas concipiunt admirationes, qui saepe etiam silentio cogitationes suas premunt, cum satis intelligant si quid de illis rebus loqui uelint, non se minimam earum rerum partem ulla oratione esse assecuturos: sic Paulus noster licet alte ingressus in consilia summi Dei, licet ad ea peruectus intelligendo spatia, quò nemo fortassis alius unquam, licet adiutus, ac refertus gratia, lumine, spiritu sancto, tamen quo plura, maiora, praestantioraq; cognouit, quo factus est illorum altissimorum arcanorum magis particeps, hoc magis intelligens illam infinitam diuinæ mentis altitudinem nullis humanis cogitationibus, ac ne angelicis quidem posse peruestigari, in eam prorumpit merito uocem, in quam & nos unà cum illo adorantes Deum prorumpamus, ut exclamantes admiremur.

O altitudo diuitiarum, & sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia iudicia eius, & inuestigabiles uia eius? Quis enim cognouit mentem domini? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ipsi? Quoniam ex illo, & per illum, & in illum omnia: ipsi gloria in secula. Amen.

HIC IVLIVS; Recte mi frater, inquit. Fons etenim est ipse omnium bonorum inexhaustus, & perennis, ante quem non est quicquam, nec post ipsum futurum est, omniaq; ex illo, & per illum sunt, atq; retinentur, ac ad eundem conuersa, atq; intenta

sunt, cui iure, & merito omnis debetur gloria, neque præterea cuiquam alij, in

Christo IESU domino nostro, & in sancto spiritu. Amen. Nunc quoniam

satis huic diei datum est, surgamus deambulatum, quod hoc

hilariore faciemus animo, quò difficilimis locis huius epistolæ iam enodatis, atq; transactis, crastinum diem laxiorem, & liberiorem habituri sumus, in quo de

Christianis duntaxat moribus quaeretur.

RECTE admones, inquam. Cumq;

surrexisset, finem fecimus

de his rebus disputandi,

ac loquendi,

FINIS LIBRI II.



165

# LIBER TER- TIVS



**T**ERTIO HVIVS à nobis institutæ disputationis die cum bene mane surrexissimus ego, & Iulius frater, iamq̃ ad rem diuinam essemus parati, nunciatum nobis subito à statore nostro est, Augustinum Triultium Cardinalem sancti Adriani, hominem summa nobilitate, summaq̃ prudentia, tum autem his præterea ornamentis ingenij, doctrinæ, humanitatis præditum, ut ille honos, & fortunæ decora, quæ alioquin in illo permagna erant, minorem tamen partem in eo ornando obtinerent, cum ab hostio de nobis percontatus esset, an essemus intus, aperta ianua in hortos ingressum esse, rectaq̃ ad nos tendere, & esse unà cum eo Gulielmum Bellaium, quem Langeum cognomine uocabamus, legatum Francisci Christianissimi regis apud Pontificem Maximum. Quod ille legationis munus atq̃ officium tanta cum dignitate, elegantiaq̃ gerebat, ut facile appareret artes eas, quâs liberales dicimus, quibus ille apprime erat eruditus, ubi ad egregiam naturam se applicuerint, nihil omnino relinquere, quod desiderari debeat in eo, qui illas comprehenderit. Igitur horum nos duorum amicissimorum nobis, & summorum hominum aduentu improviso commoti, cum uestimenta propere sumpsissimus, ut procederemus illis obuiam, offendimus eos ad interius uiridiorum septum iam appropinquantes. Qui simul ut nos uiderunt, amiceq̃ inter nos consalutauimus. **AVGVSTINVS:** Num tibi uidemur, inquit, nomine me compellans, hodie satis mature è lecto surrexisse, dum te ipsum querimus, cupimusq̃ sermonum huiusmodi uestrorum esse participes: tamen hoc quidem uereor, ne serius à nobis factum sit. Nam ut tu scias, heri uesperis cum pueros tuos obuiam habuissimus, quaesissimusq̃ de eis, ubinam esses, & quid rerum gereres, ij nobis renuntiarunt, te cum Iulio fratre tuo alterum iam hic diem esse, multasq̃ quotidie diei horas secreto in disputationibus, & literis cum eo consumplisse, & esse quoq̃ hunc diem eidem operæ destinatum tertium: quod ubi audiuimus, constituimus statim ego, & Langeus hodie summo mane huc conuenire ad te. Fecimus enim illam coniecturam, quæ si bene morem utriusque uestrum nosco, nos profecto non fallit, ubi essetis uos, non posse ibi de rebus, nisi ad doctrinæ studia pertinentibus agi, quod & tempus hoc uacuum negocijs id de uobis polliceri uidebatur, & scimus ubicunque adest Iulius, ocium ibi à literis, & silentium esse non posse. Quod si aduenimus tempore, ut aliquas saltem partes hesterni uestri sermonis excipiamus, habebimus occasionem, & huic diei magnam gratiam: Sin minus, illud saltem assequemur, ut in hac amœnitate, & lætitia, quæ huic loco profecto singularis semper est, uobiscum unà familiariter hunc conteramus diem. **TVM EGO:** Vellem Augustine, inquam, nostris ut sermonibus non tam interfuisses tu quidem, quàm præfuisses: magnis enim certè de rebus inter nos egimus, uerum nos haud magni. Atqui illa tale ingenium, quale tuum est, atque istiusmodi excellens iudicium requirebant. Sumus enim in Paulo, & in altissimis illis diuinæ erga nos beneficiæ mysterijs uersati, quarum te rerum semper per studiosum cognouimus, etsi non tam fortasse ingenio in illis opus est, quàm Dei auxilio, cuius cum ex alio genere consilia, & ea longe remota sint à meditationibus humanis, absq̃ eo ipso Deo deductore, & monstratore, ne aspirare quidem ad illa hominibus licitum est. Verum partes quidam ex adhuc restant, quæ sunt de moribus, & quo pacto agere inter se Christianos homines, ac uersari cōueniat. Quarum rerum etsi facilius uidetur esse explicatio, est illa tamen eiusmodi, & his referta sententijs, atq̃ præceptis, ut non è fonte quouis, sed ex illo cœlesti manasse nihilominus, ac profluxisse intelligatur. **GAVDEO,** inquit ille, ad quascunq̃ uenerim partes, & aduentum gratulor. Sed tu Iuli nunquid bidui huius disputationem sic præterire passus es, ut tota ea defluerit: an si recte ego te



noui, ea potius habes notata omnia, atq; descripta: quæ tecum communices, & in illis etiam differas interdum doctorum hominum concilijs, quorum in paritæte ac studio tua tamen uirtus, industriaq; excellit. **HIC** ille paulum cū erubuisset, erat enim ingenuo pudore quodam, & singulari modestia præditus. Facis tu quidem per humane semper, inquit, Triulti optime, qui cæteros libenter, & proluxe laudas, tuamq; istam præstantem, atq; eximiam grauitatem, & sapientiam, cuius eget semper ope, & præsidio res publica, etiam decorandis hominibus impertis, si qui tibi uideantur paulo accuratius in bonis artibus insudare, quorum me esse de numero non inficior, uerum maiore tamen labore, & studio, quàm ingenij facultate. Sed quod requiris ex me, num annotauerim, & collegerim, quæ à fratre meo in disputando his diebus exposita sunt, non fuisse illa arbitror ex eo genere, quod contemni debuerit, etenim ut rem melius intelligas, scito me, cū diu, & læpe in Pauli ea epistola, quæ ad Romanos scripta est, scrutanda, atq; excutienda fuerim uersatus: nunquam tamen antehesternum diem, & nudius tertius, in abstracta illius, & intima sensa, atq; consilia penetrare potuisset. Quod nunc nobis nostra ope si contigisset, mirarer. Quid enim, ut fratre meo audiente, & hoc ferè te æquo animo dicam, lumen nos, qui audeamus ista nobismetipsis attribueret: Sed cōtigit singulari Dei beneficio, qui nisi ipse lumen mentibus nostris prætulisset, nunquam in tantarum consideratione rerum, quæ excellentiæ magis, quàm obscuritate caliginem animis nostris offundunt, atq; obijciunt, aut intueri rectis oculis, aut stabili uestigio insistere potuissemus. Ac sunt quidem omnia à me, quod petebas, nocturnum uigilijs scripta, atq; collecta, tibiq; cum uoles, cōmunicantur, necnō & cæteris harum rerum studiosis, & amantibus uiris. Verum illud tamen doleo, te principijs non interfuisse, qui ad extrema accesseris. **TVM ILLE:** Sanè uellem affuisse, inquit, sed tamen haud multum fuerit iacturæ, quādo est quidē, ut te audio dicere, unde illa accipere statim possimus. **Quid:** inquit **LANGEV S,** cum sol iam se explicuerit, serenumq; nobis, & splendidum hunc apportet diem, sumus ne passuri, bonas horas sic præterire, ut non euestigio, quæ ab his in differendo reliqua facta sunt, audire studeamus: nam ego quidem cupiditate cognoscendi ita incensus sum, postquam intellexi Paulum, & Pauli scripta uobis in manibus esse, ut tēpus omne, quod intercedit, nimum longum iudicem. Fui enim, & sum huic uni summo Apostolorū, & maximo ita semper addictus, ut uidear mihi plus ex huius doctoris lectione diei unius, quàm ex assidujs, & diuturnis cæterorum omnium uolutationibus, ac studijs opis mihi, atq; præsidij ad beatam uitam comparare. Et reuera ita est, in hoc enim uno, præcipue sita sunt, quæ & ad cognoscendam uim diuinæ bonitatis, & ad nostram mentem in Deo constituendam maxime sunt apposita. Sed tu, inquit, cum in me intueretur, si quid etiam nunc est, quod per te Deo, & religioni sit tribuendum, quæso id cito persoluito, ut quamprimum te nobis dedas, qui diuinæ rei quod satis sit, operati, hic te interim opperibimur inambulantes. Quod cum constitutum, atq; ita factum esset, increbrescente iam die, atq; sole, in syluam nos contulimus. **HIC EGO:** Deus, inquam humanissime Triulti, & tu Langee optime, omnium creator, conditorq; rerum, & solus bonorum nobis author, cum mūdum hunc ex nihilo ut esset, effecisset, eumq; uarijs potissimum animantium frequentasset generibus, non alia profectō ratione magis adductus est, uti ita faceret, quàm bonitate. Bonum enim quod nō tam in ipso, quàm ipsemet erat, communicare uoluit, ut essent primum, quæ non antea erant: deinde eiusmodi ut essent, qualia poterant esse, plena quæque in genere suo, atque perfecta, nihil ut eis denegatum appareret, quod eorum capere natura, & sustinere potuisset, quod tamen ipsum proprium est bonitatis. Sed hanc ille benignitatem, & uariam, atque diffusam dispensationem sui boni, non ex æterno tempore rebus impertiuit, quemadmodum uetus uidetur philosophia uelle astruere: Sed certo quodam ex principio & res, & tempora in naturam ab eodem Deo producta sunt, alioquin non fuisset eius libera, nec uoluntaria bonitas: aut quoniam esse, & uideri cognata sunt, magnaq; est coniunctio ueritatis, & luminis, talis ea certe uisa non fuisset. Cursus enim ille rerum perpetuo sibi succedentium, & à nullo primo ortu procurrentium, semperq; ante se alias res habentium, non liberam



liberam potestatem eius unde ille effluunt, atque manant, sed necessitatis cuiusdam uin-  
 culis adstrictam sine ulla dubitatione arguere uideretur. Deus autem unus est, cui &  
 semper esse, & ante omnia esse conuenit soli, idque uniuerse, atque simpliciter, hoc est,  
 non ut hoc quidem modo ante esse, illo autem minime dicendus sit, quasi natura quae-  
 dem prius sit, non autem tempore, sed omnino, & sine exceptione ante omnia esse pri-  
 mus, ut sit post illum principium etiam temporis. Verum haec, quae forsitan recondi-  
 tiora sint, & longiorem postulent orationem, in aliud tempus reijcienda sunt. De illis  
 dicamus, quae nostris sermonibus magis sunt coniuncta. Nam cum Deus, ut expo-  
 nere coeperam, uaria genera creasset animantium, eaque singula peculiaribus naturis  
 suis, atque officijs insignisset, caetera quidem omnia dimisit ab sese, & in stadium ui-  
 tae, tanquam in rectam lineam deducta, cursum suum agere iussit, cuius ad finem  
 cum peruenissent, ueluti transactis partibus, quarum causa in naturam uenerant, ad  
 nihilum rursus conciderent. Homini autem soli mentem, & rationem dedit, per quam  
 si ipse se respicere, & quid sui esset muneris, atque officij existimare recte uellet, non  
 ad anteriora semper tenderet. Is enim motus, atque cursus ut finem spatij in sese, sic  
 & currentis interitum habeat, necesse est. Sed uolueretur potius in quendam quasi  
 orbem, & semper ad eundem Deum, unde profectus esset, se reciperet, quod hac una  
 ratione agendi, & se mouendi, cum perpetuo agere, & moueri licitum est: tum uero  
 immortalitas in eo, & beata uita continetur. Et reuera si quis acutius inspicere con-  
 tur uim, & naturam mentis ac rationis, aut si uerbo ex Graeco ducto magis uti pla-  
 cet, essentiam, is intelliget orbem illam quendam esse, non ea figura, quam oculus per-  
 spicere, sed quam intueri ratio ipsa possit. Quae enim ualentia sunt maxime, eademque  
 immortalia (de spiritualibus loquor, & his, quae ab omni natura corporis secreta  
 sunt) omnia sunt eiusmodi, ut eorum formam, atque essentiam nulla res corporea refer-  
 re alia, quam circuli imago possit. Itaque & Deum summum, atque omnipotentem,  
 coelestes globi, quos sphaeras Graeci dicunt, maxime referunt, ut qui illius infinitam  
 naturam similitudine corporis quodam modo infiniti, & perpetuam, ac nunquam  
 desinentem uim gubernantis omnia, atque regentis, perpetuitate sui motus imitan-  
 tur: & ratio ipsa nostra, atque mens, tum ex sese maxime agit, atque operatur, cum cir-  
 culo agitur. Cuius rei certum indicium, quod quae uera sunt & salutaria animi con-  
 silia, ea non aliud quippiam profecto sunt, quam processus rationis sic extra se ten-  
 dentis, ad id, quod occurrerit, ut cum deliberet, sit ne illud sibi suscipiendum, nec ne  
 sit, quod appetit: non tamen in eo statim acquiescat, sed circumeundo prius omnia, &  
 circumspicendo redeat rursus ad sese, orbemque totum compleat. In quo decursu to-  
 to atque obitu, si nil confragosum, aut infestum offenderit, tum libere animo, & cupiditate  
 suae gerat morem. Quae quidem una agendi, & consulendi ratio boni est iudicij,  
 & uerae prudentiae propria, cum qui non ita agunt, ac ut primum ab se egressi sunt,  
 in eo protinus, quod appetierint, immorantur: hi aut leuitate ridiculi sint, aut affectio-  
 num impetu effraenati, atque praecipites. Sed in hoc ipso mentis opere atque officio, ma-  
 gni interest tamen, quo pacto orbis agatur. Etenim si mens ipsa ex sese orta, sua tantum  
 uim, & uirtute niteretur, neque haberet aliud praestantius supra se, ad quod sibi cognat-  
 tum, & accommodum cum se applicuisset, fieret ipsa quoque maior, atque praestantior:  
 recte nimirum illa ipsam se finem rebus constitueret, & cum sibi ipsi satisfecisset, om-  
 nis esset numeros uirtutis, & sapientiae probe consecuta. Quo in genere maiores illi  
 ueteres Itali, atque Romani antequam Deum, & CHRISTVM cognoscerent, ma-  
 xime elaborauerunt, ad seipsos etenim omnia referentes, cum dignitatis, & authori-  
 tatis, & potentiae suae primam ducerent rationem, caeteris sic imperandum esse homi-  
 nibus existimauerunt, ut omnia commoda ex illis ad sese tamen reuenterentur. Atque  
 haec, ut dico, humanae prudentiae ratio, si potentiam, & gloriam apud homines spe-  
 ctes, habere speciem quandam uidetur illustrem, atque amplam, & praestantibus di-  
 gnam animis, quam caeteri semper omnes maiorem in modum mirati sunt, qui cum  
 eadem assequi cuperent, non eodem tamen consilio, nec tam excelfo animo ad res ge-  
 rendas se contulerunt. Sed si uerum hominis bonum, & uera dignitas attendatur,  
 quoniam istiusmodi ratio sibi ipsa confidens, & ui tantum sua nixa ab illo summo bo-  
 no, qui



no, qui Deus est, auellitur, & neque illum, ut principem sui boni recognoscit, neque ad eundem, ut ad finem sua consilia refert, manca ea, & imperfecta imprimis existimanda est, eadem mendacij magis, quam ueritatis particeps, ut quæ orbem quidem agere, & circumducere uideatur, cum à se exorta, redeat rursus ad sese: sed quæ primam tamē, & potissimam sui boni, & suæ sapientiæ partem extra se relinquat, & neque unde oportebat, incipiat circumagi, neque eò, quò maxime est opus, reuertatur. Alterum est genus humanæ mentis non tam superbum quidem, neque tam insolens, quam hoc, quod modo dixi, sed tota sui ratione abiectius, quod item ab Deo alienum, & proficiscens ab sese, nullum tamen orbem ducere, nec in rebus appetendis, aut etiam declinandis ad se rursus respicere laborat: uerum rectà tendit in terram, & in terrenis inquinatæ mentis, ac sordibus totum se prouoluit, & implicat, nihil omnino, neque ad dignitatē, neque ad studium laudis referens: sed unam tantum spectans illam animi uoluptatem, quo pacto cupiditates suas, quæcunque illæ sint, exaturet, atque expleat. Quod genus simile brutorum esse uoluit magis quidem, quam hominum. Sed hæc duo genera quæ commemorauimus non probanda, ut considerantibus cōtinuo apparet, ab Deo ambo auulsa sunt, nullamque cum summo bono coeunt societatem. His porro contraria altera duo, iam sanctiore consilio respiciunt ad summū Deum, sed inter se tamen præstantia, & dignitate differunt. Vnum est eorum, qui ab Deo ipso progredientes, & suorum ortus, principiaque bonorum illi referentes accepta, decurrunt tamen rectam lineam, neque curant ad eum ipsum, unde profecti sunt, postea amplius reuertitur: sed uelut uerso solo cum se in aliam ciuitatem dediderunt, & alteram sibi gentem ipsi adsciuerunt, tanquam è magna patria in ignobilem coloniam missi, domicilia suarum fortunarum in terra constituunt, terrenisque ex coelestibus effecti, habent quidem gratiā illam Deo, quòd sibi ab eo dari, & donari illa existimant: ipsum tamen Deum ut summum suum bonum, & suæ finem atque extremū beatitatis non intelligunt. Qua in religione, & mente natio Iudæorum fuit, ueri Dei colens illa quidem, & sanctum illius nomen adorans, non tamen circulo se ad eundem referens, neque ipsum, ut bonum suū, sed ut authorem sibi mortalium horum bonorum semper uenerata. Neque illa tamen in hac Dei cognitione princeps, sed & qui in ipsis naturæ primordijs, à creatore Deo primi producti sunt, quique post propius à generis humani origine abfuere aliquot seculis in ea mente constiterunt, ut ab Deo peterent, quæ sibi petenda esse arbitrarentur, & accepta illi ferrent, quæ adepti essent: sed ut illa tamen forent, quæ concupiebant, terrena omnia, atque mortalia. Post uero sensim, atque obscure hac uarietate rerum tot, atque tantarum, quæ aut oculis cernuntur, aut à sensibus cæteris cum uoluptate percipiuntur, animos, mentesque occupante, & uniuersum hominē ad se abripiente, disiunxisset se penitus ab Deo humanum genus, omnemque illius cultum, atque memoriā in se ipso obliterasset, nisi admirabili suæ sapientiæ arcana præpotens Deus eximiam sibi retinisset Iudæorum nationem, in qua, tanquam in materia rudi quidem adhuc, & impolitā, sed tamen hærente quadam ex parte in cultu ueri Dei, dolando ipse, & poliendo exprimeret aliquando illam absolutissimam, & perfectissimam humanæ mētis rationem, quæ est in eo, ut & à Deo egrederemur, & ad eundem Deum rursus nos conuerteremus, orbemque illum conficeremus, in quo omnis uirtus, & omnis sapiētia, & omnis diuini boni possessio continetur. HIC AVGVSTINVS; Præclare tu quidem, inquit, mihi ordiri Sadolete uisus es, & initium nostri sermonis à re magna ducere. Hæc enim omnis oratio, si rite coniector, eò tendit, ut hanc summam, & absolutam hominis rationem in fide CHRISTI solum esse intelligamus, quippe quæ una nos eò maxime reuocat, unde sumus profecti, atque ita iubet decurrere orbem istum, quem tu apte nimium, atque apposite intulisti, ut quacunque peragremus, aut peruagemur, in ipso tamen principio, eodemque fini, qui Deus est, semper uoluntate, & proposito maneamus. Sed tu cur tantum alte exorsus sis, aueo scire ex te. Non enim hæc ad mores pertinere uideretur oratio, sed ad illa arcana potius, altaque mysteria, de quibus heri inter uos fuistis locuti. QVIA IN QVAM, cum de eis moribus agendum sit, quorum est tractatio huius sententiæ propria, præponi ista oportuit, quæ facerēt intelligentiam sequentium faciliorem, & simul uobis ut exponerem CHRISTI mysterium



sterium, quo fidei nostræ perspicua ueritas intelligitur, idcirco illa à me inducta sunt. Namq; & de moribus sic suscipere debetis, non esse mores nostros ex eis generibus uirtutum, quæ uel à philosophia traditæ, uel à claris, & potentibus uiris in rebus gerendis antiquitus usurpatæ sunt. Et mysterium CHRISTI illam uim habet, ut eo non cognito, ne cætera quidem satis cognosci possint, quæ sunt ad fidem nobis, & ad spem adipiscendi Dei necessaria; in cuius quidem sensum mysterij, illiusq; intelligentiam nos nudius tertius inopinatò uenimus, cum tanquam diligentes, & seduli uenatores exoptati boni odorantes uestigia, in ipsum cubile repente diuino munere incidissimus. AGE PORRO, inquit ille, & ipsum hoc mysteriũ nobis explica, namq; operæ pretium quidem, ut te audio, fuerit id cognosse, ex quo ad cognoscenda reliqua facilius aditus fiet. FACIAM equidem, quoad potero, inquam, & eundẽ supplex Deum deprecabor, ut qui nobis princeps ad ineundam uiam hanc fuit, idem sit deductor ad conficiendam. Sed tamen ad superius argumentum redire nos oportet, ut consentiamus omnes, & confiteamur, nihil esse perfectum, nec sapiens, neq; adeo ueri, aut summi boni compos, quod non hoc orbe sit circumactum, ut exeat ex ipso Deo, & rursus ad Deum redeat, totoq; illo flexu, atq; decursu finem, atq; ultimũ omnium suorum bonorũ exoptet semper, atq; appetat ipsum Deum. CONFITENTUR DV M est, inquit, etenim quid dici potest uerius? AT QVI hæc ueritas, inquam, ut commemorabam modo, ante aduentum, & mortem CHRISTI ignorata omnibus fuit, nisi siquos Deus occulta suæ sapientiæ uis in hanc cogitationem, mentemq; iniecit, ut intelligerent huius uirtutem mysterij, Christumq; uenturum præuideret, quod in patriarchis, & prophetis credimus fuisse factum. CREDIMVS, inquit, & certe ita factum est. EST AUTE M, inquam, huius mysterij tota uis, ut quoniã orbem illum sic agere debemus, ut nihil in medio cursu nos remoretur, quod alio fini proposito detorqueat nos à summo bono, atq; impediat, quo minus intenti semper, & auidi ad Deum ipsum contendamus, in quo uno uera nobis bona, eademq; immortalia statuta sunt, reliqua omnia mundi oblectamenta sic debemus tanquam prætereuntes libare, atq; attingere, ut ne in illis cura, aut studio animi aliquo simus infixi, quandoquidem quantum in illis amoris, diligentiaq; ponimus, tantum de illa beata cura detrahimus, decq; diuino amore illo diminuamus, in quo omnis nobis spes ueræ & sempiternæ felicitatis est reposita. Quod si etiã res asperæ, atq; aduersæ nos urgeant, illam nobis expeditiorem, & tutiorem uiam ad beatum portum perueniendi esse existimemus. Atq; hoc cœleste, salutareq; consilium uitæ nobis mortalis in hunc modum agenda, atq; expectanda ex Deo immortalitatis, non CHRISTVS nobis dedit. Non enim sic de illo, ut de uno quodam homine, existimandum est, cuius ore, & lingua locutus nobis fuerit Deus. Hoc enim & per prophetas, & per quosuis nuntios potuit effici. Sed CHRISTVS ipse totus oratio est Dei loquentis nobiscum, nosq; admonentis, atq; docentis, ut contemnamus bona mudi, atq; in se uno spes nostras constituamus. Nõ enim Latino sermone, neq; Græco, neq; rursus Syra, aut Hebraica lingua loqui censendus Deus est, sed illo modo loqui, qui tantæ dignus auctoritatis, & maiestatis sit, ut agendo potissimũ, faciendocq; loquatur, sitq; idem in illo & actio ipsa, & oratio. Atq; ut comparatione quadã notius faciam id, quod dico: Quæ admodum cœli nihil aliud profectò quàm administratio Dei sunt regentis, & gubernantis illo circumactu uniuersa, quippe qui neq; materiam ullam habeant, alioquin essent corruptibiles, neq; rursus pura, & simplex forma sint, nõ enim moueretur, sed tantum modo sensibiles actus quidam diuinæ uirtutis existant, nequaquam ipsi, cum aliud quiddam per se essent, ad hoc deinde officium gubernandi, munusq; adhibiti, sed quod illorum effectio & natura, ipsa est gubernatio: sic CHRISTVS ipse uox & sermo est Dei patris omnipotentis, reuocantis homines ab hoc mortali seculo, & ad seipsum eos pertrahentis, simulq; illis demonstrantis tanquam uerbo, & oratione sua: sic dura illa, & laboriosa CHRISTI uita, eiusdemq; ad extremum cruce, atq; morte ad omnium salutem, doctrinamq; suscepta, uoluptates mundi, & uitæ huius illecebras, ut quæ falsam speciem boni, nobis obijciendo maxime à uero bono, & ab Deo nos deducunt, à nobis esse præ Deo contemnendas, solamq; illam uitam appetendam,



quæ cuiusmodi futura sit, in exurrectione CHRISTI à mortuis nobis est patefactum, quæ illis est proposita, qui in hac agenda uita CHRISTVM imitari, hoc est, Dei uerbo obtemperare uoluerint, cuius uoluntatis in nobis ac sententiæ baptismus professio est. Atq; hoc nobis CHRISTVS non tam à Deo mysteriū attulit, quam fuit ipse mysteriū: sine quo ad Deum quicumq; adiungere se cupiunt, illudere sibi metipsi, & non tam Deum quærere, quam spernere uideantur. Etenim si orbis ille respectus, & reuersionis in summum Deum, quem in CHRISTO duntaxat circumagi recte diximus, non est hæere in medijs, neq; ab illis nolle diuelli: sed in eo est, ut instemus, & urgeamus susceptum cursum, quò exoptatum ad finem ueniamus, quicumq; Deo dedere se instituunt: atq; hi nihilominus mundum, & mundi bona cōplectuntur, cū falluntur opinione sua, atq; iudicio, tum repugnantia certe suscipiunt. Qui uero ita Deum, & summum bonum appetunt, ut sordeat illis mundus, nulloq; amore, cum eo tanquam glutino cōtineantur, his uel ignaris, atq; inopinantibus per CHRISTVM & fidem CHRISTI accessus ad Deū est. Agere enim hoc ipsum fides CHRISTI est, ipseq; omnino CHRISTVS Dei est, hoc nos docētis, & sic ut agamus præcipientis oratio in unius hominis ad hoc diuinitus facti, atq; instituti uita, atq; morte, necnon & eiusdem à mortuis exurrectione, in cœlumq; ascensione ad omneis homines palam, tanquam clarissima uoce habita, atq; prolata. In quo quidem CHRISTO, & humanitatem simul, & diuinitatem agnoscimus, eumq; non tam doctorem huius mysterij, quam mysteriū ipsummet intelligimus. De quo Paulus ad Colossenses: Oeconomiam datam mihi à Deo, in uos, inquit, ut consummarem sermone Dei, mysteriū reconditum à seculis, & generationibus, quod nunc patefactum est sanctis eius, quibus uoluit Deus patefacere, quæ sint diuitiæ gloriæ mysterij huius in gentibus, qui est CHRISTVS, in uobis spes gloriæ. Sed quoniam est à nobis de his rebus copiosius primo die actum, omniaq; tum demonstrata, atque dicta, quæ ad huius mysterij explanationem pertinent, quæ se meus frater habere dicit relata in uolumen, atq; descripta, petetis ab eo, siquid nunc à me, dum breuis uolo esse, dictum sit obscurius. Hæc quidem à me idcirco præposita sunt, ut quoniam de Christianis moribus est dicendum, intelligeretis eorum disciplinam & tractationem, non ex eo genere esse, quod ab sese in unoquoque, aut etiam in nationibus quibusdam ab authore Deo exortum atq; egrediens, in terram totum mox demersum est. Abiectū enim & sordidum imprimis est hoc genus, neq; ulla in eo de moribus rectis, atq; honestis ratio uera, aut cogitatio continetur, neq; rursus ex genere illo existere altero, quod progrediens ab sese, & ad seipsum reuertens maxime superbum, atque elatum est, nullamq; potioem ducit rationem, quam potentiæ, & dignitatis, & amplitudinis suæ. Quod quidem genus etsi specie quadam humanæ uirtutis, atque prudentiæ splendidius multo uidetur, quam illud primum, hominumq; oculos, & studia præcipue in se conuertit: magis tamen etiam remotum à Deo, & à summo bono est, uel potius Deo ipsi infestum atq; cōtrarium. Suum enim regnum quoddam separatim sibi facit, seq; alterum è regione constituit regem, qui se illi altissimæ potestati non summittit, cuius uoluntate, & nutu condita sunt omnia. Atque hæc est illa pestifera, tumensq; superbia, quæ & angelos primum deiecit è cœlo, & sæpe homines prosperis rebus corruptos in eandem perniciem trahit, qui quidem in ambitu honorum, & in mundanis opibus studia, & spes suas collocauerunt. Quid ergo est? De his moribus tractaturus Paulus est, qui illi generi hominum cōueniunt, quod ex Deo natum, rursum se recipit ad eundem Deum, qui orbis ueræ uitæ, cœlestisq; sapientiæ nimirum CHRISTVS est: qui si ita auulsus fuit à mundo, ut nihil unquam quod aut deleat in hac uita, aut illecebris capiat, non modo uinxerit, aut detorserit illius mētem, sed ne uoluntati quidem arriserit, usq; adeo intento ille cursu, & defixo in Deum animo ferebatur, sciens, ut Ioannes inquit, quòd ab Deo uenit, & ad Deum uadit: nobis quoq; est filium Dei imitantibus conandum, ut quoad possumus, ab omnibus quidē mundi uitijs, & amore nimio rerum terrenarū abstineamus: sed si interdum prægrauat caro, quæ in nobis imbecilla est, eadem in CHRISTO uas fuit diuinitatis: si inquam, adigimur nonnunquam carnis uitio, ut labamur, atq; offendamus, ab illis

certē



certè refugiamus maculis, quæ animum ipsum inficiunt, penitusq; eum auertunt, atq; abstrahunt à summo Deo, uel etiam aduersus Deum efferunt, atq; attollunt, quo quidem genere peccati letalius nullum est, cuiusmodi superbia est, & nimia animi confidentia. **HIC AVGVSTINVS**, Et si ad ea quæ de moribus dicenda sunt, auido animo properabam, inquit, ut ad quas tractandas partes fortuito fueram appulsus: tamen facile te paterer Sadolete totum diem hunc in his sermonibus consumere: Ita meum animum commouet, atq; afficit, hoc quod abs te prolatum est **CHRISTI** mysterium, de quo à te dictum quidem est concilius, quàm tantæ rei magnitudo postulabat, ueruntamen quod nobis in præsentia fuerit satis, præsertim cum habeamus unde hauriamus largius: siquidem hæc Iulius scriptura se diuigenter persecutum esse dicit. Sed ego agnoscens clementiam & benignitatem summi Dei, qui eorum mentes qui illum cum amore quærunt, maiore sui intelligentia semper refert & illuminat, clarior intueri nunc incipio, quod antea pia tantummodo persuasione credebam: sicut enim uerbo ponebatur, ita accipiebatur à nobis, unam spem salutis esse per fidem **CHRISTI** in Deum credere: nunc liquido perspicio, certum id ita esse, ut contradicere non possit, planamq; & perspicuam uideo esse ueritatem, neminem omnino posse, nisi per fidem **CHRISTI** ad Deum se conferre: quandoquidē **CHRISTVS** ipse uerbum Dei est, neq; eo pacto uerbum, quo prædicat uetus scriptura factum esse uerbum Dei ad Micheam prophetam, uel ad Hieremiam, uel ad Ioël, quo quidem modo aliud est Dei uerbum, aliud is, qui illud enunciat propheta. Sed **CHRISTVS** uerbum Dei ipsummet est, Dei, inquit, hoc suo ore nos docentis, si salui, & beati esse uolumus, appetenda esse sempiterna bona, & contemnenda mortalia, ut sit uerbum Dei, idem quod ipse Deus: in quo quidem uerbo & doctrina simul sit, & actio, id est, ut id uerbum, quod nos docet, idem etiam deducat in immortalem uitam. Deducat autē, non ut monstrator solum neq; doctor: sed ut dicebas ipse, Paulumq; in eo testem adducas, ut huius ipsius deductionis mysterium, ipsaq; quasi deductio, cum illius sanguine & morte consecuti simus, ut natura hominis quæ antea ab Deo auersa & illi infera erat, in **CHRISTI** corpore fuerit cum eodem Deo recõciliata, indeq; tota defluerit humani generis redemptio: carnis enim inimicitia cum Deo, quæ nos in terra fixos detinebat, rebellesq; & contumaces efficiebat aduersus Deum, in **CHRISTI** carne per obedientiam soluta est, qui carnem ipsam primum in se, & ex se deinde in omnibus à seruitute rerum terrenarum abstractam Deo penitus subiecit, sanguinemq; & uitam suam factus Deo usq; ad crucis mortem obediens, pro salute nostra effudit. Verum hanc mysterij tam sublimis ueritatem nunc quidem tanquã in peristromate nobili quasi præteriens aspicio: Post uero ubi dabitur spatium ista ipsa subtilius, accuratiusq; contemplandi, spero omneis eius partes clare mihi, ac lucide sese ostensuras. Nunc tu Sadolete pertexe reliqua, atq; has meas interpellationes equo animo patere. **QUIDNI** patiar, inquam, quibus præsertim maiorem in modum delecter: Non enim me admodum laboraturum intelligo ut uobis ea tradam, quæ in animo ipse intus habeo concepta, cum uos orationem penè meã intelligentia uestra antenuciatis, quanquam hoc quidem ingenij tui semper Triulti fuit, neq; de Langeo nostro secus esse intelligo. **TVMILLE**, Perge tu modo, inquit, noliq; ex silentio meo conijcere quid ego intelligentia assequar, & quid non. Illud scito, planè me cõprobare ea, quæ abs te dicta sunt, maioraq; suspicari, quàm ut breui ista oratione possint exponi, tum uero expectare idem ocium, atq; tempus, quo cum Triultio, & Iulio eadē ista ipsa diligentius consideremus. **POSTQVAM** igitur, inquam, hoc primū nostri fundamentum sermonis positum à nobis est, **CHRISTVM** uerbum esse Dei docentis nos, atq; hortantis, ut ceteris posthabitis rebus omnibus, ad ipsum nos amore, cordeq; adiungamus, spemq; cunctam beatitudinis nostræ in ipso uno cõstituamus, illud quoq; alterum substruendum nobis est, ut de ipso amore erga nos præpotentis Dei, deq; ea cura, quam pro nobis ille, & pro salute nostra suscepit, aliquid cõmoueremus, qui filium suum consortem secum diuinitatis, & in quo sibi maxime pater Deus placet, miserit è sinu suo, atq; ex sanctissimæ semperq; purissimæ uirginis utero, nullo uirili coitu se admiscente, sed spiritu sancto eas gerente uices, accipere eū ho-



minis carnem uoluerit, moriſq; & cruci affigi ſit paſſus, ut carne illa in filio perempta, quæ à peccato omni aliena ſemper fuit, nos redempti in illo ſanguine, & doctrinam Dei in CHRISTO imitantes, in carne noſtra peccatum interimeremus, mūdiciſq; & nitidi appareremus coram Deo, Chriſtoſq; à mortuis exurgente, in uitam ſimul cum eo non corporis adhuc quidem, etſi ea quoq; nobis mox immortalis aduentura eſt, ſed in uitam modo iuſtitia, & uera cum Deo amicitia, ac cognationis excitaremur, cum ut tãta ab Deo beneficia acciperemus, quibus maiora eſſe amabò quæ poſſunt nullis à parte noſtra meritis, uel potius male ipſi de Deo merètes, ſola eiufdẽ Dei bonitate, atq; clemẽtia & de erroribus noſtris miſericordia, ſimus aſſecuti. SANE ita eſt Langeus inquit, & ea re quidem plurimum illi debemus, ut ſi non impij penitus, & inhumani uelimus eſſe, gratiam noſtram, & tanti memoriam meritĩ nulla unquam obſcurare debeat obliuio. ATQVI inquam, ne aliam quidem ipſe gratiam à nobis repetit, quàm ut amori ſuo erga nos mutua ipſi uoluntate respondeamus, quod ipſum nobis etiam eſt emolumento, atq; bono. Itaq; Paulus explicatis antè, atq; enarratis CHRISTI, & fidei myſterijs, de quibus biduo hoc à nobis eſt diſputatũ, huc nunc conuertitur, ut poſteaquam docuit, quid de Deo, & fidei myſterio ſentiendum ſit, doceat etiam deinceps, quo pacto erga Deum, & propter ipſum Deum inter nos nobis ſit agendum, cuius tempus eſſe iam uidetur, uti uerba audiantur.

Adhortor igitur uos fratres per miſerationes Dei, ut ſiſtatis corpora ueſtra hoſtiam uiuentem, ſanctam, beneplacitam Deo, rationalem cultum ueſtrum, & ne configuremini ſeculo huic, ſed transformemini renouatione mentis ueſtræ in explorando uos, quid ſit, quod uelit Deus bonum, & beneplacitum, & perfectum,

AMYSTICIS ad moralia tranſiturus, fratrumq; imprimis cõtentiones ante oculos habens, quæ præcipue ex Iudæis ad CHRISTI fidem conuerſis, & tamen quaſtum etiam uel ambitionem ſuam ſpectantibus oriebantur; etenim docere alios omnes, illi, & ſibi authoritatem magiſtrorum arrogare, legemq; ſemper proponere, & quodammodo cæteris dominari meditabantur, quod quidem erat, non Deo, & CHRISTO, ſed mundo ſeſe cõformare, ac dedere; huic primum malo mederi uult, precibusq; & monitis erga eos agit, Dei miſericordias, hoc eſt, quotidianas eius benignitates ad ignoſcendum peccatoribus ſecum aduocans, per quas & prius illi ſalui in CHRISTO facti, & quotidie habent ex omni facinore, & culpa paratum in Dei clemẽtia & bonitate perfugium. Per eas igitur obteſtatur ut gratos Dei tot beneficijs ſe oſtendentes, rationalem, & uerum cultum exhibeant eidem Deo, non autem hunc ſucatum, & ſtadium magis ſmundi, quàm Dei in ſe continentem. Quanquam hanc alteram partem obiurgatricem eorum culpa, ne eos palam coarguere uideretur, reticuit Apoſtolus, diſſimulataq; uitij mentione eos tantum in parte bona cohortatus eſt. Et quoniam hi, ad quos ſcribebat, bona pars Iudæi, aut inſtitutis Iudæorum pleriq; imbuti erant, idcirco eos docens, & admonens per comparationem quandam priorum ex lege ſacrificiorum ad ſanctum, & immaculatum Deo præſtandum ſacrificium illos hortatur. Nam in Moyſis lege uictima, quæ Deo offerebatur, ut munda eſſet, & integra, omnis ab illis, qui illam offerebant, diligentia adhibebatur, primum ut toto corpore eſſet ſana, non pſoras, non lichenas, non id genus morbum uulnum habens; deinde ut non auribus mutila, non cauda decurtata, non aliqua infecta notabili macula eſſet, talemq; illi hoſtiam ſanctam, & mundam, & Deo acceptam arbitrabantur, atque in corporeo illo ſacrificio Dei ſibi ueniam, & gratiam reconciliare meditabantur. Nos uero qui omne ſacrum, quod Deo offerimus, abducimus à corporeis, & ad ueritatem, ſpiritumq; transferimus, illis externis uictimis omiſſis, noſmetipſos Deo potiſſimum dedicamus. Hortatur igitur Apoſtolus ut ſiſtant corpora ſua, non aliena, hoc eſt non hircorum, aut uitulorum, hoſtiam uiuentem, non morti addictam, quod in illis uetuiſtis & Moſaicis ſacris fiebat, ſed uitæ meliori, & uegetiori paratam, quod quidem in Chriſtiano ſacrificio iure euenit. Etenim ſi tunc  
in aliena



in aliena morte uitam sibi quisque ex misericordia Dei procurabat, quanto magis nunc semetipsum hostiam sistendo, atque offerendo iustiore Dei misericordia uiuet cum propius, atque interius ista oblatio corporis sui pariat in unoquoque sibi ab Deo uitam, quam possit disiuncta, & aliena oblatio, eandem in illo uitam reparare. Sed hæc hostiam, quam offerimus Deo, corpus nostrum uidelicet, quanquam eam uiuentem, & uicturam nos, Iudæi in uituli, aut arietis corpore morituram sistebant, cæteris tamen rebus similiter atque apud illos, accuratam, & selectam esse conuenit, ut sancta sit, & ut Deo bene accepta: quod continget, si ut illi in omni parte integram, atque mundam: sic nos & ab eis uitijs, quæ totum hominem occupant, & ab eis, quæ in parte aliqua suscipiuntur, immunem, ac nitidam Deo offeremus. Atque ut ostendat, quantum interuallum sit inter sacrificia Iudæorum, & nostra, subiungit breuiter hostiæ nostræ conditionem, rationalem esse cultum Dei, non corporalem. Quæ enim illi in corporibus mundis, & nitidis offerebant, nos in spiritu, & ueritate sanctitatis Deo consecramus. Itaque illa sæpe sacra, & illas uictimas aspernabatur Deus, nostrum autem sacrificium nunquam aspernatus est. Talem igitur hostiam suadet nos offerre, quæ sit cultus Dei rationalis, non corporeus: quod rite fiet, si nostra ratio in colendo Deo non ad mundum spectauerit, sed ad ipsum Deum. Nam qui in ipsis quoque sacrificijs, & cultibus omnipotentis Dei ad mundum conuersi sunt, laudemque humanam ex religionis studio aucupantur, hi maxime impio, & detestabili scelere ueritatem in simulationem quærunt conuertere, seculoque isti maxime configurantur: hoc est, figuram huius seculi in se accipiunt, fallacem, infidam, uariam, oculis tantummodo, & opinionibus seruientem: quæ cum eadem sit instabilis, transeatque figuræ, & figmenti modo, nos quoque secum unâ in eundem fluxum corripit, falsisque bonis illectos, & captos ueluti fluctu super fluctum, sic super mœrorem uoluptate, & poenitentia super uoluptatem uicissitudinibus uarijs antè obruit, quam potuerimus, quid uerum nobis bonum sit, aut in quo portu tutò consistamus, experiundo cognoscere. Etenim quid aliud est, quod ait scriptura, In imagine pertransit omnis homo. Et, Dormierunt somnum suum. quodque alio loco Paulus, Transit figura mundi huius. nisi cum hi, qui huic seculo configurantur, decurrant suam ætatem in simulacro & imagine, debere nos mentis nostræ nouatione transformari, ut uitam nostram collocemus in bono stabili, & in ueritate, qui est ipse Deus: Nouari enim mens nostra recte dicitur, cum omissò hoc iam trito, & uetusto calle mundani gressus, in quo omnia ficta, & fucata transeunt, in unius cultu, & adoratione Dei uera uoluntas, & uerum studium ponitur, & sunt hæc præcepta tamen memoratis antea CHRISTI mysterijs apta, & congruentia. Quid enim aliud fides nobis CHRISTI imperat, quam ut deposito uetere homine, qui secundum mundum, & seculum hoc factus est, nouum alterum hominem ex Deo natum, & in ueritate factum induamus: Sed hæc adoratio, & cultus unius Dei non semper uere ab hominibus, sed nonnunquam etiam specie falsa usurpatur, quod duobus fermè modis fit. Sunt enim qui terrena ista magni aestimantes, quæ seculi huius nomine denotantur, & in quibus opum, & potestatum, necnon humanarum cupiditatum, & certaminum strepitus ingens est, & anhelitus, speciesque sonora quædam oculos feriens, auribusque eadem tinnens, cum se ijdem ad uisibilem Dei cultum, & uenerationem conuertunt, transferunt eundem mundi sonum, atque eandem pompam ad illius sanctum nomen inuocandum, atque adorandum, ac cum honore ipsius Dei, sui quoque nominis celebritatem esse coniunctam uolunt, popularemque ambiunt admirationem, ut existimentur in colendo Deo opulenti imprimis esse, & perliberales, quod genus cultus, & sacrificij ab illa Iudaica religione non est dissimile. Illi etenim in externis quoque ritibus & sacrificijs, oculos magis & sensus hominum, quam corda ipsa feriebant, neque in oblatione hostiarum, tam ipsi Deo, quam legi, & cerimonijs quarebant satisfacere. Alij longe contraria, & deteriore ratione ipsum Dei humilem cultum præferentes, atque se à mundo disiunctos esse simulantes, nihilominus ficta illa religione quæstus sibi, aut rumusculos ab hominibus suffurantur, quod genus in societate imprimis difficile, & morosum est. Etenim hi sunt, qui cum se sanctos, & inaccusabiles haberi uelint,



cæteros ipsi non desinunt quacumq; de causa accusare & reprehendere, dantq; consilium non rogati, suamq; doctrinam, & auctoritatem passim ingerunt: & si non continuo sibi pareatur, scelus magnum clamantes, contentionem inter fratres, & dissidia nituntur conferere. Quos omnes hortatur, & monet Apostolus, ut ne configurantur huic seculo, sed transformentur renouatione mentis in explorando, & degustando, quod maxime bonum uelit, & sibi acceptum habeat Deus, qui certe illud uult, quod & ab ipso profectum est, & ad eundem tendit: hoc est, ut in eo quodcumq; agitur, aut suscipitur, non aliud genus boni ullum spectetur, nisi id, quod probatum Deo, & eidem gratum intelligatur atq; acceptum: hoc est, iterum ut interpretemur, ut in omnibus, quæ agimus, quæq; consecramur, semper nobis ante oculos propositus sit Deus, nusquamq; ab eius nutu, & uoluntate deflectamus. Illud enim uerum est bonum, & uere placitum deo, quod in eo ipso ut fini, & solo bono consistit, neq; est laabe ulla mundi adiuncta pollutum, & inquinatum, quod est proprie, ut alibi Paulus ait, sanctificatio nostra. Eam porro assequi non possumus, nisi mentem nostram in aliam formam nouemus, quæ ab huius seculi figura longe remota sit, totamq; ex ipso Deo formemus, & ex ueritate, & spiritu sancto. Sicut in psalmo scriptum est: Et spiritum rectum innoua in uisceribus meis. Hoc enim ita si egerimus, statim intelliget ipsa mens nostra semet esse debere, quæ seipsam dedit Deo, quæ sese illi offerat, uotaq; & sacra, & dona Deo debita intra seipsam contineat omnia: neque hoc solum, sed omne etiam suæ pietatis præmium, omnem rationem boni sui, in uno ipso Deo collocet, atq; constituat. Hoc enim est mente renouari, quod in fide CHRISTI totum positum est, ueterem hominem exuere, & nouum fieri, formamq; nouam spiritus & ueritatis induere, quæ antiquis seculis fuit ignorata, & desciscere à uetustis, quæ mundana, & corporea scilicet sunt. Inueterascunt enim quæ sunt corporis, atq; quod alibi Paulus, hoc est in nouitate spiritus, non in uetustate literæ ambulare.

Dico enim per gratiam datam mihi, cuiuscumq; existenti in uobis, ne plus sapiat præter id, quod oportet sapere; sed sapiat ad temperantiam, sicut unicuiq; Deus impartiuit mensuram fidei. Quemadmodum enim in uno corpore membra multa habemus, membra autem omnia non eandem habent actionem: sic multi unum corpus sumus in CHRISTO, singuli autem inter nos membra.

QVOD modo commonuit, ut ne configurarentur huic seculo, id nunc loquitur expressius ab eo fratres errore reuocans, in quem nonnullos eorum lapsos intelligebat, qui religionem CHRISTI & professionem Christianæ humilitatis ad ambitionis studium, & ad elationem animi conferebant: quocumq; maiores ipsi, atque eminentiores inter fratres uiderentur, cum pollicebantur de se plura, quam præstare poterant: tum autem ad suam potestatem, suamq; iudicium contemptis cæteris regimen, & administrationem rerum nitebantur reuocare: quorum duo hæc uitia infesta præcipue cõsensionis, atq; concordia, ostentationis unum, & alterum ambitus, duabus præclaris rationibus Paulus castigaturus, ne in id ipse incidere arrogantia uitium, quod est in illis reprehensurus, uideatur, primum agit cum eis lenissime, deinde proponit se hoc docendi, monendiq; officium suscipere non temere, nec propter arrogantiam, sed per gratiã, quæ sibi data sit, nempe apostolatus, & legationis à summo Deo, ut sit ipse cum uniuersi CHRISTI mysterij, tum eorum morum, qui Christianæ fidei conueniunt, omnibus hominibus, & prædicator, & doctor. Præcipit ergo ut ne quis sapere cõtendat plusquam oportet, sed unusquisq; hæctenus sapiat, ut ne prætereat temperamentum, quod quidem temperamentum sibi quisq; ex ea intus animi fiducia admetiatur, quam impartiuit illi Deus. Fidem enim hic pro fiducia posuit profectò Apostolus, quod idem & infra facturus est, quæ dicit, Omne quod ex fide nõ est, peccatum esse: id est, omne quo quis magis se ostendat quam conscius ipse sit posse à se præstari, id peccatum esse: quippe quod crimen in se contineat, semper quidem mendacij, sæpe auaritia, nonnunquam etiam ambitionis. Verum hæc fiducia animi, interiorq; conscientia, quæ



quæ sæpenumero propter ignorãtiam, & simplicitatem eorum, inter quos uersamur, efficere, & consequi multa posset non sua uí, neq; ueritate freta, sed illorum imbecillitate, qui facíle inducerentur, quo quidem casu non fiducia esset, sed fraus, atq; astutiat hæc, inquam, fiducia tunc demum uera, rectaq; est, & ueram mensuram accipit, si eam accipiat à summo Deo, & sese illi approbet, ipsumq; præ mentis oculis habeat. Fidere ergo nostrum sanctum, uerumq; in eo potissimum existit, cum illa fiducia à Deo uniuersiq; dimensa est, cum est nixa ueritate, cum non ex errore hominum se metitur, sed sui ipsius bene conscia tota ad Deum cõuersa est, habetq; eum sibi finem propositum, in quo humilitas animi cernitur, & illa modestiã, ac temperantiã uirtus, quæ solis nobis, qui in CHRISTVM credimus, planè nota, animaduersaq; est: ab hominibus uero, qui sunt mundi, penitus ignoratur. Mundus enim qui in eo totus est, ut uideatur res esse, nõ uti ita sit, tantum quencq; postulat ingerere se, atq; agere, quantum cæteris persuadere potis est, siue eos fallere, atque inducere arte ualeat, siue etiam cogere, uimq; afferre, semperq; illi mundi opinionibus magni, & præstantes uiri existimati sunt, qui ut superiores cæteris essent, quoquo modo uincere, atque efficere ualuerunt. At non hoc à nobis postulat aut expectat Deus, sed omnis nos diuina ratio, & CHRISTI Iesu domini nostri actio, atque admonitio ad humilitatem animi, & ad paupertatem spiritus conuertit, ut summissè semper, & modice de nobis ipsis sentiamus: sic & nos docet in Euangelio CHRISTVS usq; adeo de nobis nihil elate sapere, ut cum omnia recte, riteq; egerimus, nihilominus inutiles nos seruos tum quoque confiteamur. Et in monte rursus ad discipulos uerba faciens, beatos eos imprimis uocat, qui sunt pauperes spiritu: neq; ipse tamè ea abiectiõne animi esse nos uult, ut non audeamus talentum nobis creditum exercere. Ignauia enim id crimen, atq; desidia, non humilitatis est, neq; moderationis studium, sed ut caueamus ne supra id, quod decet, & quod oportet, & curam nostram studeamus extollere, & operam. Sapere ergo oportet ad temperantiã, quod duobus modis fit, uno modo cum in eo, quod profitemur, nequaquam plus promittimus, quàm quod præstare cum integritate possimus, sed tantum, quantum fides cõscientiã nostrã, & ex Deo ducta, dimensaq; fiducia supeditat. Altero, cum in nostro munere, officioq; insistimus, neq; alienas curationes inuadimus atq; usurpamus. Hoc enim ubi fit, graues ibi, acerbæq; querimoniã, & assiduã inter fratres excitantur contentiones, corpusq; ecclesiã discinditur, quod ad humani corporis similitudinẽ uno CHRISTI spiritu uegetatũ, & alitum habet tantumquam membra quidem uarias in se operantium facultates, sed ita inter se distinctas, ut in diuisis singulorum actionibus una omnium communis procuretur salus. Quod si membrum unum aliquod aliorum sibi membrorum functiones usurpare contendat, iam confusio in corpore, & ordinis & societatis fiat perturbatio. Quemadmodum ipse ad Corinthios scribit: Si totum corpus oculus, ubi auditus? si totum auditus, ubi olfactus? aut si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Malus ergo, & seditiosus homo ille est, qui in societate & cõtũ omnia ad se, & ad suam authoritatem conatur attrahere, cæterisq; antecellere uult, etiam in quo minime est officio à Deo ipse delectus, neq; ille seruit CHRISTO, sed ad mundum præpostera quadam ambitio: ne reuoluitur, regulamq; suã facultatis non ex Deo metitur, neq; ex conscientia, sed ex errore reliquorum, & elatione animi sua, à quo uitio ut maxime uelint abesse, fratres suos admonet, & obtestatur Paulus.

Habentes autem dona secundum gratiam datam nobis differentia, siue prophetiam secundum portionem fidei: siue ministerium, in ministerio, siue qui docet in doctrina, siue qui hortatur, in hortatione.

HÆC SINE dubio dona omnia sunt Dei. Vt enim quis aptus, atque idoneus ad quancq; rem magnam, præclaramq; sit, Dei totum benignitati, & gratiã ascribitur. Et dantur quidem ista à Deo: exercentur autem à nobis pro portione conscientiã, quantum quisq; ex Deo fidit, aptumq; se & commodum ad exercenda illa intelligit. Siue ergo prophetiã donum à Deo obtinuerimus, in illa nos exerceamus, sed usque eò, quoad conscij nobis sumus ab Deo fuisse impartitum, ne ue falsos illos prophetas ueteres



ueteres imitemur, qui captandæ humanæ gloriæ causa, ea prædicebant, quæ sibi in eo gnita esse ne ipsi quidem nesciebant. De quibus ueri prophetæ in scripturis tam gra- uiter conqueruntur. Quod si prophetiam sic accipiamus, ut declarationem obscuriorum in scriptura locorum, id est, abditorum mysteriorum reuelationem, cuiusmodi quibusdam in locis uideretur accipere Paulus; in omnibus tamen eadem fidei, hoc est conscientiæ mēsurā adhibenda est, ut ne plus polliceamur, quàm conscij nobis sumus, posse nos præstare. Sic etiam in ministerio regula eadem teneatur; præclara autem ferme est etiam exercitatio ministerij, ut fuit eleemosynis, cibisq; dispartitendis Stephano, & Nicanori, & alijs quinq; ut Paulo, & Timotheo in ferendis ad sanctos Hierusalem Græcorum, Macedonumq; donis, atque subsidijs, ut Petro, & Ioanni per concilium Apostolorum missis ad Samaritas. Nam & egregiam comitatem eiusmodi administratio requirit, & insignem prudentiam, in qua tamen quisq; tantum se exhibeat, quantum ferre idoneus est; sic & in docendo, & in exhortando fines eos quisq; teneat, intra quos possit uerti, ne ue plus se ostentando in uitium arrogantiae, ambitionisq; procurrat, idemq; in suo, non in alieno uersetur munere, atq; officio. Atq; hæc, ut diximus, dona omnino Dei sunt. Spirituales enim sunt uirtutes; quæ autem sequuntur, partem in se habent nostræ etiam uoluntatis, animiq; inductionis.

Qui impertit in simplicitate, qui patrocinator in diligentia, qui miseretur in hilaritate, dilectio non simulata, odio habentes, quod prauum est, agglutinati bono, fraterna dilectione inter uos amâtes, honore alius alium anteuenientes, studio impigri, spiritu feruentes, Domino seruientes, spe gaudentes, in angustia tolerantés, in oratione perseverantes, necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes,

QVI partem dat, hoc est, qui alium secum participem facit, qui rem aut consilium, aut operam suam proximo impertit, atq; communicat, id agat simpliciter, & liberaliter, ne ue manum, animumq; restringat, neque astute ad se aliquid referat, sed illius tantum causa, quem ope sua subleuat, ad commodandum illi, & ad ferendum auxilium adducatur, neque spectet in eo quàm minima opera, aut impensa facere id possit, sed ut quàm optime illi consulat. Hoc enim est communicare, & participem facere in simplicitate, quod ea simplex & mens est, & manus, quæ aperta est. In quo genere communicandi, & impertiendi maxime ingenuum, & come est, pertinetq; imprimis ad simplicitatem ita communicare te alteri, ut non eò quod illum adiuues, tibi esse maior, sed quod per illum tibi occasio benigne faciendi oblata sit, gratiam quandam tu illi debere uideare. Qui uero patrocinator, diligentiam adhibeat, ut curam suscepti muneris non solum corpore, sed studio etiam animi strenue exequatur, fidem que suam præstet, siue ille sponte suscepto negotio pupillis, & uicinis tutandis adsit, ægrotisq; curandis, siue etiam suffragio cæterorum simili officio alicui, aut muneri sit præpositus. Sic enim omnis curatio, omnisq; patrocinatorio Christiano homini, Deoq; rite seruienti gerenda est, non ut ea domesticum ad commodum, sed ut ad salutem & utilitatem eorum, quibus moderatur, prorsus tota conferatur. Misereri autem in hilaritate, est effectum misericordiæ iucunde, hilareq; præstare; qui animi habitus cum adest miserentibus, non modo hi non fugiunt miserendi tempora, sed appetunt etiam ultro ea, atque insectantur. Quod si ne apud gentiles quidem illa pietas probabatur, quæ coacta erat, & mœsta, ut etiam uulgarî illorum proverbio circumferretur, neminem, qui pietatem caueret, esse pium; quanto magis nobis hæc terrena bona libenter communicantibus, ut in coelo multiplicata alia, & longe præstantiora consequamur, conuenit cum uoluptate, ac lætitia hanc mercem commutare, subuenireq; egestatibus aliorum, ut cœlestibus ipsi diuitijs reddamur affluentiores. Itaque & alibi Paulus: Non ex tristitia, inquit, aut ex necessitate, hilaritatem enim datorem diligit Deus. Et in Euangelio dominus: Beati misericordes, inquit, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et beatum eum uocat Dauid, qui respicit super egenum, & pauperem, quoniam in die mala liberabit eum Dominus. Et uere si uolueris



mus existimare, ista maxime in dando, subueniēdoq; hilaritas regni nobis cœlestis est conciliatrix. Nullum enim graue facinus, nullum atrox delictum hærere posse uideatur in natura eiusmodi, quæ ad benignitatem, & ad misericordiã erga pauperes propensa sit, nec uero alia re magis ad imitationem Dei propè accedimus, quàm miserendo, benigneq; faciendo. Hæc est uirtus maxime Christiani nominis propria, hæc una nos cum Deo præcipue cõiungit, hæc facit, ut uere fidem adepti, & ueram ex fide iustitiam à Deo consecuti esse uideamur. Etenim quinam alius fuit introitus, aut quod principium beneficentiæ, & bonitatis Dei erga nos, simul ut sperare in eo, & cõfidere per I E S U M Christum cœpimus, quàm misericordiã, & per misericordiã diuinorum bonorum effuse nobis, & liberaliter facta largitio: Nos uero quo pacto eandem Dei benignitatem, & iustitiam in nosmetipsos imitando transferimus, & ex eadem diuinæ bonitatis forma sumus insigniti, si non efficiamur & ipsi misericordes? Quæ deniq; uirtus, quod institutum uitæ, quæ actio in illo summo, te ueroq; iudicio, in regnũ, & partem electorum Dei nos introductura est, nisi quod egentũ, & calamitosorum in hac uita fuerimus miserti? At non cuncti diuites sumus, nec qui queamus aliorum difficultatibus subsidio esse, ne perturbare animo, affectum tuum Deus accipit, de facultatibus uerè existimat, & simul in memoriã redi anuis illius, ex Euangelio, quæ cum duos areos minutos in templum contulisset, facile omnium opes, & dona superauit. Nulla est uirtus, quæ quidem Christiana sit, quæ non omnibus sit communis. Nam neq; Deus ipse, qui est unus nobis uniuersa uirtus, cuiusquã est pprius Deus, sed omnium cõmunis, quicunq; eum appetunt, uoluntq;. Verum etli tantũ est in homine Christiano misericordiã, ut ipsa introitus quodam modo, & uestibulum ad imitandum uere Deum esse uideatur; tamen & ea ipsa uirtus, & ceteræ omnes in principe uirtutum charitate continentur. Porrò est charitas dilectio non simulata, neq; tamen hoc satis. Potest enim esse etiã in malis dilectio; sed est charitas dilectio in bonis non simulata. Itaq; adiungit ad dilectionem huiusmodi, ut odio habeant prauum, non id tantum deuitent; & agglutinati sint bono, non solum id sectentur, hoc est, ut nunquam accedant ad malum, à bono nunquam recedant, additq; ut fraterno amore inter se diligant, quãdoquidem fratres iam sunt, nō ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, qua quidem ratione non omnes inter se coniuncti esse possunt; sed ex eodem patre Deo renati, & progeniti, quod est sanctissimum, & maximum ueræ germanitatis uinculum. Quo autẽ fraterna hæc necessitudinis inter eos cõiunctio firmiter habeatur, sapiens, & salutare dat documentum, ut alium alius in honorando antecedit, quæ est concordia, & pacis arcta cõnexio. Nanq; existimare honorem sibi potius deberi, quàm alteri præstandum esse, nequaquam Christianum, neq; adeo fraternum est. Habet enim fraternitas summam æqualitatem, quam euestigio turbat, atq; infringit, qui sibi plus arrogat, quàm alteri ipse paratus sit deferre. Et tamen ista superbiã, & fastus quali rudimenta prima sunt, appetere honorem ab altero libentius, quàm alteri habere, quibus à CHRISTI fide nihil est alienius. Sequitur ut studio impigri esse debeamus, spiritu feruētes, quæ sunt certa indicia firmati iam in bona parte habitus nostri, cum quod agimus rectum cum uoluptate id agimus, ex qua deinde quidem uoluptate, ad libentius, sapius, studiosiusq; id agendum nostra excitatur, accenditurq; uoluntas. Sed ut in his omnibus domino seruiamus, nō nostræ uidelicet utilitati, neq; gloriæ, sed ad dominum Deum omnia referamus: quod si ad nos quoq; aliquid referendum sit, id ex eo genere bonorum sit, quæ sperare tantũmodo in hac uita; assequi uero nullo pacto, nisi sola sperandi lætitiã & uoluptate ualeamus, istiusmodi bona sunt cœlestia, & sempiterna, quæ hæreditate patris nostri Dei in futuro seculo sumus adepturi. Ex omnibus igitur studijs operationibusq; nostris, quas propter Deum illius honori, & nomini inseruientes suscipimus, nihil omnino ad nos quod præsens bonum afferat, sed tantummodo bonorum spem futurorum, & ex ea spe gaudium quidem præsens ac lætitiã conuertamus. Hanc porrò spem cõsequitur tolerantia rerũ difficultum, cum aut fortuitis casibus, aut hominum iniurijs oppressi, atq; uexati, eadem futurorum bonorum spe, quorum per alienas iniurias eripi nobis adeptio non potest, nosmetipsos cõsolamur, in quo alternis quodam modo adminiculis, & patientia ipsa



tia ipsa spem magis confirmat, & spes fulcit, corroboratq; patientiam. Nam & supra dixit, quod patientia probationem cōficit, & probatio spem. Firmius enim tunc certe speramus, cum factio in rebus aduersis nostri periculo, hic quoque intelligimus Dei opem nobis, atq; auxiliū ad tolerandum fortiter aduersa non defuisse. Atq; ex his, quæ iam nobis præbuit, ad ea, quæ restant donanda ac largienda, obsidem eum nobis suam beneuolentiam, uoluntatemq; dedisse. Et quoniam qui spe suffulti gaudent, illa identidem in animo uolunt, quibus sperandis, cogitandisq; lætantur; ideo comitem huius quoq; spei, & ex spe lætitiæ addidit orationem, in qua perseverantes sunt, qui illa æterna bona, & eorum authorem bonorum Deum adamauerunt. Sæpe enim colloqui cum eo, & desideria sua exponere illi, quem quis amet, iucundum imprimis, & optabile est. & est hæc maxime crebra, ac continens oratio. Neq; solum ferre nos, & tolerare difficilia, sed in illis etiam communicare cum sanctis uiris hortatur, & admonet, quasi si immunes ipsi esse possimus, nolimus id tamen, sed præoptemus magis in societate sanctorum ærumnas ferre, & perpeti, quàm separatim liberi, & pacati uiuere, quod uel cordis affectu, uel re etiam ipsa, & opere præstare debemus. Hoc faciebant, qui sua omnia uenundantes, præcia ad pedes Apostolorum deferebant, qui uincios, & male uexatos fideles CHRISTI, sua cura, & ope, & obsequio subleuabāt, eiectis, & peregrinantibus comites se adiungebant, qui illos deniq; certare cum torture pro CHRISTI nomine cum uiderent, ultro se quoq; ipsi in idem certamen sistebant, atq; offerebant. Iam hospitalitatis amor, diligensq; sectatio cæteris antè dictis uirtutibus consentanea est. In qua Lot, & Abraam egregium studium adhibuere. Abraam quidem usque eò, ut non modo uenientes hospites hilare exciperet, uerum etiam ad diuertendum, & ad cōmorandum precibus obtestationibusq; cogeret; cuius quidem humanitatis uterq; eorum dignum à Deo præmium est cōsecutus. Atq; omnes quidem adhuc commemoratæ uirtutes cum præclaræ sunt, & Christianæ, & hac professione dignæ, quæ cœli tantum studium, & immortalitatis suscipit, nulli autem terrenæ curæ, neq; interituræ rei est affixa; tum uero, quæ sequuntur etiam magis ex intimo sacrario fidei, & religionis nostræ depromptæ sunt, nullamq; omnino habent cum uisitatæ hominum uirtutibus communionem.

Benedicite insecutantibus uos, benedicite, & ne execramini, gaudere cum gaudentibus, & flere cū flentibus; idem alius de alio uicissim sentientes: non alta spirantes, sed humilibus simul inclinati. Ne este sapiētes apud uosmet ipsos. Nemini malum pro malo reddentes: procurantes honesta coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quantum est in uobis, cū omnibus hominibus pacē seruantes. Non uosmetipsi ulciscentes dilecti, sed date locum iræ: scriptum est enim, Mihi ultio, ego rependam, dicit dominus. Si ergo esurit inimicus tuus, pasce eum: hoc enim agens, carbones ignis acruabis in caput eius. Ne uincare à malo, sed uince in bono malum.

IAM benedicere maledicētibus, & benignum esse aduersus eos qui te insecutur, commodeq; de illis, & ad illos loqui, nec non bona omnia optare ijs, qui tibi mala inferant; rursusq; & gaudia tua, & mœrores ita ad aliorum affectus accommodare, & flere, ut ex illorum conuersionibus animorum, atque sensibus, tua pendeat affectio, quodq; cōmunius est, & tanquam uniuerse dictum eodem erga proximum affectum animo esse, quo ipse erga semet proximus affectus sit, ppriæ Christiani hominis uirtutes sunt prioribus non usquequaq; intellectæ seculis, quas illa per fidem CHRISTI nobis ex Deo insinuata, & ad imitationem eius suscepta iustitia palam proposuit, & demonstrauit. Neq; earum usum, & cognitionem iustitia legis tam exprimere potuit, quàm adumbrare. Nam & illa dixit, si incideris in bouem inimici tui, aut alium errantem, reduceito eum, & si sub onere succumbentem aspexeris, subleuato. Ac humanitatis quidem officium illa inimico exhiberi uoluit, ut esset ad tollendas inimicitias occasio; uirtus uero Christiana est, nullum omnino habere inimicum, sed ut ita confociemus



confociemus cor nostrum cum corde proximi, ut in unū quasi cum eo sensum coëa-  
 mus: quæ tamen uirtus illud mysterium fidei, & CHRISTI necessario consequi-  
 tur. Etenim cum eorum, quæ ex hoc mundo sunt, nihil omnino nostra magni inter-  
 esse putemus, solaq; illa iudicemus, & expetamus bona, quæ nobis ab Deo in altera  
 uita pposita sunt; nulla ex his rebus cupiditate immoderata, nullo impetu animi per-  
 turbamur, quo minus piam, atq; inuiolatam pacem cū proximo, & fraternæ charitatē  
 necessitudinis teneamus. Itaq; & possumus iniurias insectantiū placate ferre, & illis  
 loqui, atq; optare bona, qui nos afflictos, & oppressos uolunt, quando illi nihil nobis  
 auferre possunt eorum bonorum, quæ sola nobis chara sunt, & quæ unice appetenda  
 ducimus, quinimò eos auide cupimus ipsi resipiscere, & sanam illis mentem à domi-  
 no Deo deprecamur. Ac ferre quidem conuitia, & iniurias insolentium hominum,  
 atq; inimicorum etiam philosophorum nōnunquam est; reddere autem pro conuitijs  
 laudationes, & beneficijs maleficia compensare, hoc non cuiusuis iam, sed Christiani  
 tantummodo & animi, & instituti esse potest. Ita & in Matthæo dominus, Diligite  
 inimicos uestros, & orate pro persequentibus, & calumniantibus uos. Cum autē gau-  
 demus cum gaudentibus, & flemus cum flentibus, omnem funditus liuorem, & ma-  
 leuolentiam ex animo eijcimus, ut inuideamus omnino nemini, qui floreat, & abun-  
 det, siue uirtutis laude, siue etiam opibus, & apud homines autoritate, atq; fama. In  
 quo enim maxime rationem boni ponimus, in mutuo uidelicet inter nos Dei amore,  
 atq; nostro, scimus nos in eo si uelimus à nemine posse superari. Nec uero ipsum hoc  
 bonum nobis solis appetimus, sed cupimus ceteros quoq; omnes illius nobiscū esse  
 æque participes. Atq; ut animum immunem ab inuidiæ labe retinemus, facileq; eo-  
 dem gaudio cum gaudentibus communicamus; sic ad miserias aliorum animo tran-  
 gimur, mœroremq; nostrum, & lachrymas cum mœrentibus coniungimus: etenim  
 hæc affectio imprimis naturalis est, neque Deo aduersaria, sed animis digna misericor-  
 dias, qui ad subueniendum, & opitulandum calamitoso propensi sunt, qui tunc ue-  
 re Christiani sunt, uereq; fideles, si quas ipsi calamitates, hominumq; iniurias, corpo-  
 ris morbos, fortunarum amissiones fortiter, & constanter in se ferunt, eas in proximo  
 suo nequeunt immoto animo ferre: sed ad conspectum, & sensum hominum calamit-  
 toforum misericordia collabuntur. Et sanè gaudere cum gaudentibus probum, & pul-  
 chrum, sanctumq; est, animiq; ab omni labe, & infuscamento maleuolentiæ puri mun-  
 diq; proprium. flere autem cum flentibus perhumanum, & mite. Oportet autem  
 nos si hæc implere recte, & consequi omnia uolumus, fingere animos nostros ex alio-  
 rum uoluntatibus, atq; animis: cumq; affectione nulla ipsi propter nosmetipsos per-  
 turbemur, ex alienis tamen animorū permotionibus affici, ut idem uicissim inter nos  
 sentiamus, & proximorum unusquisque prosperitates, atque arumnas, nihil de suis  
 interim laborans, reputet suas. Sic enim & læticias proximorum gratulando simul cū  
 illis, lætandoq; augebimus, & diminuemus, ac subleuabimus mœrores condolendo.  
 Quod si hoc fiet, ut ex affectibus aliorum, non ex nostris afficiamur, omnibus alijs  
 perturbationibus ex animo nostro excisis, atq; eiectis, duobus tantum motibus im-  
 pellemur, lætitia ex proximis rebus secundis, & ex infestis misericordia, Irasci enim  
 & inuidere, & odio habere, & cupiditate adigi, affectus sunt eorum, qui sibi ipsis affi-  
 ciuntur, non proximo. Sequitur, ut ne alta nobis proponamus, ne ad magna, quæ mū-  
 di sunt aspiremus, ne administrationes rerum publicarū, ne magistratus, honores, im-  
 peria, ne gloriam appetamus: sed in paruis, & obscuris, & ignobilibus mundi liben-  
 tius cōstitamus, nec solum extrā debemus esse humiles, sed nobis etiam ipsis & intus  
 exigui. Est enim hoc illi finitimum, & simile, à quo cauere nos admonet, ut ne simus  
 nobis ipsis sapientes; id est, ne ita ipsi nobis placeamus, ut egere minime aliorum con-  
 silio arbitremur. De his & alio loco scriptura, Vch ijs, qui tibi ipsi sapiunt, & coram  
 seipsis sunt scientes. Hos & grauius increpat ac refellit Salomon: Vidisti ne, inquiēs,  
 uirum sapientem in oculis suis; spes de insano maior, quàm de eo est. Et nimirum pu-  
 tidi isti omnes, & molesti imprimis sunt, ac in cœtu, & conuentu ceteros fastidientes,  
 quod præcipue uitium consensionem auferit, & concordiam de ecclesia. Nō enim isti  
 membrum se esse pati possunt, sed caput, uel potius ex sese corpus aliud conantur fa-



cere. Ita & pauperes ut essemus spiritu, nos hortatus est CHRISTVS, Nemini malum pro malo, ut reddamus: in quo lex contraria, quæ oculum pro oculo & dentem pro dente rependi iubet: ideoq; ea non est ad ueram Dei iustitiam, quam postea fides CHRISTI consecuta est, suo munere peruecta. Nihil quidem huiusmodi omnino in Euangelio est, ut procuremus honesta coram hominibus, ut neminem exemplo malo lædamus, & exemplo bono cunctos ad uirtutem, & ad iustitiam prouocemus, ut habeamus pacem cum omnibus, quantum in nobis est: hoc est, ut neq; excitandis, neque alendis contentionibus, & discordijs ulla à nobis ansa, ullus fomes præbeatur. Cum omnibus uero tam fidelibus, quam etiã infidelibus: quod idem ad Corinthios, Sine offensione estote Iudæis, & gentibus, & ecclesiæ Dei. Et quoniam hoc fortasse facilius factu sit, non præbere causam, neque initium iræ, fugereq; rixandi, & altercandi occasiones, illud quod est difficilius, nominatim interdicit, ut neque etiam laçessiti iniuria & prouocati de ulciscendo cogitemus. Sæpe enim usu uenit, ut qui discordijs causam non dederunt, offensione tamen primo accepta iram deinde, & odium diutius ipsi foueant, nutriantq; dissidia, quæ alij intulerunt. Sed ut non esse authorem dissensionum communioris prudentiæ est, sic acceptam iniuriam non persequi eminentioris uirtutis. Dare igitur spatium iræ nos suadet, & concitos illos animi motus primo cohibere, deinde in totum permittere Deo, qui iustissimus ultor est eorum, qui iniuria læsi sunt. Ac cum tanta quenquam esse constantia, & firmitate animi, ut iniuria nõ moueatur, maximum uideri possit, addit tamen aliud maius & multo admirabilius, ut eos ipsos inimicos nostros, qui nos læserunt, qui damnis & ignominijs nos ut afficerent, operam omnem impenderunt, inopia & necessitatibus oppressos ope nostra subleuemus, ut pascamus famelicos, ut sitientes potu recreemus, ut præstemus deniq; illis in egestate eorum, & penuria, officia amicorum, & beneuolentium hominũ. Quo quid memorari potest iam diuinius? Atque hæc sunt non documẽta solum Christianæ fidei, sed monumenta etiam in nobis Dei bonitatis, quibus ad tantæ, & tam præcelsæ uirtutis cognitionem atq; usum, illo donante sublatis sumus: quanquam est hoc præceptum traditum idem à Salomone, & totidem penè uerbis ab Apostolo relatũ, ut esurientem pascamus inimicum, sicq; in caput illius prunas aceruemus. Quid ergo interest, quæsierit aliquis, si ex lege quoque præcepta huiusmodi habentur, aut quomodo hæc erunt Christianæ fidei propria? Illud nimirum, quod ea data illis sunt ad terrenam pacatius traducendam uitam, nobis ad immortalem alteram illam acquirendam; & apud illos rationem quandam prudentiæ humanæq; sapientiæ continent, apud nos diuinæ uirtutis, & bonitatis. Vt enim diximus, nos nõ inimico tantum cõmodare (id enim iubet etiam interdum lex) sed inimicũ ultro diligere iubemur, quod nobis, qui iniuriam nullam agnoscimus, perfacile est: illis uero mundi bona sectantibus prorsus difficilimum. Et tamen in ipsa quoque ueteri lege quædam interdum existunt scintillæ, tanquam CHRISTVM & euangelium patefacere uolentes: sed tenues eæ, & imperfectæ, ut hoc ipsum, quod de pascendo inimico protulit Salomon, Christianum planè uideretur, nisi finis in eo appareret, non obsequium, & gratificatio erga Deum, sed ipsius inimici rubor, atque confusio: quæ etsi ratio ab Apostolo quoq; per occasionem inductæ authoritatis posita est; nõ tamen uerecundia inimici, ut finis ab eo, sed quod placitum sit Deo præcipue spectatum est. Igitur hæc plebs, & propria fidei nostræ præcepta sunt, quæ non auribus solum percepta, sed omnibus animi sensibus cõprehensa teneamus, si uere CHRISTO sumus dediti, & fideles. Quæ quis unquã quæso inuenit Philosophus? aut quæ animis hominũ sapientia insinuauit? quæ priscæ literæ, qui mores, quæ rerum, aut temporũ cõuersio huiusmodi genus prudentiæ, huiusmodi genus uirtutis, humanitatis, liberalitatis, tẽperantiæ, aut usu docuit, aut præceptis, legibusq; monstrauit, ut statueremus opes, facultatesq; nostras inimicis æque nostris ac cõiunctis & familiaribus debere esse paratas: Et tamen si uere existimare uolumus, hac una ratione maxime tolluntur discordiæ ex societate, iræ sedantur, odia placantur, firma, & fidelis consensus constituitur: ita animo ab hisce perturbationibus uacuo, atq; soluto herere planè in Deo nostra mens, & frui beato gaudio illius suauissimæ, & longe nobilissimæ contemplationis permittitur. Nam quod

addit



addit Paulus eos, qui sic fecerint, ut pascant, & alant esurientem inimicum, prunas ignis in caput illius aceruatos, eò pertinet, ut futurus ille sit sui ipsius obiurgator acerrimus, qui iniquitatem suam tali humanitate cognouerit remunerari. Itaq; rubore, & conscientia, & morsu animi perurgebitur, maioresq; ipse exiget à se pœnas erroris sui, quàm ad irati inimici arbitriũ fuisset persoluturus; quod quidem illi cedere poterit ad correctionem, emendationemq; prioris sententiæ, nobis uero, si qui ita egerimus, insignem ea res apud Deum gratiam, & singulare solatium iam perfectæ in nobis fidei erga Deum allatura est. Ad hoc idem ualet etiam quod sequitur, ut ne uincamur à malo, sed uincamus in bono malum, quod quidẽ maiorem semper boni, quàm mali esse potentiã indicat, cum possit quidẽ ab alterius malo bonũ nostrum nõ uinci, nunq; autẽ possit hoc, ad quod hortamur bonum, nõ alienum malum uincere. **HIC LANGEVS**, Præclara nimirum, inquit, & egregia morum documenta præbet nobis Paulus, atq; ut tu modo Sadolete dicebas, non cum aliorum legibus, institutisq; communiã, sed propria nostræ fidei, atq; ex sanctissimis deprompta Christianæ religionis adytis, in quibus hoc uideo ab ipso præcipue quæri, ut omnium nostrorum cõfiliorum, atq; factorum cõstans, & solida ratio, quæ ex solo Deo, & ex interiore cuiq; conscientiæ iudicio spectanda est, ad mundi opiniones, & studia ne prolabatur. Nam quemadmodum flumen cum peruenerit in mare, amisso fluminis nomine, & natura, naturam illam accipit, qua cum permixtum iam, atq; confusum est, ipsumq; simul maris subit appellationem; sic mihi uidetur uereri Paulus, ne si uera uirtus, & ea, quæ ex Deo suscepta est, ostendere se instituerit uel paululum opinionibus hominum atque studijs, proprium statim uirtutis nomen amittat, sitq; nõ amplius Christiana uirtus, sed popularis. Itaq; illam ipsam tanquam castissimam uirginem ab omniũ oculis aspectibusq; semotam sedere domi in intimis penetralibus iubet, sua ipsam ueritate, conscientiaq; contentam, Deumq; sibi unum, & semper proponentem, cui placere soli, & se probare studeat; omnem autem ab hominibus famam, omnem externæ cõmendationem laudis sedulo deuitantem, ne si forte oculis sermonibusq; se dederit, ab Deo paulatim segregata, & ex integritate sua deducta corrumpatur. Sanctum hoc consiliũ, & salutaris sententiã pfecto est, uti ita semper in ueritate maneamus, ne opinionibus uanis auferamur. Sed si est libere dicendũ, quod sentio, nõ uirilem in nobis uirtutem, instituire uidetur Paulus; sed uirginalem quãdam potius, & timidam, omneis offensiunculas, & omnia undiq; pericula metuentem; quæ si huiuscemodi sit, sibi quidem forsitan illa satisfaciãt, & sit seipsa cõtenta; ad commoda autem, & utilitates aliorum parum fructus, & emolumentũ afferre uideatur. Atq; ut quemadmodum ego intelligo, apertius uobis sententiã meã exponam, Cum duo sint hominum genera, quæ Deo recte seruire studeant, unum eorum, qui in solitudinibus, aut in locis ad hanc ipsam rem factis semoti ab usu, & familiaritatibus multorum placatam sibi, & tranquillam eligunt uitam, suosq; sermones, & consilia non cum hominibus, sed cum Deo ipso conferunt; Alterum, quorum robustior est animus, & ad omneis fluctus rerum humanarum subeundos, ac sustinendos aliquanto fortior, qui sese cum cæteris hominibus dedunt, qui in populo uersantur, qui instrumentum illarum, quas ab Deo acciperunt uirtutum, non domi inclusum continent; sed proferunt ad usum, utilitatemq; communem, offeruntq; sese temporibus, atq; periculis; sæpe iracundijs aliorum, sæpe calumnijs, sæpe improbitatibus, sæpe ignominijs, damnisq; expositi; horum inquam, duorum generum, etsi utrunq; sanctum est Deoq; rite seruiens, nempe ego tamẽ magis hoc probauerim, quod cœlestes illas ex Deo opes, quas possidet, nõ lepositas sibi soli, sed cunctorum usui, & commodo uult esse propositas. Etenim mihi quidẽ hic uidetur propius se ad Deum illum ipsum intuendo, imitãdoq; adiungere. Porrò ipsius Dei cum bonitas illa sit, ut ea in se primum infinita & immensa, in omnium deinde hominum, atq; rerum salutem, utilitatem, cõmodumq; diffundatur; sic qui bonum suum reliquis impartiunt, hi mihi uidentur diuinam illam bonitatem apta quadã inter homines imaginis similitudine melius referre. Atq; hos ego, ut longe alijs antepono, sic non contemno ne illos quidem, qui sese in silentium, & in solitudinem abdiderunt, res motiq; ab omni iactatione populari, & tanq; in portum ex fluctibus delati, quietam,



& securam ducunt uitam, in eius quem unum precipue adamauerunt, cōtemplatione  
 Dei perpetuo inhaerentes, tuta hæc & beata ratio degendæ uitæ, ac toto suæ ætatis  
 decursu pacatior longe, atq; dulcior: sed quam tamen celebritate nimia illam appeten-  
 tium frequentari non expediat. Etenim quid cæteris fiet, si omnes qui ad Deum sta-  
 tuerint se conferre, illud unum iter, & illam ad cœlum perueniendi uiam fuerint in-  
 gressi: quis populum reliquum bonus author reget? quis uulgo moderabitur? quo  
 pastore uigilanti, & fideli custodientur oues? quis aut certare pro iustitia, aut arguere  
 improbitatem, aut iniquitati obuiam ire, aut tueri innocentiam conabitur? sint san-  
 cti isti, qui ab cōmunis uitæ strepitu, atq; concursu seiuncti sunt, qui ab mundo se  
 abalienauerunt, suntq; ad Deum unum mente animoq; conuersi: sint beati, sint ipsis  
 propemodum angelis, ut dicitur, pares: ego hos nimirum illis præpono, qui uersari  
 æqualiter cum reliquis constituerunt, qui morem illum precipue secuti sunt, quem à  
 quotidiana cōsuetudine uiderunt approbari, & cum externos cultus corporis, ordi-  
 nemq; totius uitæ similiter atq; cæteri susciperent, ac sectarentur: in ueritate tamen,  
 & integritate animi, & in ipso Deo præter cæteros permanserunt. Nec uero CHRIS-  
 TVS dominus hoc precipue genus, & hanc sectam hominum sese communi ui-  
 tæ dederunt, atque accommodantium non maiore aliquanto honore est profecus-  
 tus, qui cum Petrum antetulit Ioanni, iusq; eximie illi autoritatis, & curam, rectoris  
 nemq; ouium suarum attribuit, satis palam indicauit negociosam se, & laboriosam  
 uitam, huic tranquillæ, feriatæq; præferre. At enim labi isti facilius, & offendere pe-  
 riculosius, & sæpius abduci ab optimis institutis queunt, fateor: sed quis est sibi ipse  
 tam confidens, aut tam fortiter de cæteris audacterq; existimans, qui statuatur homi-  
 nem quocunq; è genere uitæ, quacunq; è ratione, alienum à periculis, & ab offen-  
 sionibus esse? fragilis est natura nostra, & uoluntas infirma, ut quam non solum im-  
 petus, & turbines externarum rerū, sed tacitæ ipsæ sæpe cogitationes quatiant, atq;  
 peruellant: quæ tamen dum in fini ipso constanter hæreat, ut ad Deum semper, & ad  
 primum bonum sit directa, in cursu ipso interdum si prolabatur, nequaquam illi in  
 partem peiorem est uertendum: aut ubi, quando ue erit diuinæ misericordiæ locus?  
 An uero ista uirtus misericordiæ tanta, & tam eximia, iners penitus in Deo, & uacua  
 censenda est? Iam qua ille sui parte, aut sibi melior, potentiorq; est, aut nobis commo-  
 dior, atque communior? cum si misericors ipse non sit, nos salui esse nequeamus: sin  
 autem nos perpetuo innocētes, illius inanis uideatur esse misericordia. At ea illi præ-  
 cipuam gloriam, nobis autem certiore semper salutem præbuit, quibus non inte-  
 gritate, & innocentia nostra, sed Dei clementia semper magis est nitendum. Quam-  
 obrem nemo quidem me ab hac uita occupata, & populari illa ratione deteruerit;  
 quod eam dicat lapsionibus, & periculis magis expositam esse: ut enim hoc ita sit,  
 tum fructus quidem ea certe ex se fert in aliorum salute procuranda uberiores, tum  
 ipsa duplici Dei præsidio munita est. Nam & uim illam recte agendi, recteq; sentien-  
 di hoc magis accipit ab summo Deo, quo ad difficiliore multo res, & ad duriora ui-  
 tæ impedimenta dimouenda conuersa est: & siquid aliquando titubauerit in cursu,  
 errandoq; deliquerit, per eiusdem Dei misericordiam purgata, atque absterfa, fit  
 splendidior, quam ulla humana accuratone aut diligentia potuisset splendescere.  
 Quod si ita est, neque ego secus esse existimo, quæso quanam ratione Paulus, & tu  
 cum Paulo Sadolete consentiens, omnem paulo antè Dei omnipotentis cultum ita  
 ad spiritum, & ad mentem redigebatis, ut nihil prorsus externis ceremonijs, nihil ocu-  
 lis, nec auribus, nihil communibus hominum sensibus reliquum faceretis? an omnis  
 omnino religio, omnis adorandi, uenerandiq; Dei ceremonia in ipsis intimis, abdi-  
 tisq; cogitationibus, & in tacita sola uoluntate constituenda est, neque est extrà si-  
 gnum aliquod, indiciumq; proferendum, quod inclusam nostram pietatem erga  
 Deum, ad oculos spectantium traducat, & deferat? Quid sibi ergo templa ista uo-  
 lunt, quæ tanto, & tam magnifico opere ubiq; ferè gentium, qua Christianum nos-  
 men in honore est, facta, atque ornata extant? Quid assiduæ in illis Deum personan-  
 tium, & pro populo rogantium sacerdotum preces? quid ipsi ordines, gradusq; sacer-  
 dotiorum? quid aræ, quid ignes, quid uestes luculentæ, & uariæ, atque (ut poëta in-  
 quit)



quit) auro, ostroq; rigentes: quas dum ad sacrificandum Deo se apparant, more solennitatis, atq; prisco induere sacerdotes solent, neq; putant fas sine illis in mysticis sacris tractandis Deo se offerre. Cantus uero, & uoces, & tibiae, & symphoniam chori celebrantes, tum autem minorum maioribus assurreciones, inter pares mutuae ceruicum inflexiones, amplexus, comprecationes, pacis oscula, quae cuncta à communi Ecclesia non adscita modo, atque recepta: uerum etiam praecipua, atque instituta omnibus sunt, non ne perspicue indicant cultum, & religionem in summum Deum, non solum in spiritualibus, & intimis adorationibus: uerum etiam externis in ceremonijs suscipi, & adhiberi oportere. Nam illud quidem credi nullo modo potest, quae spiritu Dei catholica Ecclesia regatur, eam ad haec agenda, atq; instituenda nullo bono consilio, sed inani, & irrita ratione fuisse motam. Itaq; ego nouos hosce haereticos, qui nuper exorti omnia perturbauerunt, non alio magis nomine esse detestandos censeo, q̄ quòd ritum hunc omnem, & communem Ecclesiae consentientis ceremoniam, quae in ordine quodam, & in pulcherrimo more sita est, suo quidq; loco, & suo tempore agenda, nec non ad agendum sic se unumquenq; uti legibus praescriptum est, aptandi, atq; apparandi, miscere penitus, & confundere sunt conati: ut cum hoc externum nostrae pietatis testimonium sustulissent, seq; ea ratione ab hominum oculis, & animaduersionibus quasi in occultum, & abditum recepissent: tum demum licentius gererent se erga Deum, atq; intestinae uoluntatis arbitrium, quod iam à populi conspectibus absconditum esset, ad quas uellent, tuto cupiditates conuerterent: atq; ij tamen haec Pauli uerba nos ad interiores cultus Dei semper reuocantis, & ab externis ostentationibus auocantis, suis temerarijs opinionibus praetendunt: quae equidem uerba si sic praecise intelligantur, cum magnam ea profectio perturbationem morum solennium, & statore, in Christiano populo paritura sint, lenius, & consideratius interpretanda censeo. Rursum & alio loco, quae praecipit Paulus, ut ne sapiamus plus q̄ oportet, sed sapiamus ad temperamentum, ne ue de nobis plus, aut de facultatibus nostris profiteamur, quam quantum consicij sumus posse à nobis praestari, atq; ut hanc ipsam conscientiam, non opinione elata, atq; inani, sed diuina ueritate metiamur: habet nimirum ista praecipio rationem illustrè, & splendidam, quòd hoc semper, & imprimis prouidet Apostolus, ne ad ostentationem nostri, & ad aucupandam populi famam delabamur, omissoq; Deo, & ueritate in imaginibus uanis, atq; umbris insistamus. Sed tamen si, ut uerbo positum est, ita nude intelligatur, multa accidant necesse est, quae sint societati hominum, & recte institutis coetibus, conuentibusq; damnosa. Quod sic mecum quaeso considerate. Accipite totam huius Pauli sententiae accipite ambiguitatem: etenim ita quaero, Quam metiri iubemur ex Deo facultatem nostrarum conscientiam, utrum eam ut comparatam cum Deo ipso metiamur, an ut ad homines conuersam? Si ut erga Deum, obsecro quis nostrorū est, aut cunctorum omnino hominum, modo is à mente sua, & à bono consilio penitus non sit derelictus, cui possit coram Deo aliquod suae facultatis, & purae, integræq; conscientiae uestigium reliquum uideri: qui non in illa infinita uirtute, si seipsum aduersus illam spectet, atq; expendat, omnes suos sensus, omnes intestinas animi cogitationes disperdi longe sentiat, & obrui, unaq; cum psalmo exclamet, atq; proferat, Ego sum uermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis: Non enim cuiquam est in oculis Dei sibi iure placendi, aut de se bene existimandi locus, quòd ut aduersus solem omne lumen tenebrae sunt: sic nosmetipsos Deo si comparemus, omnis ueritas humana mendacium est, & uitium, atq; labes, omnis nostra integritas: in tanto enim interuallo, quantum inter nostram, & Dei bonitatem interest, quod profecto immensum, & imperagrabile est, quae tantopere ab Deo, & tam longe discedit ratio, ea non amplius in se ipsa consistere, sed ad contrariam rationem adiungere se uidetur. Quare nemini est erga Deum de facultatibus suis, & de conscientiae fiducia quicquam existimandum, aut confidendum. Sin autem ut ad homines nos conuertimus, & nosmetipsos illis exhibemus, ita debemus esse cauti, ne plus de nobis alijs polliceamur, quam quantum idonei sumus praestare, ne ue falsas in ullis de nobis opiniones excitemus, sed fiduciam nostram suscipiendi aliquid, aut pmittendi ex Deo, & ex ueritate conscientiae metiamur, quod magis sentire uelle uidetur Paulus, ne sic quidem mihi uidetur



uidetur ista ratio simpliciter, & uniuerse accepta posse consistere: etenim multa sæpe usu ueniunt necessario, in quibus & uideri meliores quàm sumus, & plus ostentare, ac profiteri, quàm ualemus, & uirtuti nostræ, & bono mori, & cõmuni utilitati conducit, atque expedit. Vt, uerbi causa, in magistratu si quis constitutus sit, siue eum honoris gradum is obtineat, ex quo præcepto tantummodo, atque exemplo populum docere, & in uiam ueræ salutis inducere iubeatur, quales fermè sunt curatiõnes Ecclesiasticæ, atque potestates: siue etiam ius & auctoritatem habeat uindicandi in improbos, & terrore, ac metu hominum uitia, & facinora comprimendi, cui est potestati gladius uindex delictorum ab ipsis legibus datus, quæro ego à uobis, si utrunque imperium & hoc seuerum, atque uehemens, & illud moderatum ac mite, hac niti regula, & ad conscientiæ interioris ueritatem dirigere omnia, atque agere instituerit, num nam multa non uideatis inuectum iri damna, & detrimenta Reipublicæ? Primum qui in Ecclesiastico ordine cõstitutus, aliqua se macula, & labe delicti affectum senserit, quo ore audebit cæteros monere, atque hortari, ut se integros præbere Deo, & sacrificium iustitiæ illi studeant offerre, cum ipse ad conscientiam suam respiciens minus se idoneum doctorem ullius esse uirtutis cognouerit: quis libidine aliqua contaminatus, ad castitatem: quis amore pecuniæ æstuans, ad abstinentiam: quis elatior, ad humilitatem: contumacior, ad facilitatem: iracundior, ad lenitatem alterum recte poterit hortari: aut denique, quoniam rarum omnino, & penè inauditum est hominem quenquam existere, qui non peccato aliquo proprio laboret, & ad suum, ac peculiare quodpiam uitium non sit propensus, quis reperietur tanta animi confidentia præditus, si idem Paulo assentiri uoluerit, atque auscultare, qui audeat partem ullam, curamq; suscipere docendi cæteros, atque instituendi: cum etiam si nullius culpæ grauioris conscius sibi ipse sit, communem tamen conditionem infirmitatis humanæ horreat, atque extimescat necesse est, illamq; grauißimam offensionem reformidet, quæ ipsum quoq; Paulum sollicitum imprimis habebat, ne cum alijs prædicauerit, improbus ipse reperiat. Quod si ita sit, & hæc est Apostoli in hunc modum accipienda sententia, mitto reliquos gradus, ordinesq; Ecclesiasticos, quibus Ecclesia tota distincta, ornataq; est, tametsi omnes quidem illi ad exemplum, doctrinamq; bene agenda, & ad unius Dei studium dirigenda uite populo cuncto propositi sunt. Sed tamen mitto cæteros, Episcopatum ipsum specimen innocentia, normam totius uirtutis, magisterium fidei, pietatis, religionis, quisquam erit omniũ tam impudens, tam audax, tam confidentia, temeritateq; proiectus, qui aut ipse sibi petere, aut alijs gerendum, administrandumq; offerre, & suadere sustineat: quod quidem munus, & quæ curatio tanquam non ex hominum numero is sit, qui illam gerit, atque exercet, sed tanquam Deus, qui securus periculorum suorum, alienæ salutis custodem se profiteatur, ita cæteris consulere intendit, quasi qui ea præditus est, ab omni ipse cura, & solitudine de se uacuus, id solum curare debeat, ut alienis morbis, & offensionibus medeatur. Ac si illud tamen reliquum factum fuisset, ut quoniam quorum flagitia aperta, manifesta; sunt, horum in monendo, atque arguendo alios inanis est auctoritas, illis saltem liceret, fasq; esset, qui labe suas occultas cõtinere potuissent, aliorum perspicuas, & notas coercere, atq; in docendo, ac reprehendendo, tales foris se ostendere, quales profecto intus non essent, ut grauiores authores scilicet, & meliores esse, quàm re uera existerent, populo uiderentur: esset tum quoque exemplo & monitioni, & doctrinæ superiorum erga inferiores aliquis relictus locus. Nunc uero, cum omnis huiuscemodi actio, omnisq; professio ad interioris conscientia fidei, & regulam redacta sit, quis erit, cui non expediat, atq; adeo cui non necesse sit de seipso tantum laborare, de cæteris nullam curam gerere omnino: quod si fiat, & sibi priuatim omnes consulant, Reipublicæ autem nemo, sublatus statim ordo de uita, & temeritatis uindex magistratuum auctoritas perempta penitus sit, ex quo necesse sit omnium legum, atq; morum interitum, & perturbationem magnam sequi. Quod si non licitum est Christiano homini plus de se foris ostendere, quàm quantum intus se ualere intelligat, primum cur episcopis, & cæteris Christianæ religionis antistitibus adiuncta est iurisdicctio, cum episcopatus ipse humilitatē, & pietatem, & cultum unius

Dei,



Dei, Iurisdicção seueritatem, & ex seueritate metum improbis, nocentibus que requirat: Metus porro ut afferatur hominibus maleficis, facinorâq; coërceantur, sæpe necesse sit maiore quodam strepitu, & apparatu, quàm quanta sit nostræ potestatis uis, oculos spectantium, & sensus reliquos perfringere, atque occupare. Quod maxime in prophanis imperijs intueri licet, quæ fastum, & auctoritatem suam externis insignibus, atque ornamentis maxime adaugent, ut uideantur hominibus formidabiliore, quibus si lex ista imponatur, ut ne se ostentent populis, ne ue maiores, & robustiores, quàm re uera sint, apparere cæteris studeant, sæpenumero euerniat profecto, ut malorum hominum uis, nullo metu coërcente congregata, atque collecta, consensione bonorum, & ui magistratuum efficiatur potentior. Sed quid ego ista sigillatim colligo, cum liceat mihi uno in loco simul complecti omnia, atque profere: si illud dicam, quod necesse est dici, simulationem, & dissimulationem in omni uita tantam uim obtinere, ut sine illa nec agi quicquam recte, neque ordine administrari gubernatio ulla possit. Ac de dissimulando quidem uideo mihi ab omnibus concedi, etiam qui sacris doctrinis instituti, & præceptis Dei obedientes sunt. Nam cum crimina hi sua tegere, occultareq; iubentur, si qua forte ab sese clàm suscepta sint, ea re quidem, ut ne proximum suum, quem simulata foris bonitate in officio continent, si dissimulationem deponant, delinquendi, malo exemplo insuper lædant, atque corrumpant. Tum uero qui egregijs uirtutibus ornatos se intelligunt, suntq; innocentia, & integritate insignes, contra tamen ipsi de se loqui, & ueras à cæteris laudes auersari coguntur, ut ne incidant in elationis uitium, & populari gloria plusquàm satis opus sit, ducantur: ex quo & illud Euangelicum recte se habere uisum est, quo monemur à Domino, ut cum etiam omnia sedulo impleuerimus, dicamus tamen de nobis ipsis, quòd serui sumus inutiles. Simulatio uero ad singulas penè res si non adhibeatur, quid est tandem omnium rerum, quod possit ad optatum exitum, finemq; perducere? Nullum est uitæ communis commercium, nullum pactum conuentum, nulla communicatio, nullum belli, pacis uel fœdus, nullum consilium. Nec uero amicitia, societatis, connubij conciliatio est ulla, quæ si simulatio penitus absit, concludi rite queat aut confici. Multa enim uerbis simulare oportet, multa etiam factis, si ad nostrorum consiliorum rationes, & exitus cupimus peruenire. Atque ut in connubijs conciliandis, quoniam de his modo mentio facta est, eos qui interpretes sunt sponsalium paciscendorum multa nunciare citro, utroq; oportet, quæ ad mouendum, & persuadendum sunt idonea, ut de sponso, & de sponsa omnia bona loquantur, & utrorumque uirtutes in maius prædicando augeant: uitia uero si qua existunt, extenuent uehementer: aut si patiat res, dissimulent penitus, atque tegant: cui etiam rei munditia, elegantia, cultus, uestitusq; corporis seruiunt, & lenocinantur, idq; præcipue agunt, ut uideantur omnia uenustiora esse, & pulchriora profecto, quàm reapse sint: sic omnis tractatio, & communicatio uitæ, hominumq; inter ipsos conuictus, & participatio ueluti nuptiarum, conciliatio quædam est simulationum, & dissimulationum inuolucris quibusdam, & tanquam lenocinijs fucata, atq; illita, quæ si ad circumueniendum proximum intenta essent, equidem haud negarim improba esse, & ab ipsis legibus, magistratibusq; uindicanda. Verum cum nil confici probe, neq; ex hominum usu, & communis uitæ commodo tractari apte queat, si simulatio omnis absit, & dissimulatio, sitq; tota personata ferè uita, plus in uultu, & gestu, & omni corporis habitu de se ipsa ostendens, quàm quantum intus gerat, atq; possideat uirium, & facultatis, nequaquam ego putarim uitio dari debere, si quis sapere plus studeat ad populum, & inter cæteros, quàm fortasse sapiat sibi, uimq; & potestatem suam maiorem foris ostendat, quàm re uera illa sit, atq; id tamen agat cum ad salutem bonorum, tum ad terrorem, & poenam improborum, nisi Paulus nimirum hanc modestiam, temperantiamq; animi, & fugam totius ostentationis illis tantum hominibus præscribat, qui aut soli, aut cum paucis in aliquem cõclusum, & secretum locum se conferunt, ibiq; separati à populo, & ab hac uitæ agitatione communi disiuncti, Deo uni in pace, silentioq; deseruiunt. In his enim planè confiteor hæc instrumenta ciuilibus, & negotiosa uitæ, quæ in simulando, & dissimulando sita sunt, super-



uacanea penitus, & inutilia esse. Quod idem de externis censeo ceremonijs, atque his obseruationibus, ac ritibus, qui in Ecclesia palam adhibentur, quandoquidem his hominibus talibus, quos Græcis uocabulis monachos, eremitasq; appellamus, quorum quondam sanctitate, & frequentia Aegyptus imprimis enituisse dicitur, cum Deo uno ratio solum sit, qui puram tantummodo, & synceram postulat ueritatem, omnemq; quod præterea est, inane, & uacuum esse ducit. Nobis uero in turba, populo que uersantibus illa est uitæ ordine degendæ suscipienda ratio, ut quoniam homines sensibus fere magis, quam intelligentia, menteq; mouentur, ea inter eos rerum gerendarum instrumenta nobis aduocemus, quæ ad suadendum, & dissuadendum maiorem quamdam ostentationem foris præferant, quam contineant intus ueritatem, si proprium recte agendi, ordineq; uiuendi modum & tenere ipsi uolumus, & cæteris tradere, atq; insinuare. *QVAE CVM DIXISSET* Langeus: tum Triultius, qui attentissimo animo omnem exceperat illius orationem, ad me conuersus, Quam diserte, & copiose Langeus, inquit, ea de quibus dubitabat in Paulo, oratione persecutus est, nec uero ego aliter de eo unquam existimaui, semperq; ita sensi, quicquid hic dicere instituisset, eum non modo id fortiter, atque prudenter, uerum etiam ornate, docteq; esse dicturum. Noui enim excellens huius ingenium, noui etiã studium. Quanquam hæc quidem laus cum fratribus ipsius communis est. Sunt enim omnes ex eadem disciplina ad omnem uirtutis excellentiam instructi. Ex quibus uideo à te plurimum Sadolete diligi, maximoq; opere probari eum, qui mihi quoq; & omnibus mirifice probatus est, Ioannem Bellaium Episcopum Baionæ, cuius præstantissimum ingenium, & uirtus, & fidelitas apud regem magno iam in honore est: estq; illi aditus ad omnem amplissimam dignitatem merito patefactus. Sed ut de hominibus loqui omittamus, ueniamus ad ea, quæ ab isto dicta sunt. Duo enim uideo Langee à te fuisse posita, unum quod cultum hunc omnipotentis Dei, & obseruantiam sanctæ religionis in externis quoq; ritibus, & ceremonijs recte adhiberi putas, in quo ego tibi nimirum assentior, istaq; signa, & indicia Christianæ pietatis, quæ ab intestina ueritate egressa oculos, & sensus hominum foris impellunt, in communem Ecclesiæ morem inducta uehementissime probo, audaciamq; & temeritatem horum hæreticorum coarguo, qui ista perturbare, confundereq; sunt conati. Alterum illud tuum est, quod cum Paulus neminem sinat in suscipiendo aliquid, aut in pollicendo plus de se profiteri, quam præstare sit idoneus, uelitq; ut unusquisq; à conscientia suæ lege, atq; fide ne tantulum quidem discedat, tu simulationem, & dissimulationem in uita non modo commendam, atq; sanctam, uerum etiam necessariam esse affirmasti, quippe sine qua (sic enim es locutus) nec geri, aut administrari unquam recte, nec ad optimos exitus perducii ulla res possit: quod uideri cuiquam fortasse possit Pauli esse uerbis, sententiæq; contrarium, quanquam de isto post uidero. Nunc de externis cultibus, ceremonijsq; dicamus ea, quæ ad rem putamus pertinere. Non enim nescij sumus ubique fere locorum Paulum ita conuellere, elidereq; ceremonias, ut nullam omnino partem in pietate colenda, nullum eis locum relinquere uideatur. Nam & Moysis legem semper infringit, & eleuat, quæ tota ferme est in cultibus, & ritibus ceremoniarum occupata, & totos illos mores sacrorum, holocausta uictimarum, ornatus templorum, ac sacerdotum, cætera quoque in lege sancta, atque præscripta, cuncta propemodum reijcit, quæ quidem sunt hominum sensibus, aspectibusq; exposita, cuiusmodi circumcisio est, & sabbatorum obseruatio, & ciborum, dierumq; distinctio. Atque ita reijcit, ut in uno illo cultu, & conuersu ad summum Deum, quo se effectori tantum suo applicat interior, & rationalis homo, omnem sitam esse ostendat ueram aduersus Deum religionem, atque fidem. Non ignoro, inquam, ista, Paulumq; uelut fortem athletam maxime contra legem decertasse intelligo, ut illius autoritate deiecta, alibi quam in templo, & legis ceremonijs, Dei colens & metuens homo, suam esse salutem locatam intelligeret. Sed nos hanc rationem sic exponamus, ac primum illud dicamus, quod & maxime uerum est, & imprimis necessarium, totum hunc cultum omnipotentis Dei, totam pietatis uim, ac religionis, per quam homo cum Deo reuera coniunctus est, &



est, & illius numini, ac maiestati deditus, in mente, & spiritu, & in ipsa intestina uoluntate consistere. Etenim si hæc ipsa sola satis est, quæ nos cum Deo copulet, atque coniungat, cætera autem, quæ extrâ sunt, si ab hac mente, & uoluntate deserantur, nihil omnino sunt omnia, neque quicquam, quod ullius sit momenti afferunt ad promerendam gratiam, & misericordiam summi Dei. Quis dubitet, quorum unū idoneum per se est ad agendum aliquid, & conficiendum, alterum uero sine isto ad eandem rem præstandam nullam uim habet, quin eius, quod oporteat agi tota uis, & potestas posita in eo sit, quod solum per se ad id efficiendum est accommodum. Nec uero Paulus solum, in hoc spiritu semper, & in hac ueritate mentis insistit. Sed & Samaritanæ mulieri Dominus diligenter percunctanti, utro potius in loco adorare Deum conueniret, in monte ne eo, in quo præci adorauerant patres, an in templo Hierosolymis, respondit neutroibi amplius Deum adorari oportere, sed uenturos adoratores, qui adoraturi eum essent in spiritu, & ueritate. Quo responso plane ostendit sibi non esse cordi locorum religiones, neque rituum ceremonias: sed mentis, cordisq; affectum qui mentiri sibi ipse, & simulando suscipi non potest, ab se præcipue quæri. Cui ergo rei, dixerit quispiam, ceremoniæ istæ sunt, gradusq; ordinum, & cœtus templorum, & genuum flexiones, & symphonix in templis, & thuribula, aut quem pietatis fructum afferunt, si sunt à Domino, & à præcone Domini Paulo repudiata, atque abiecta? hoc enim esse arbitror, quod turbatores Ecclesiæ induxit in fraudem, uel potius fraudi illorum, & temeritati ansam præbuit, quam nacti ipsi, sibi uisi sunt, non tam ceremonias (has enim haud ita grauius oderunt) quam Ecclesiam catholicam, cui sunt inimicissimi, ornatam ceremonijs, & sese in illis insigniorem exhibentem posse euertere, ad nihilum que redigere. Quibus nos dicamus: Quod cum mens & ratio in hoc nobiscum corpore simul conclusa sit, atque ita diuino numine copulata, ut quoad Deum idem, qui nos effecit, & condidit, hanc ipsamet animæ, corporis que iunctionem diremerit, uinculum que mortalis uitæ dissoluerit, debeat ea interea totam hominis molem regere, & sustinere, illamq; secum, in quam ipsa cunque partem se uerterit, trahere, atque conuertere, nequaquam esse abhorrens, neque alienas piæ, ac religiosæ menti habendas ceremonias, quibus dominam suam rationem corpus tendentem ad Deum, & ad illum propius applicare se cupientem, suis & ipsum motibus, suis compositionibus, & figuris, suo habitu, gestu subsequi conetur, quippe quod capiti, & duci suo obsecundans ad imperium illius præsto sit, paratumq; se exhibeat. Quod si mens nuda esset ipsa in sese, & nullo membrorum inuolucro irretita, aut etiam si iuncta, & implicata cum corpore, sola tamen agere per se, & sine corporis adminiculo moueri, ac niti ad summum Deum posset: essent fortassis externæ corporis gestiones ad colendum, & uenerandum Deum minus necessariæ. Cum uero illis imaginibus rerum corporearum, quæ per uarios sensus in anima impressæ corpoream semper menti, & cogitationi nostræ suggerunt naturam, ratio ipsa ita nittatur, ut quam diu in hac uita sit, his tanquam fundamentis, & gradibus sublata, sic demum scandere in coelum, & se constituere in summo bono posse uideatur: cumq; illæ ipsæ imagines, quæ menti Deum contemplanti subseruiunt, eadem sint corporis, & membrorum dominæ ad ducendum illud, atque flectendum in quam uisum fuerit partem, quis est tam auersus à uero, qui has in corpore, & motu corporis ceremonias, mentis iudicio, & uoluntati parentes, illius que ueritatem, & sinceritatem consequentes, alienas esse à pietate audeat dicere? cum præsertim eadem ueritas, quæ animum, & uoluntatem erga Deum commouit, corpus unâ cum uoluntate, eodem motu impellat, unam que ac inter se connexam secum trahat seriem, & mentis Deo se summittentis, & corporis mentem tanquam dominam sequentis. Quod si in omnibus planè agendis, tractandis, considerandis que rebus, corporis consensu, & ministerio animus utitur, num in adorando, & uenerando Deo illius tantum reiiciet societatem, consensumq; nihil ducet? & hac una in re agenda duntaxat ab illo se segregabit? Qui etsi ab Deo Dominus ipse corporis est creatus, corpus tamen ab eodem authore factum, atque compactum, socium secum eiusdem humilitatis, & erga Deum obseruantix non debet repudiare. Iure itaque nos, neque id



natura solum, sed cōsilio etiam per bono ita motum mentis, motionibus corporis affectuimus, ut siue animus peccati, & culpæ conscius prosterneat se, atque abiciat coram Deo, corpus eundem gestum, eundemque actum subeat, atque conficiat, siue agendis pro accepto beneficio gratijs mentem ad Deum, cogitationemque tollamus, eandem ad Deum sublationem uultus, oculi, manusque sequatur: siue quid quoquo modo studeat animus, atque decernat repente, tanquam in speculo: sic in corporis motu, illud intestinum animi consilium, uoluntasque cernatur. Iam illæ pectorum percussiones, capitum inclinationes, genuum inflexiones, quæ passim in communi Ecclesia adhibentur, imitationes sunt, & simulacra animi uarios in se affectus erga Deum suscipientis, quæ si falso, & per simulationem usurparentur, essentque ementita, atque ficta, maximum nimis hoc crimen, & nefaria improbitas consceleratæ mentis existeret. Sed si ita habet se intus res, si est uoluntas conuersa rite ad Deum, si animus, si mens, si ratio in ipso Deo uere collocata est, cur repellamus corpus à pietatis huius, atque aduersus Deum uenerationis consortio: quod præsertim huic rei factum, natumque est, ut præceptionibus animi, & imperijs, eius opera, & ministratio semper parata sit? An cum & ipsum in partem gloriæ, & immortalitatis uenturum aliquando apud Deum sit, non in hac uita cupiditatem quoque eius rei suam aliquibus signis præferet? Non gratias aget conditori suo: non illum colet, quibus poterit modis, ac uenerabitur? Non est profecto ne corporis quidem ipsius humilitas, ac reuerentia Deo ipsi ingrata, qui se ita colit, atque appeti ab omnibus creatis rebus uult, quantum est in unaquaque re naturæ ad id faciendum, & facultatis, in quo tamen genere corpus præsertim humanum naturis cæteris antecellit, ut quod etiam si ipsum ratio non sit, domestica tamen ratione, atque mente regatur, ac moueatur. Itaque ipsum iure spiritus sancti templum appellat Paulus, idemque cum assiduas preces, obsecrationesque exigit ut omni tempore fundamus ad summum Deum, non ne mentem in illis precibus e suis penetralibus sedibus egressam in uocem, & in labia iubet progredi: corporisque sibi usum, & ministerium aduocare? Nam quod detecto capite uiros, uelata coma mulieres in Ecclesia uult esse, num non ad externas iam id pertinet ceremonias? Ieiunium uero, & decimarum Deo dicatio, percussioque pectoris, necnon deiectus oculorum in terram, orisque demissio, quæ sunt cuncta in publicano illo ueniam sibi à Deo deprecante per Dominum IESVM CHRISTVM exposita, & comprobata, non ne in corpore testimonia sunt animi cum Deo rationes suas pie conferentis? Quanquam quid ego singula colligo potius, quam illud uniuersum proloquor, cultum & uenerationem summi Dei cum in anima, & in corde uere susceptus sit, etiam in corpore propè necessario suscipi: tum quia corpus animam, tanquam imago semper sequitur, tum quoniam æquum, rectumque est, ut tota nostra creatio, quæ ab Deo simul effecta, compactaque est, simul etiam auctori suo & conditori agat gratias, cum præsertim, si ueritas ea, quæ animum in Deum commouit, eadem & corpus ad affectus animi imitandos moueat, non queat extraneum, neque alienum dici, quod ductum ab animo, & eadem cum illo ueritate conflatum in unam, atque eandem conuenit operationem. Sed de his corporis gestibus, & ceremonijs, quæ sunt animi motibus, & uoluntatibus adiunctiores, non tam acris fortasse apud litigiosos homines quæstio sit, etsi hæretici prorsus eas omnes repudiasse uisi sunt, cultumque, & studium omnipotentis Dei, in una tantum fidei professione posuisse: Veruntamen non tam forte illi in his obijciendis insistant. Illæ sunt ab illis in contemptum, atque irrisionem ceremoniarum præcipue uocata, quæ longius etiam à corpore progredientes, in sacramentis ecclesiasticis, in ordinum distributionibus, in apparatus, in tempore, in cultu, & ornatu corporum, denique in toto isto ordine, quid, à quo, quo tempore, quo uel pacto suscipi, agi, tractarique conueniat, posita, & constituta sunt. De quibus si uelim singula enucleate persequi, dies me deficiat. Nam & horum gradus omnes hi sustulerunt, ut non parem solum sacerdotem Episcopo, sed Christianum hominem quemlibet sacerdoti esse constituerint. Ex quo omnis illis non modo distinctio ordinum, sed ratio etiam, religioque consecrandi, per quam uarijs modis, & ritibus ipsi ordines discernuntur, habentque diuisas inter se, & separatas potestates, penitus repudiata est, & id, quod maxime nituntur, & quod præcipue anhelant, regale



regale summi pontificatus sacerdotium ex catholica Ecclesia conati sunt auferre, qua mente, & quo consilio, satis ipsi de se indicant, qui leuibus quibusdam argumentis, & rationibus innixi, cum graues aliorum, & solidas rationes audire non perferant, ea temeritate, uesaniaque feruntur, ut ingerendis contumelijs, clamoreque profundendo maleuolentiam maxime expromant suam. Nihil enim, neque euidentius est à Christo IESU Domino nostro, nec populis fidelibus salutarius constitutum, quam ut unus dux, & unum caput communis Ecclesiae sit. Quod, si publici commodi ratio est ducenda, ceteros omnes in fide una, & ueritate, & bono ordine contineat, cum id quidem alia ratione non modo recte fieri, sed omnino fieri nec possit. Si uero uis altioris mysterij attendenda est, quemadmodum corpus reliquum militantis in hoc seculo, & quasi peregrinantis Ecclesiae ad illius, quae in caelesti patria triumphat, imitationem, atque formam distinctum, ornatumque est, quod legitur Moyse Deum praecipisse, ut tabernaculum, omnemque ornatum tabernaculi & apparatus, ad exemplum formae illius efficeret, quae fuerat illi in monte demonstrata: quemadmodum, inquam, haec quae in terris est Ecclesia, caelestem illam Ecclesiam imagine, & simulacro in ceteris partibus refert, sic in hac caput aliquod, quod illius capiti respondeat, necessario est dandum. Non enim aliter integra, neque absoluta sit similitudo. Vt uero aut corpus hoc ueluti truncum sine capite, aut illud in caelo caput duorum corporum idem, atque unum esse possit: utrunque horum non solum incongruum, abhorrensque est, sed monstri etiam simile. Nihil autem conuenit esse diuina in rebus constituendis, atque ornandis uirtute, bonitate, prouidentiaque perfectius. Nam quod idem, qui caput est Ecclesiae caelestis CHRISTVS, terrenae etiam huius coniunctum, atque haerens esse possit, unaque, & eadem opera, & triumphator simul, & miles, & in uia, & in patria esse intelligatur, ne concipi quidem cogitatione ulla potest. Sed nos sigillatim ista non excutimus, de uniuerso genere caerimoniarum huiusmodi loquimur, quae etiamsi ab animo sunt remotiores, & à corpore quoque dissociatae, ut iam alienae, atque extraneae iure uocari posse uideantur, nec ullam praesferant illustrem, & perspicuam ad Deum se adiungendi, & illius numini rite deseruiendi necessitatem: tamen in illa semper ratione, & sententia positae fuerunt, ut per eas rudiorum hominum, & sensu magis, quam ratione se mouentium mentes in animaduersionem summi Dei, & ad studium colendae pietatis adducerentur. Ita duplex ordo rituum, ac caerimoniarum inductus est. Sunt enim quae à ueritate mentis profectae caerimoniae in corpore ipso continuo, & in his, quae iuncta sunt corpori suscipiantur, quas nos semper pias, semper sanctas, & salutare esse dicimus. Quod genus preces, Deique inuocationes sunt, & sublationes, deuotionesque uultuum, & oculorum, & capitis, corporis, genuum flexiones, in quibus summum bonum est ueritas, summum scelus, simulatio. Sunt item è contrario, quae non magis à ueritate proficiuntur, quam aspirant, & contendunt ipsae ad ueritatem, cuiusmodi istae iam existunt exteriores, quae in templis, ornatibusque templorum in uarietate ordinum, in ritu quorundam sacrorum, in cantibus, in uestibus, in festorum dierum celebrationibus sitae sunt, quarum omnis tractatio, & actio ad doctrinam, & eruditionem populi sumpta, atque instituta est. Sunt enim plerique homines profecto, atque utinam non maxima multo hominum pars, qui cum suis cogitationibus excitari, atque adduci ad Deum agnoscendum, & ad illius eximiam benignitatem erga nos intelligendam, gratiasque illi pro facultate agendas non queant, his externis rebus, atque exemplis, quae in oculos incurrunt, quae sensibus offeruntur, pulsati sapientius, & admoniti, curam, & meditationem aliquam suscipiant Christiano homine dignam. Quorum in animos, intimasque mentes haec simulacra fidei, ac pietatis, tanquam à foribus sensuum infarcienda sunt, ut possit deinde in illis uera aliquando fides, & pietas aduersus Deum sedem sibi, & locum domicilio constituere. Haec si me quispiam, num ad salutem sint necessaria interroget, distinguam, & respondebo, aut de homine eo agi, qui suo ipse iudicio Dei uenerationi sit deditus, & hunc hominem fatebor, etiam si nunquam in celebritate uixerit, etiam si nil horum unquam fuerit conspicuus, in quantumuis deserta regione, in solo loco, amabilem Deo, & gratum effici posse. Aut si de populo mentio habeatur, & de eo genere hominum, quod sane plurimum, & frequentissimum est, quod affectionibus animi magis regitur,



quàm consilijs, habetq; sibi non quomodo recte Deum colat, sed quemadmodum licenter, & suo arbitratu uiuat præcipue propositum; huic ego hominum generi, inſta bo & contendam nõ solum utilia, sed neceſſaria etiã huiusmodi eſſe ceremoniarum documenta, quæ per auditum, & uisum animos ſpectatiũ commoueant, ut Dei eſſe uelint ſtudioſi, ac colentes, quod uel in primis formæ, & ſimulacra diuorum ex mar- more, aut ex ære ducta, aut in tabulis, parietibusq; depicta facere intelligũtur, in que impij homines eo intemperantius, furioſiusq; debacchati ſunt, cum ea è templis, atq; delubris, è locis ſacris, prophanisq; omnibus eiſcerent, & abolerẽt, quo per illa acrius admonebantur, ut continentia, & innocentia, necnon omnis patientia & ſobrietatis uellent eſſe memores. Sancte igitur & ſapienter hæc omnia à communi Eccleſia indi- cta, obſeruataq; eſſe dico. Siquidem Chriſtiana proprium eſt pietatis nõ quenquam uelle ſibi ſoli regnum Dei quærere, ſed cupere reliquos omneis eiũdem ſecum boni eſſe participes. Hæreticosq; qui iſta perturbare, & uiolare auſi ſunt, non modo repre- henſione, uerum etiã poena dignos iudico, qui præſertim quotidianum quoq; rei diuina ſacrificium commutauerunt, ſublatis ex illo ſolenni ritu partibus quibuſdã, alijsq; inductis, in quo mirari ſatis non queo, quidnam ab illis fuerit ſpectatum. Ceri- monias deſpexerũt: Cur alium ipſi ritum, & modum alium ceremonijs ſtatuere? An improbarunt, quæ à Romanis Pontificibus ſtatuta, & à fidelũ cœtu adſcita antè fue- rant: quæ iſta tanta fuit audacia: quæ temeritas: Quis illis hoc dedit negocij: quis po- teſtatem, & authoritatem tribuit: Non ne patet, perſpicuumq; eſt conſilia eiũſmodi non ab Deo, neq; ab amore Dei, ſed à libidine eſſe, & ab arrogantiã profecta: Quod ſi paſſim licitum fuerit ad ſuum cuique arbitrium confundere omnia, & permiscere, non ne ordine ſublato, & antiquatis, ac conculcatis legibus omnibus, non in ſocietas te, & conuentu hominum, ſed inter ſeras degere ſatiũ multo fuerit? Nam quod ſa- cramenta Eccleſia unicuiq; conficere liberum eſſe uoluerunt, non ne ſuſtulerũt om- nes gradus: Confuderunt omnes ordines? Cur ergo non omnibus omnia conficere erit licitum: quod ſi fiat, ubi diſpertita ſunt dona ſpiritus ſancti? Vbi erit oculus in corpore, ſi totum ſit manus: aut ubi caput, ſi totũ eiũſdẽ modi corpus? Verũ nos ab iſtorum iam abeamus reprehentione, quos nec ratio unquam ulla edocuit, nec caſti- gatio fecit meliores, ad has de quibus ſermo nobis eſt, ceremonias reuertamur. Quarum maxima ſemper fuit apud Iudæos, & inſtituendarum accuratio, & obſeruatio inſtitutarum. De illis loquor, quæ ad Deum agnoſcendum, meliusq; colendum, tan- quam ad finem referuntur, atq; ab externis ſenſibus in animum ingreſſæ, Dei in illo curas, & cogitationes aliquas excitant. Hæ enim ſine dubio acceptæ, adſcitæq; ab Iu- dæis in Eccleſiam noſtram translatae ſunt, eadem apud illos monſtrante Deo inuen- ta, atq; præceptæ, quæ ſi haberentur inutiles, nequaquam illæ profecto tanti autho- ritate doctoris, quantus Deus eſt, ad conſtringendos hominum religione animos cõ- probatae fuiſſent. Itaq; & in ſacris literis ſpiritus ſanctus per Dauidem nos deum lau- dare iubet, neq; eum in ipſo duntaxat, & in diuinis uirtutibus eiũs, rebusq; omnibus ab eodem creatis: ſed & in ſono tubæ laudate eum, inquit, & in pſalterio, ac cithara, & in tympano ac choro, in ſidibus, & tibijs, in cymbalis lætitiæ, atq; ad extremum, Om- nis ſpiritus laudato dominum, inquit. At enim quid ita eas tãtopere refellit Paulus, omnibusq; modis illarum uſum, obſeruantiãq; inſectatur, atq; redarguit: Videnda eſt nobis Apoſtoli mens, & conſilium certè hominis ratione altius. Ac cum illud qui- dem dici poteſt, quod ſæpenumero & à multis eſt dictum, idcirco argui à Paulo ceri- monias, quod homines ueritatis & Dei rite colendi penitus ignari non in ſpiritualli illa, inſtinaq; adoratione, ſed in his, quæ extrã poſita ſunt, ſacrificijs, mundicijs, pur- gationibus, totum illius cultum & pietatem ueram poſitam eſſe arbitrabantur: quos ille ab errore retrahere cum cuperet, contrariam ipſe uiam & rationem eſt ingreſſus, ut penitus deſpiceret, abſiceretq; ceremonias, & religionis, ac fidei erga Deum uerita- tem in una ipſa mente, ac uoluntate cõſtitueret. Et re uera in quibus eſt hic error, ut placare, & conciliare ſibi Deum his externis rebus, & ritibus arbitrentur, non eſt in his huiusmodi religio magiſtra pietatis, ſed incitamentũ potius criminis. Licere enim ſibi iſti putant impune circumuenire proximum, & ſpoliare hoſpitem, & ſuis prauis cupidi



cupiditatibus indulgere, qui iram Dei forte aliqua re contra se concitatam non mœ-  
 rore cordis, neq; pœnitentiâ repudiationeq; peccati, sed paruulo sumptu uictimæ, aut  
 asperione cineris confidunt se redempturos, quales e numero nostror; nonnulli etiã  
 sunt, qui posteaquã notos omnes atq; uicinos fœnore expilauerunt, remq; undecũq;  
 quacuncq; ratione coaceruarunt, si heredem demum iusserint facellum aliquod inædi-  
 ficare, statasq; in eo precatones & sacrificia Deo constituere, purgatos se, & mundos  
 ex hac discedere uita arbitrantur. Hac ergo quidem etiam de causa ritus legis, & ceri-  
 monias aspernabatur Paulus: sed erat ratio alia subtilior, eademq; magis efficax, quã-  
 obrem hoc illi faciendum necessario esset. Etenim si illæ ludæorum ceremoniæ ex eo  
 erant genere, quod non ab intestina mentis manat ueritate, sed ipsam menti ueritatẽ  
 potius insinuat, fuerantq; illi genti præcipue ob eam rem data, atq; præceptæ, ut po-  
 pulus ille suapte natura durior, & terreno sensu præditus, fingeretur paulatim tanq;  
 manu, atq; illis figuris, significationibusq; erudiretur, quo aduentante postea Dei fi-  
 lio, & perspiciuam omnibus salutem, ac pietatem ueram erga Deum afferente, intelli-  
 geretur statim diuinum cõsiliu, atq; admitteretur. Siquidẽ finis legis Christus, & ri-  
 tus illi, obseruantiaq; ludæor; tanq; imagines erant futuræ ueritatis, gens peruersa,  
 & contumax illis ceremonijs imbuta, & aliuefacta, ubi à simulacris transeundũ ad ue-  
 ritatem, & in fini ipso cõquiescendum fuit, reuuit eò transduci, quò toto illo cursu su-  
 periorum temporum, apparatusq; ceremoniarum cõtendisse uidebatur. Igitur Paulus  
 cupientissimus illorum salutis, & prauam ignorantiam generis sui ægrefrens, omni  
 ope infringit, labefactatq; ceremonias. Quippe quas intuetur non adiumento illis ad  
 animaduertẽdam ueritatem, sed ad eandem ueritatẽ & cognoscendã, & accipiendam  
 maximo potius impedimento esse, quando illi quidẽ sapiens Dei, & salutare in ipsis  
 erudiendis consiliu sua stultitia, pertinaciaq; peruerteret. Hac Paulo causa, & ratio  
 inimicitiarum aduersus legis ceremonias fuit, cũ eas niteretur infringere, atq; deijce-  
 re, quæ aditũ Christo & fidei Christi intercludebant. Quam etiã amentiam ludæor;  
 & cæcitatẽ illi cõfirmabant, qui pseudo apostoli fidem Christi prædicãtes eã aiebãt  
 cum ceremonijs legis iũgi oportere, quos cõtra ubiq; quidẽ acriter, sed in epistola ad  
 Galatas præcipue inuehitur Paulus: ostendens si cir cũcisio, & legis opera admittan-  
 tur, inanem ad salutem fore Christum. Et sanẽ ita est, ut si uia aliqua inita sit, qua per-  
 ueniat in oppidũ, & cũ ad mœnia, portasq; accesseris, retro rursus te referas, quòd  
 in itinere faciundo, nõ in eo, quò accedebas oppido finem te uia adepturũ, ad quem  
 cõtendebas, existimes, stultus nimirũ sis, & aut monitione, si leuis, aut conuictio etiã,  
 si pertinax, redarguendus: sic qui ceremonijs tanq; itineribus ad Christum ducebantur,  
 cum iam uenissent ad ultimum, Christumq; in manibus haberent, repente auersi  
 & ad easdem se ceremonias referentes grauius a Paulo fuerunt obiurgandi, illæq; ele-  
 uandæ, & despiciendæ ceremoniæ, quæ se ludæis duces ad ueritatem professæ maiore  
 illos in errore constituiebant. H I C E G O uere, inquam, hoc Triulti abs te dictum  
 est, tibiq; ego uehementer assentior, legis ceremonias ex genere eo fuisse, quòd cũ ten-  
 deret ad ueritatem, inueta mox ueritate inane factũ sit. Etenim illæ eiusmodi cerimo-  
 niæ nõ ad Deum primo, neq; potissimũ, sed ad Christum cõtendebant, ut cũ in illo se  
 terminassent, cõsumptæq; essent, tum ueriores deinde in eo, & sanctiores ad Deum se  
 conuerterent. Nostræ uero ex eo sunt genere, quòd nõ flexu aliquo, sed curriculo re-  
 ctã ad Deum nos deducat, si qui hac tamen deductione indigeant, quæ certe pars mul-  
 to maxima est. Quapropter de illis sic statuo, de eis loquor ceremonijs, quæ ad insi-  
 nuandam tantũmodo pietatem in rudes animos à cõmuni ecclesia constitutę sunt, cu-  
 iusmodi uarietas symphoniæ est, & cantus in templis altior, & diuitiæ, ornatusq; fa-  
 norum, & sacerdotum, has ob eam rem potissimũ inuentas, ut quę ratiocinatione sua  
 mens ad intelligẽdum Deum, pieq; eum colendũ minus adducitur, eadẽ hisce rebus,  
 ac sensibus ueluti manibus pulsata, & admonita, ad benignitatẽ summi Dei, suãq;  
 ex illo animaduertendã sperandamq; salutẽ fiat aptior: quę certe cum edocta est, am-  
 plius harum rerũ non egeret, si nõ maximã semper multitudinẽ his rebus doceri, eru-  
 diriq; esset necesse: quanq; ne illud quidẽ nõ proficit eruditus, ut quibus adminiculis  
 in sanctas cogitationes sublatis sunt, per eadẽ subsidia, & ueluti firmamẽta in illis cõti-  
 neantur



neantur. Quòd igitur unusquisq; in optima mente erga Deum uel ponendus est, uel retinendus, iure usum huiusmodi ceremoniarum & semper coluit, & nunc diligenter tuetur ecclesia. Equidem recordor haud ita multis annis cum duo doctissimi, & sapientissimi uiri Thomas Caietanus, & Egidius Viterbiensis tecum unà in senatū, & in istum amplissimum Cardinalium ordinem cooptati essent, suamq; pristinā dignitatem, quam quemadmodum tute scis, laudibus doctrinæ, & integritatis insignē obtinebant, hoc etiam honore illustriorem fecissent, me ad eos gratulatū tunc accessisse, sermonemq; inter nos protinus inductum fuisse, quid purpura ista, & amictus, & comitum stipatio ad ius, & ad causam religionis ualeret: in quo uidebam illos consentire, hæc ipsa ornamenta status, & dignitatis, si quis illos tantum spectet, quibus commissa sunt, inania ad pietatis fructum existere; si uero multitudinis, & eorum, qui ut in officio contineantur, superiorum indigent cura, ratio ducenda sit, ad communem religionem conseruandam uehementer esse utilia. Quam ego illorum sententiā, & quæ præterea de communi genere ceremoniarum, ac de illis Iudaicis quoq; ritibus ab illis dicta sunt, ualde tum me probare memini. Etenim cum tales ambo sint, ut etiam si rationem nullam sui dicti redderēt, authoritate tamen quemuis commouere possent, tum his utebantur rationibus, & argumentis, quæ abs te modo Triulti exposita planè ad probandum ualida esse & firma intelligo. Illud abs te præterea subtilius cognoui dictum, quòd non iudicio solum, sed stomacho etiā quodam sancto, atq; iusto adductus Paulus grauius contra legis ceremonias inuectus esset, quòd illarum cultus, & obseruantias apud obstinatos Iudæorum animos intelligentiæ fidei, & communi gentium salutī non parum intelligeret obstare. **AT QVI, INQVIT ILLE,** si hæc uera sunt, uti certe sunt, aliquidq; suscipi rectè licet, quod in seipso minus syncerum, atq; uerum, cæteris tamen ad ueram, & sanctam conducatur utilitatē: soluta iam altera Lanægei quæstio est, qua ille simulationem, & dissimulationem in uita tanquam necessariā ad plurimas res gerendas esse admittendā existimat, quod tamē Paulo uideatur esse contrarium. Sapere enim unumquemq; tantum, quantum solum oportet, nec plus suscipere curationis, aut negocij, quàm quod probare fidei, & cōscientiæ suæ possit, quæ quidem ipsa conscientia ex Deo etiam, non ex animi sui studio cuiq; sit dimetienda. Ad id ego præcipue existimo pertinere, ut non aliorum utilitatem, quæ simulatio sæpe, & dissimulatio à rectoribus probis, & prudētibus curanda est, sed propriam cuiusq; auiditatem gloriæ, & ambitionem sese ostentandi, atq; ingerendi hoc Pauli præcepto putem esse repressam, quandoquidem hoc ambitiosæ cupiditatis genere nihil Christianæ humilitati, & inter fratres concordia, ac consensio possit esse infestius. Nam quæ ad commodum, & fructum aliorum suscipitur simulatio, siue ea ad inducendum hominum mentes in studium sanctæ, & rectæ religionis, siue ad eosdē ab aliis quo crimine, & uitio deducendum suscepta sit, siue eadem ob rem illam, causamq; sumatur, ut occultatis proprijs cuiq; & peculiaribus peccatis, malo exemplo cæteri ad peccandum ne prouocentur, siue quoquo modo quis simulat, ut simulatione ea reliqui meliores, prudentioresq; efficiantur; nihil autē ex ea simulatione ad illū ipsum qui simulat, aduentitiæ gloriæ, utilitatisq; referatur, sed sit totum illud cōsiliū simulandi, aut dissimulandi ad æquum, ad bonum, ad commodum cæterorum, ad laudem, gloriamq; Dei intentum, atq; susceptum, nunquam ego simulationem eiusmodi, aut ab Apostolo interdictam, aut Deo, & conscientia aduersariam cōfitebor, quippe quā uideo planè non participē esse uanitatis, sed ministram potius, & comitem ueritatis. Et si enim in progrediendo ea, & in agendo contrahat forsitan aliquid extrinsecus futatae apparationis, quo perstringat animos intuentium, eosq; habere possit in potestate; tamen cum ab optimo profecta animo, ad optimū item, & cæteris salutarem cōtendat finem, quæ in extremo & primo proba est, ne in medijs quidem degenerare est existimanda. Nec uero quicquam foras egredi falsum ex animo, aut reprehendendū potest, quod suapte natura sanctū sit. Sed nihil sanctius est, nihil in omni genere Christianæ uirtutis præstabilius, quàm procuratio alienæ salutis. Ea enim charitas est, & cum Deo maxima necessitudinis, bonitatisq; cognatio. Quæ ergo ad hanc aliorum curam amanter prouidēq; gerendam suscepta interdum simulatio est, non illa ex mensuratio



dacio ducta, sed ex ueritate orta esse intelligatur. Non igitur semper malum est simulare, sed tunc simulare malum est, & pestiferum, & fugiendum, cum ipsa simulatio nequaquam alienum, sed suum commodum respicit, quod est ferè cum alterius damno, iniuriæq; coniunctum. Itaq; & dominus Iesus natura hominis assumpta, diuinitatis uim nonnunquam dissimulauit: & Petrus cum se à gentium conuictu abduxit, ut ne ex Iudæa hospites in ipso quid offenderentur: Paulus quoq; noster cum Timotheum iussit circumcidi, ipseq; ante templi ingressionem legitimis illis purgationibus se expiauit, simulauerunt omnes isti profecto, aliudq; in uultu, & opere promptum habuerunt, quàm in animo gererent, & in cōscientiâ: sed simularunt in alienum, non in suum commodum. Idcircoq; neq; illorum simulationi repugnauit ueritas, & consilium iuauandi, ac confirmandi cæteros approbatio in illis conscientiæ est consecuta. Quod enim agere instituerant, ut ne turbarent cæteros, in eo simulare, aut dissimulare aliquid nequaquam ab Deo alienum esse duxerunt. Quare tibi assentior Langee simulationem interdum, & dissimulationem in uita recte suscipi posse. Illud quod difficilioris operæ, & maioris laboris esset, diiudicare, utra sit Deo gratior, & ad hominis felicitatem accommodatior uita, pacata ne, & Deo in solitudine, ac silentio seruiens: an quæ in negocijs occupata est, & districta; non huius ea de re agere statuo esse temporis. Est enim maximis causa ista implicita difficultatibus, multosq; habet ex utraque parte patronos, quorum nunc controuersias disceptare longum esset. Nam quod tu factum domini in præponendo cæteris apostolis Petro tecum facere arbitraris, aliud tibi dictum domini eiusdem, & tanquam decretum facile opponeret, quo is Marthæ de Mariâ sorore conquerenti, quod se in cura, & labore apparandi hospitij illa deseruisset, tantumq; in audiendo domino esset occupata, respondit sororem eius Mariâ optimam elegisse sibi partem, quæ illi nunquam adimenda esset. Sed, ut dixi, non intrabo altius, neq; hunc diem Paulo destinatum in aliud genus disputationis conuertam, hocq; libētius sermonem hunc relinquam, quod spero hunc eum ipsum (sic autē loquebatur me intuens) aliquando tempus, ociūq; capturum, quo nobis separatim de ista ipsa re quid sentiat ipse, uel disputando, uel in scriptis tradat, atq; demonstret. Quamobrem nunc quidem Sadolete reuertitor ad Paulum, & quæ iam dudum exorsus es, ea nobis porro pertexto. EGO UERO, inquam, ita faciam, ac lubens. Vestrīs enim istis sermonibus tanquam bono cibo, ac bene cōdito recreatus, ad omnem nunc laborem exurgam paratior. Ac primum uobis illud proponam, Paulum tanq; dispensatorem bonum, & corpus totum ecclesiæ concors, atq; unū retinere cupientē, suppeditantem partibus singulis, quæ cuiq; congrua sunt, primo fecisse uerba de his, qui in societate fratrum, & in æqualium cœtu pares inter sese sunt, quorū nemo quidē debet plus q̄ ab alijs cōcessum sibi sit, aut in curatione, aut in cōsilio dando uelle sibi appetere, ne aut curiosus & molestus, aut etiam sectator inanis gloriæ esse uideatur: nunc uerò etiā de ijs, qui inferiores sunt, quo pacto gerere se debeant erga maiores, & robustiores, necnon quemadmodum maiores, & potentiores ipsi imbecillioribus se dedant, idonea præcepta tradere. Nunc lege tu, quod sequitur.

Omnis anima potestatibus excellentibus subiecta esto. Non enim est potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Quare oppositus potestati, Dei ordinationi obstitit. Qui autem obstitit, sibi ipsi iudicium capient. Principes etenim non sunt terror bonorū operum, sed malorum. Vis non formidare potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si uero malum facias, formida. Non enim frustra gladium portat. Dei enim minister est uindex in iram malum agentis. Ideo necesse subijci, nō solum propter iram: sed & propter conscientiam. Propter hoc enim & uectigalia penditis. Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum insistentes.

OMNEM à Deo ordinatam, & constitutam potestatē uita ipsa demonstrat, quæ  
B b si non



si non ordinibus his, & gradibus distincta esset, ut subessent alij, alij uero praessent, nec legi usquam, nec bono mori esset locus, omniaque confusa, & perturbata fluitarent. Porro omnis ordo, & omnis bona ratio à Deo est, sunt igitur à Deo principatus, & potestates. Atque hic de ipsis potestatibus, non de principibus est sermo. Omnis enim sancta, & comoda potestas est, non omnis princeps commodus. Nam multi quidem ad principatum per scelus, nefasque perueniunt, & in eo, quod male sunt adepti, flagitiosius etiam uersantur. Quid ergo? Num malo principi subiecti esse debemus? Debemus nimirum, ut feramus patienter illius insolentiam, non autem ut alacriter parere illi debeamus. Et si enim princeps improbus est, tamen sancta est potestas, Ex quo quis novos hosce haereticos non coarguendos esse intelligat, qui hoc caput Pauli cum optime nossent, cum caeteras quidem humanas potestates, tum uero illam, quae praecipue ex Deo est, pontificatus summi auctoritatem infringere sunt conati? Si enim potestas omnis à Deo est, cur non ista sit, quae ab illo nominatim Petro fuit commissa? Aut igitur negent Petro quicquam peculiariter à Deo fuisse commendatum, & traditum: aut si inficiari hoc non possunt, pontificatum summum fateantur potestatem esse institutam à Deo. At enim siquid Deus Petro commisit, ipsi uni commisit: successionem autem eiusmodi commissionis ad posteros nullam uoluit dimanare. Quae ergo ista est potestas, quae in uno homine, & coepta, & terminata est: aut quam huiuscemodi potestatem, hominum cognoscit uita? Saulem regem primum post iudices in Israël creauit Deus, neque mentionem successionis fecit, nunquid unus homo rex duntaxat nominatus est: an regnum genti illi constitutum, & factum, in quo qui successerunt, eandem quam Saul potestatem omnes sunt adepti? Quod si quis regno male, aut pontificatu usus sit, omnino Christianae fuit pietatis pati, atque perferre, aliorumque malitiam, ut suae uirtutis exercitatio nem accipere. Sed tamen si reclamandum fuit, & resistendum, homines erant notandi, sacrum, sanctumque honorem à Deo sunt sublatis, nosse uellent, atque animaduertere, quid sui muneris officiique sit. Ipsum quidem munus, atque officium nos institutum à Deo, & credimus, & ueneramur, quod is, qui nunc gerit optimus certe pontifex, & religione ac pietate erga Deum praeditus, difficillime, ut uidetis, potest sustinere, quando superiorum errata grauiora pontificum, molem hanc male haerentis ecclesiae, quam ipsi labefecerunt, & cuius ipsi fundamenta conuellerunt, in huius innocentissimi caput cogunt procumbere. Ita omnia ubique sunt cum domesticis dissensionibus pessimisque uoluntatibus, tum bellis, atque armis uiolata, atque rupta: quodque dolentius deplorandum est, tanta facta est legum, & bonorum morum uastitas, ut omne prope iam fidei religionisque in Christiana societate uestigium oppressum, aut deletum esse uideatur. HIC LAN-  
G E V S: Iure ista, inquit, deploras Sadolete, quae hac nostra aetate cuncta ferme in deterioribus lapsa sunt, necdum malorum finem cernimus. Regem quidem nostrum saepe audio loqui, quoties de his haereticis sermo est, non se uidere, cui rei, aut cui hominum utilitati ista noua factio exorta sit. Nam caeteros antea, qui nouas aliquas opiniones, & sectas in ecclesia Dei intulerunt, bene moratos ipsos, atque castos, modestiam pro se, & temperantiam ferentes, contulisse tamen aliquid, quod ad correctionem uitae pertineret: hos uero, qui & contaminatis moribus uiuerent, & ea, quae in fide Christi, ac credulitate posita sunt nefarijs, & prauis, saepeque antea dānatis opinionibus peruertissent, nullo modo esse ferēdos. Itaque acriter illos edictis, armisque insequitur, nec in tanta amplitudine regionum, quantas ipsius imperio scitis esse subiectas, ullum patitur istorum sceleris, & impietatis uestigium consistere. Nam quod ad caeteros ingenuos mores attinet, nulli omnino terrarum arbitror Galliam nostram, neque aequitate inter suos, nec humanitate aduersus hospites, neque uero erga Deum pietate, ac religione concedere. M A G N A, inquam, ista est laus, cum totius gentis, tum in primis Christianissimi regis nostri Francisci, cuius ego quoque imperio, & potestati subiectus sum. Namque quemadmodum ambo nostris, Carpentoracte urbs in Gallia provincia, cuius quidem curam, rectionemque ciuitatis, quod ad spirituales prouidentiam attinet, Pont. Max. uoluit me gerere, ipsa quidem pontificiae ditionis est, feliciterque sub tutela ecclesiastica mansuetudinis acquirere scit: sed habet suae dioeceseos partem in Galliae regno constitutam, qua occasione, quoque iure



iure ipsi quoque regi fidelitatis sacramento sum obstrictus, gaudeoque plurimum mihi ita contigisse, ut sub duobus optimis, & clementissimis principibus illa mihi cura, & administratio spiritalis muneris gerenda sit. Non enim uereor tantis praesidijs munitus, quin meum mihi certe charissimum & dilectissimum gregem ab incurfione, insidijsque luporum facile tutari possim, praesertim cum Regis iustitia, & prouidentia, ut te memorare audio Langee, itemque omnium communi sententia fertur, in ingenuis, & rectis moribus Gallia permaneat. Ex quo illam sapientissimi hominis uoce iure probari ab omnibus intelligo: Quales in rebus publicis principes ipsi regesque sint, tales ferè reliquos ciues esse solere. Et uere uobis ut cōfitear amicissimis mihi hominibus, iam pridem est cum ego nihil appeto, cupioque ardentius, quam me ad meam conferre ecclesiam, atque in ea Deo perpetuo deseruire, ut ibidem etiam uestra ista tranquillitate mi Langee, & humanitate Galliae perfruar. Ex qua quidem regione cum te ortū, & tam insigni morum elegantia praeditum esse conspicio, facile de genere uniuerso ample, honesteque existimo. Quanquam cum alios quoque compluris illinc habeo cognitos egregios, & praestantes uiros, de quibus saepe, & libenter loqui soleo, tum uero unum habeo semper in ore, quem maxime admiro, Antonium Pratum summi senatus in Gallia principem, qui nunc Senonum archiepiscopus est. Quo homine quid quaeso maius aut admirabilius dici, aut proferri potest: Ac mitto doctrinam in eo, iurisque ciuilibus scientiam, in qua etsi est maximus; summam tamen laudem aliunde sibi, atque ex eo potius peperit, quod est ingenio, quod prudentia, quod integritate existimius, quod illius cura, & prouidentia optimo rege sic uolente leges, & iura in Gallia praecipue uigent, locusque fraudibus, atque iniurijs angustior est relictus. Sed ego habeo aliud in eo, quod me maiore admiratione afficiat. Homo enim prouectiore iam aetate, grauis iandiu curis, & tantis laboribus perfunctus, quantos uidelicet afferre potest amplissimi regni, & tantarum rerum procuratio; nequaquam adhuc tamen necque labori succumbit, nec oneri. Quod incredibile uideri possit, nisi siquis ingenij eius, atque animi uim, praestantiamque cognoscat, quae ea, quae difficilissima sunt, redigit illi facilia. Regis quidem sapientiam summopere laudo, qui talium uirosum, opera atque industria libenter utitur. Hoc enim mihi praecipuum semper uisum est imperij firmiter, ut ij homines adhibeantur ad gerendas, & communicandas res, qui honorem, ac fidem in uita esse primariam putent. Sed ut dicebam, ueniet profecto illa dies, & aliquando dabitur illud tempus, quo me ex his curis, negocijsque euolutum pacata, & tranquilla excipiet uita, licebitque operam omnem impendere optatissimis studijs, tuncque inquirere, & uidere utra uita sit praestabilior, quae in silentio, & quiete posita est, an quae in turba, & negotio. Quod ego exquisitius fortasse potero disceptare, quam plerique, quod non tam doctrina quidem, quam utriusque uitae usu fuero edoctus. Et quidem huic Pontifici optimo, ac prudentissimo libentissime inservio. Quid enim illo est probius? quid mansuetius? quid dignius, quod ametur ab omnibus, atque colatur? Veruntamen meum hinc discessum, & hanc relictionem rerum alienarum, ad meumque gregem accessum, & profectioem mei à me officij ratio, & Deus, & conscientia ipsa uehementer efflagitat. **TVM TRIVLTIVS**, Ecquid animaduertis, inquit, Paulum affirmare omnem oportere animam subiectam esse potestatibus excellentibus: Cur igitur de te mittendo, aut retinendo non Pontificis fuerit potestas? Et tamen non te dehortor, quin adiuuabo etiam, ut quod tantopere expetis, id tibi facile factum sit, ex tuaque sententia eueniat. Spero enim si in ocium te contuleris, aliquid per te effectum iri, quando tantopere studiorum audius es, quod nobis quoque amantibus tui licet regionibus, spatijsque disunctis & iucunditati, & emolumento esse possit. Nec Pontificem ipsum arbitror in alia futurum esse uoluntate, qui ut humanissimus est, & liberalibus studijs egregie fauens, animum istum tuum boni consulat, & in optimam certe accipiet partem. Illud tibi confirmo, si te in Galliam, & ad ecclesiam tuam contuleris, futurum ut nec prouinciae te, nec illorum hominum poeniteat; Regi quidem optimo, & praestantissimo principi tuam etiam quietem, & tranquillitatem curae fore non dubito. Sed redeamus iam, unde sumus digressi. **RECTE ADMONES**, inquam, & cernis quidem Paulum in paucis his uerbis cum obedientiam, & studium parendi



in subiectis, tum etiam in principe modum, & rationem potestatis exprimere, ut se praesidem, & curatorem intelligat constitutum esse à Deo ad salutem, pacemque bonorum, & ad terrorem ac metum improborum. Potestas autem uaria est, & multiplex: uel enim ut parentis in filios, uel ut regis est in subiectos, quanquam ex patria quidem potestate regia illa uidetur initium, originemque duxisse. In eo certe differunt inter se, quod pater, quae per amorem facienda sunt, ut qui ab eo reguntur, probi, rectique euadant, in his acrius se, diligentiusque exercet: Rex uero in his, quae per potestatem, & timorem, Domini quoque in seruos imperium certum est, atque in discipulos magistri, qui tamen sponte illi se subiiciunt. Virorum porro in foeminas naturalis quaedam est potestas. Nam seniores iunioribus non imperant, sed ab illis in honore habiti, & ob aetatis reuerentiam culti ius quoddam authoritatis, & doctrinae in illos uidentur obtinere. Has potestates legitimas, atque sanctas, à Deoque institutas qui peruertunt, ac labefactant, uel detrectando aliorum imperia, maioribusque repugnando, uel illas ipsi in se praeue, perniciosaque gerendo, omnes hi Dei sunt hostes, magnoque suo cum damno, atque adeo exitio opponunt se ordini, & instituto summi Dei. Est enim plane princeps Dei minister ad insudandum, & uigilandum, ut ius teneatur, & omnium ordine constituta uita sit. Atque ob eam causam & uectigal illi penditur, & tributa persoluantur, quae principi, & regi libenter reddenda sunt. Nam quod ait nos debere principibus esse subiectos, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: alterum dictum est, ut malum ex iracundia contempti regis uitemus: alterum, ut uirtutis, & boni moris simus participes, quod assequemur, si non coacti, ut nolentes, ac repugnantes, sed tanquam edocti esse in principibus publicam utilitatem constitutam, sponte illis, & libente animo subiiciemur.

Reddite igitur cunctis id, quod debetur: cui uectigal, uectigal: cui tributum, tributum: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Nemini quippiam debeatis, nisi ut diligatis inter uos. Qui enim diligit alterum, legem impleuit. Etenim non adulterabis, Non occides, Non furabere, Non pro testimonio mentieris, Non concupisces: & si quod aliud praecipit, in hoc sermone comprehenditur, qui est, Diligas proximum tuum, sicut teipsum. Dilectio proximo malum non operatur. Complementum igitur legis est dilectio.

REDDITE dixit, quoniam debentur ista, non donantur, & omnia ad principes, ac potestates relata sunt, quorum ut retineatur imperium, & authoritas, uectigalia necessaria sunt, quae sunt certa, & annua emolumenta Reipub. Tributum uero extraordinaria coactio pecuniarum est ex aliqua noua, & aduentitia ratione indicta, cum pro portione opum, & facultatum unusquisque contribuit. Timor autem, atque honor eidem principi debentur. Et sane expediebat nouos docere Christianos, non esse illis libertatem, quam ex CHRISTO acceperant ad contemptum principum, & legum conuertendam. Reddi igitur illis, quae eorum sunt, iubet, nihilque quod cuiquam debeatur, teneri, praeter unum, quod eiusmodi est, ut & reddatur semper, & debeatur, quod est, ut diligamus inter nos. Mutuae enim beneuolentiae est hoc proprium, ut se acuat semper, uegetetque alternus amor, neque illud, quod intercurrit mutuum, refrigerescere unquam, aut extingui sinat. Et certe qui hanc proximo beneuolentiam impendunt, legem totam obseruant, quatenus illa ad prohibendas iniurias, & offensiuas lata est. Non adulterabis enim, Non occides, Non facies furtum, Non in alterius iacturam mentiere, Nihil denique alienum, & non tuum concupisces, si proximum tuum tanquam teipsum amabis. Itaque summa omnium huiusmodi praecipitorum proximi dilectio est, in eaque completur imperium legis, quoniam qui propter amorem, bene ut sit alteri optat, non quemadmodum illum laedat, sed quo pacto illi sit utilis, & commodus, aget potius semper & cogitabit.

Et hoc cum sciatis temporis opportunitatem, quoniam hora nos iam est somno



somno excitari. Nunc enim propius est nostra salus, quàm quando credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Deponamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis: sicut in die honeste ambulemus. Non comestationibus, & ebrietatibus: non cubilibus, & petulantibus: non contentione, & obtreptione: sed induamini Dominum IESUM Christum: & carnis procurationem ne facite in concupiscentias.

TANTO, inquit, studiosius mutua inter uos charitate ametis, quanto acceditis propius ad uitam alteram, in qua est nobis salus, & beata uita reposita. Est enim tempus nunc maxime aptum, atque opportunum, iamque instat hora, ut debeamus exurgere ex somno, quando fides nostra ad exitum huius mortalitatis est propior, quàm cum initio suscepta est. Etenim hoc loco somnus atque nox uitæ adhuc remissiori, & in terrenis rebus implicitæ cõparatur, in qua somnia, & tenebræ omnia optata nostra sunt. Ut etiam si à turpibus actionibus remoti aliquam bonorum morum rationem sine CHRISTO tamen ducamus, somnia esse ista intelligamus, quemadmodum Iudæis illæ legis umbræ ceremoniæque fuerunt. Nam uera, & sola uirtus in CHRISTO, & per CHRISTVM est. Sin autem omni dimissa uirtutum, & bonorum morum cura, in turpitudine, & in flagitijs uiuamus, in nocte, tenebrisque uersamur. Nam dies, & lux in eodem tantum CHRISTO est. Iubemur ergo siquid etiam nunc remanet in nobis noctis, & somniorum, excutere id totum, atque abijcere, surgereque uelut oriente die, id est, appropinquante tempore uitæ beatoris, cum Deum non in ænigmate amplius, neque sub inuolucris, sed toto contuitu nostro contemplaturi mox simus. Cui luci & diei hæc comparata uita, non quidem nox est, si bonis, & sanctis operibus traducatur: sed diluculum potius, & auroræ prima illa progressio diem nondum afferentis, sed annunciantis, cum qua nos excitati, ac consurgentes nosmetipsos componimus, atque adornamus, ut honestiores, ac decentiores ingrediamur. Huius enim compositionis curam dies à nobis postulat, nox remittit. Atque hic uidendum est, cum Apostolus inter fidei nostræ in CHRISTVM credulitatisque initium, & inter finem, exitumque uitæ, nos tanquam in operibus carnis, & concupiscentiæ adhuc positos ad modestiam, & continentiam, & ad CHRISTVM ipsum reuocet, falsam esse illorum sententiam, qui existimauerunt, & siqui in eadem nunc opinione sunt, post acceptam fidem CHRISTI, & post baptismum nullum amplius peccatum, quod committatur, ueniam, aut pacem apud Deum inuenire. Ecce enim diserte hoc loco, & palam, homines cognito & adscito iam fidei mysterio in comestationibus, & in contentionibus implicitos excitat rursus Apostolus, & prouocat ad induendum CHRISTVM: quod profecto non faceret, si esset spes ueniæ & misericordiæ post criminum nouationem peccatoribus penitus interempta. Non is est CHRISTVS seruator noster, qui tam seuerè, & asperè nobiscum agat. Non talis in eo erga nos amor, tam infirma, & fragilis ad opitulandum nobis inest uoluntas. Venit ille in mundum, ut saluti omnibus esset, neque semel hoc effecit, ut fraternam suam erga nos ostenderet charitatem. Non facit autem quotidie, imò diebus omnibus, neque diebus solum, sed & horis, atque punctis, quos poenitet criminum suorum, hos de integro amplectitur, & consortes secum paterni regni nominat. Cuius tantam humanitatem, tam excellens, & singulare nostræ salutis studiū iniqui sanè simus, si non agnoscamus, si non omnis illi gratiæ, omnis beneuolentiæ, omnis officij ac studij fateamur nos debitores, nec tantum fateamur, sed quoad possumus, id quod debemus alacriter persoluamus. Non enim principi, & proximo iubemur reddere, quod debitum sit, & non reddemus Deo? Verum Nouatiani, qui huius sententiæ dicuntur fuisse authores, quique potissimam in Deo uirtutem benignitatis, & misericordiæ illi adimere studuerunt, poenitentiamque superuacaneam in nobis, & sine fructu ueniæ inanem constituere, pie, & sapienter ab imperatore Constantino illusi sunt, cum is iussisset illos qui talia prædicarent, scalam capere ipsos, si possent, & in cœlum solos ascendere. Nos uero cum Paulo, & cum ueritate sentiamus, quo magis ad



exitum uitæ accedimus, & quo lumini melioris uitæ efficiamur propiores, hoc nobis studiosius esse, enixiusq; curandum, ut deposito nocturno habitu carnaliū morum, & studiorum, diei, atq; luci compositos nos dedamus, tanquam in cōspectum hominum prodituri. Quod si per urbem interdiu ambulantes uestimenta ea gerimus, quibus membra nostra ab oculis intuentium obtegantur, pudorisq; in ea re, & honestatis rationem summam habemus, illa etiam uestimenta, quæ oculis Dei nos occultent quatenus pudendum aliquid in nobis sit, capiamus; qui quoniā intus, & in ipso corde nos cernit, nulla alia ueste obtegere, & uelare nos ualemus, quæ arceat illius cōspectum à turpitudinibus nostris, præterquam pudore, & continentia, ipsaq; ueritate, qui est **CHRISTVS**. Hunc igitur ipsum, depositis, & reiectis illis carnis uestibus, quæ non corporis superficiem duntaxat, sed hominē totum tegunt, atq; obnubūt, comestationibus uidelicet, & petulantijs, & rixis, induere penitus debemus tanquam uestimentū eiusmodi, quod nullam corporis, animæq; partem, expertē honoris, & uenustatis esse sinat. Quo mortuo pro nobis, quoniam & nos quoq; cum illo cōmortui carni peccati esse debemus, idq; in baptismo, & fidei sacramento sumus professi, carnis curam ullam ne geramus, quatenus ad cōcupiscentiam illa propensa est: hoc est, nihil illi indulgeamus præter id, quod debetur, nec auaritati illius intemperantiæq; seruiamus, sed tantum ea suppeditemus, quæ ad obeundum munus communis uitæ sunt necessaria.

Imbecillum autem fide suscipite, non in disceptationes disputationum. Hic quidem fidit uesci omnibus. Imbecillus uerò oleribus uescitur. Qui uescitur, non uescentem ne aspernetur: & qui non uescitur, uescentem ne iudicet: Deus enim eum suscepit. Tu qui es, qui iudicas alienum famulum? Proprio domino stat, uel cadit; statuetur autem. Potens enim est Deus statutuere ipsum. Hic quidem iudicat diem ad diem: hic autem iudicat omnem diem. Unusquisq; in proprio sensu sibi satisfaciat. Considerans diem, Domino considerat: & non considerans diem, domino non considerat. Qui uescitur, domino uescitur: gratias enim agit Deo: Et qui non uescitur, domino non uescitur, & gratias agit Deo.

**SCIO** horum Pauli uerborum communem hanc doctorū interpretationem esse, quod cum fides **CHRISTI** iugum illud legis Mosaicæ laxasse uideretur, & onus subleuasse, quod, ut Apostolus Petrus in actis inquit, etiam antiqui patres ferre non potuerant, essentq; illæ obseruationes & differentiæ dierum ciborumq; sublata, ut **CHRISTVM** iam sectantibus nihil immundū, neq; aspernabile uideretur esse eorum, quæ creasset Deus, cōtingebat, ut hæc persuasio, quæ est nil habere distincti, neq; discreti, neq; in tempore, neq; in cibo, à multis susciperetur, & re, atq; facto usurparetur; quam aliqui è contrario tanquam ex Iudaismo, & ab illis multis obseruationibus adhuc recentes exhorrescebant, duplici quidem de causa hæsitantes. Primū quia longa illa opinione imbuti per huiusmodi abstinentias & obseruationes iustitiam, & Dei quandam amicitiam acquiri, nondum ab illa uoce legis, illoq; imperio animum suum uacuum liberumq; habebant. Deinde quod diuturno iam usu quiddam naturæ simile contraxerant, ut à certorum esculentorum cōsuetudine, atq; esu non possent non abhorretere. Ac prior quidem ille legis timor ad imbecillitatē fidei pertinebat, hoc autem posterius quorundā ciborum fastidium ad carnis infirmitatē, quæ tamen poterat alio quo modo excusari. Nam metus ille legis in noua **CHRISTI** uita, reprehensione uera non carebat. Fiebat autem ut in hac uoluntatum, & consuetudinū disparitate aliquæ inter eos dissensiones existerent, cū qui esculenta omnia ad uescendū admitterent, tanquā nihil in his rebus esset, quod ad diuinæ gratiæ cōiunctionem alterutram in partē momentū aliquod afferret, neq; in obseruationibus & discriminibus dierum, aut ciborum salus nostra, sed solum in uera fide erga Deum per **IESVM** Christum esset posita, illos contemnerent, qui in ea adhuc cura essent occupati, ut cibos diesq; alios susciperent, alios aspernarentur, idq; imbecillitati, & inconstantia illorum fidei ascriberent



ascriberent: Illi uero è contrario hos, qui omnia passim admittebant, nullamq; distin-  
 guendo rationem ducebant, neq; ciborum, nec temporum, intemperates, & irreligio-  
 sos esse arbitrarentur. Quæ illorum dissidia præmetuens Apostolus, ne ad dedecus  
 illa Christianæ fidei, & ad detrimentum pacis, charitatisq; contenderent, huic malo  
 mederi nititur, atq; hoc ostendere nõ in his distinctionibus, neq; in obseruantijs cibo-  
 rum, & dierum, sed in charitate, & pace, Dei regnum consistere. Atq; ipse quidem illo-  
 rum partes magis amplectitur, qui in meditationibus spiritalibus uim fidei exercen-  
 tes hæc exteriora ne animaduertebant quidem, eademq; & paria omnia esse ducebãt.  
 Hi enim cum & liberiores, & fortiores erãt profecto, tum in uirtute fidei multo fun-  
 datiores. Sed tamen cõueniebat cum essent ipsi statuti, atq; potētes, ut imbecilliorum  
 & lapsantium potius misererentur, quàm per reprehensiones, & iurgia illis molesti  
 essent: quin etiam cum uiderent eos illa in se suspicione offendi, quòd communem ci-  
 borum omnium usum magis ad intemperantiã uitæ, quàm ad fidei robur illi putarēt  
 pertinere, causam illius offensionis adimerent. Igitur hos firmiores hortatur Paulus,  
 docetq; æquius esse, ut inclinent se, & accõmodent ad alienam infirmitatem, deq; illa  
 esculentorum libertate aliquid remittãt, quàm insistendo in ea dent socijs causam ma-  
 le de se sentiendi, grauiusq; suspicandi: Quandoquidem, inquit, regnum Dei non po-  
 tus est, neq; cibus, sed pax, & inter fratres charitas. Hęc est monitio Pauli ab robustos,  
 ad imbecilles altera, Ne de his ipsi, qui omnia ut munda suscipiunt, nullumq; faciunt  
 discrimen aut dierum, aut ciborum, tanquam de incontinentibus, & intemperatis  
 audeant iudicare, cum & hi à Domino recepti sint, atq; in familia Dei iam numeren-  
 tur: Domini porrò sit de seruis suis iudicatio, non autem nostra. Quòd si & qui cum  
 cõsuetudine uescitur, uescatur Domino, agatq; illi gratias, & qui plerisq; abstinet, Domino itē  
 abstineat: hoc est, si uterq; utrunq; in honorem Domini agat, & in illius gratiam, lau-  
 demq; moueatur, non in abstinendo est, neq; in uescendo, sed in inseruendo Deo uera  
 religio. Hęc mens uerborum esse Pauli existimatur, & ad hunc finem tota hæc susce-  
 pra monitio, ac cohortatio, perspicue quidem ut ostendat omnia munda mundis: laten-  
 tius autem, ut etiam illud inferat, legis regulas, & interdictiones de esculentis obser-  
 uationibusq; temporum nullius ad salutem momenti existere, quando salus quidem  
 in spiritu, & fide in Deum per IESVM Christum, tantum reposita est. Sed ego in  
 hac potius sententia sum, quòd non de abstinentijs, & obseruationibus legis sit ser-  
 mo, sed de his, quas sibi quisq; ob cupiditatis, & carnis morus comprimendos ad arbit-  
 rium suum statuit, atq; præscribit, cuiusmodi multæ nũc sunt ab Ecclesia de ieiunijs,  
 discriminibusq; temporum, ac ciborum legibus latis obseruantiaë indictæ. Vt autem  
 sic intelligam illa, imprimis firma, & ualida ratio me mouet, quòd si de differentijs escu-  
 lentorum his, quæ à ueteri lege statuta sunt, oratio haberetur, nequaquam hortare-  
 tur Paulus, ac ne permetteret quidem eos, qui in fide iam robustiores delectum edu-  
 liorum omisissent, ad eorum, qui in fide adhuc titubarent, ac Iudaicis ritibus teneren-  
 tur, superstitionem inclinare. Non enim id esset alios in fide confirmare, sibiq; eos ad-  
 iungere, sed ipsos potius fidei præuaricari. Quo igitur pacto intelligendum est? pri-  
 mum ut fidem hic pro fiducia accipiamus. Etenim huius uerbi in hac sententia uis à  
 Paulo non raro est usurpata, neque ea tamen à communi intelligentia aliena, abhor-  
 rensq; est. Deinde ut credere, quòd Græce *πισδναι*, transferamus confidere. Qui ergo  
 sibi parum confidebant, nec facile se frenare cupiditates suas, aut carni posse resistere  
 arbitrabantur, opem sibi, & remediũ à ciborum lautiorum abstinentia quærebant;  
 qui uero è contrario in fide, & amore Dei erant flagrantiores, facile illo ardore ani-  
 mi erga Deum inflammati, cupiditatũ stimulos omnes obruebant, intentiq; & abla-  
 ti rerum diuinarum curis, nec cibos, nec tempora illa discernebant, parem in omni-  
 bus honorem, & gratiam Deo attribuentes, quòd sanè erat potentioris, & uehe-  
 mentioris fidei indicium. Verum accidebat, ut in diuersis consilijs, & actionibus al-  
 teri de alteris minus commode suspicarentur. Qui enim spiritu feruentes carnem  
 non agnoscebant, infirmiores illos luctanteis aduersus carnem, & ieiunijs, atque  
 inedijs impetum illius frangere meditantes quodammodo irridebant, & ueluti desi-  
 des, atq; eneruatos habebant despiciatui, hocq; agebant non ut parum fideles, aut spi-  
 rituales



rituales, sed ut parum prouidi, tanquam qui doctrinæ prudentioris indigerent. At illi è contrario, qui molestias carnis ne esu quidem olerum duntaxat, & pomorum poterant propulsare, primum hos mirabantur ad omnia passim manus, osq; admouentes, deinde grauius etiam aliquid de eis suspicabatur, nec fieri posse existimabant, ut cum uirtute, & continentia, & religione usus omnium ciborum, & licentia iungeretur. Ita horum uterq; ordo alteri ordini peccandi aduersus fratrem, & charitatis uinculum uiolandi præbebat occasionem, à quo nunc uitio eos Paulus, atq; errore dimouere nititur, redigereq; in unum studet omnes, & in consensu mutuo, ac fraterna societate continere. Sed quid est Langee, quod inceptas? Video enim ex gestu, atque uultu habere te aliquid, quod nostris sermonibus putes opponendum. **HABEO** enim uero, inquit ille. Et profectò quando de ieiunijs & obseruationibus inducta est mentio, aut hodierno die, magna, ac diuturna animi mei dubitatione exoluatur, aut non unquam alias. Etenim quod illæ obseruantia temporum, & ciborum, quæ præscriptæ, & traditæ in lege Moyſis sunt, minimum siue adeo nihil ad comparandam salutem ualeant, planè persuasus sum, idq; iandiu & Paulo toties affirmanti, & fidei Christianæ credidi: sed quòd eadem mox in fide **CHRISTI**, & in nostris moribus, ac ritibus magna ex parte relata sunt, quam obsecro te causam, aut quam habere rectam rationem ista res potest? Neque ego nunc consiliùm reprehendo Ecclesiæ, quam & semper sincera mente ueneror, & omnia eam sancte ac sapienter instituisse iudico. Sed non intelligo hoc planè cuiusmodi sit, cupioq; id mihi explanari per te, & differi. Equidem hæreticos hosce, qui ita superbe, & petulanter spreto ipsius Ecclesiæ decretis, legibusq; ruptis & cibos, & tempora ad suum arbitrium, libidinemq; reuocauere, non solum accusandos, uerum etiam detestandos, & cum horrore quodam eorum contagionis à cunctis, qui in fide **CHRISTI** consistunt, reſurgendos esse censeo. Verùm tamen inter nos, quod cum modestia, & pietate licitum sit, & quæri de his rebus, & disputari non est incongruum. Quæro itaq; de te, cum legis ueteris decreta quatenus ad differentias ciborum, & ad dierum quorundam delectus, & discrimina pertinent, mundarumq; & inquinatarum in se rerum distinctiones, nec non purgationum, & aspersionum continent præcepta, noua **CHRISTI** fide abrogata, antiquataq; sint, nosq; ab his oneribus, & uinculis soluti Christiana libertate perfrui debeamus, cur sanctorum patrum decretis, & Romanorum pontificum institutis ad eadem penè, aut grauiora etiam perferenda rursus simus redacti atq; adstricti? cum si uis ueræ religionis capienda sit, in una fide erga Deum, & in spiritali nostro Dei cultu, nostræ salutis ratio posita esse intelligatur. Quid sibi ergo uoluerunt summi Pontifices, antistitesq; Romani? qui quasi hac re potissimum sui pontificatus memoriam ad sermones hominum commendare cuperent, addiderunt penè unusquisq; aliquid, de antiquioribus illis loquor, quo nostra seruitus in obseruandis eorum scitis, atque præceptis indies fieret grauior, & maioribus propè quàm apud Iudæos oneribus premeretur. Ac ut nonnulla, ex uetustis Iudæorum ritibus, & obseruationibus ciborum, atq; temporum, nec non purorum impurorumq; contractuum (nam de cerimonijs supra abunde dictum est) in medium adducam, eaq; cum nostris conferam moribus, festum illi diem obseruabant septimum redeuntem in orbem tempore suo semper, dieq; eo ab omnibus omnino gerendis, tractandis, comunicandisq; rebus abstinebant, ea ratione quidem, quòd Deus item illo ipso die, cum in antecedentibus sex diebus mundum, & omnes mudi partes fabricatus esset, quietem sibi primo, & ab omni opere cessationem constituisset. Nos hoc sabbatum ipsum exauthorantes, & inter profanos dies numerantes, diem solis, quem dominicum appellamus, hebdomadis primum, & initium dierum consequentium pro septimo illo in honorem adduximus, ac cessationi totum cōsecrauimus. Esto, sit huiusce quidem rei aliqua bona ratio, non enim minor uidetur deberi honor luci huic, qua in nouam uitam exurgente à mortuis **CHRISTO** producti sumus, quàm illi, qua à uetere uita, & occupata cessauimus. Verum illud mihi mirari sæpe in mentem uenit, quòd cum extra diem septimum, & nouarum lunarum exordia, quibus unum diem festum singulis mensibus Iudæa tribuebat, cæteri penè omnes festi solennesq; Iudæorum dies, neq; numero multi, & cuncti



& cuncti penè in unum collati mensem essent, quem illi septimum, nos septembrem  
 appellamus. Etenim excepto Phasè die festo, qui mense illis primo, hoc est apud nos,  
 quoad ratio mensium congruere potest, Martio celebrabatur, & Pentecostes, quæ  
 post Phasem die quinquagesimo colebatur, quinque celebritates reliquæ, neque enim  
 plures apud Iudæos existebant, in mense Septembri erant collatæ. Nos neque mens-  
 sem certum, nec moderatum dierum numerum diebus nostris festis uidemur tribuisse;  
 sed cum multis solennes, & statos dies in honorem, & memoriam rerum earum, quas  
 dominus noster IESVS aut gessit pro nobis, aut perpassus est, in uaria anni tempo-  
 ra dispersos agamus, damus quidem hunc honorem Deo & Dei filio à nobis debi-  
 tum, neque tam pura, & religiosa mente à nobis quicquam, quam hosce dies colendos, &  
 uenerandos ducimus. Addamus his & illos, quos sanctissimæ, & immaculatissimæ  
 uirginis eius, quæ Dei filium seruata semper corporis, & animi integritate ex suo  
 utero hominibus effudit, honor à nobis, & tanti beneficii memoria requirit. Princi-  
 pibus item Apostolorum Petro, & Paulo diem suum concedamus, quo & ipsorum  
 singularis ac diuina uirtus, & Apostolici collegij totius memoria in honore à nobis  
 habita esse uideatur. Tantum quidem præterea festorum, ociosorumque dierum nume-  
 rum, quantus ab Ecclesia in nostros mores, & inductus est, & colitur, non ne sunt, qui  
 arbitrentur magis ad dissolutionem animorum, & corporum, quam ad ullam egre-  
 giam pietatis utilitatem uim habere: quanquam sancte equidem omnia ab Ecclesia  
 constituta, & optimo animo inducta fuisse non dubito. Veruntamen euentus rerum  
 effecit, ut nonnulli, qui detrimentum, & iacturam ex nimio ocio sentiebant, consilium  
 autem Ecclesiæ non ita planè perspiciebant, aliud sibi ordinem ipsi, & alium modum  
 festorum colendorum dierum citra Ecclesiæ consensum adsciscerent, suisque huiusce  
 consilij, atque facti approbationem non ex aliorum autoritate, sed ex sua temeritate  
 ipsi sibi constituerent, qui ut licenter, audacterque fecerint, sicuti quidem fecerunt, cum  
 ad caput & ad auctoritatem Ecclesiæ deferre ista omnia multo æquius sit, & opem  
 sibi ac consilium ex illa petere: tamen ipso exitu rerum apparuit tantam multitudi-  
 nem sacrorum, cessantiumque dierum populo Christiano non minus ferre incommodi,  
 quam utilitatis. Et sanè uidentur, qui de his rebus disputant, idque agunt modeste, &  
 temperate, intelligendi tantum causa, non ut hæretici superbe, & insolenter, aliquas  
 afferre rationes præferentes ius, & æquitatem. Aut enim, inquit, opulenti, & di-  
 uites homines sunt, & his talibus dierum feriatorum numerus augendus etiam ma-  
 gis, quam minuendus est, quippe qui omni tempore anni, atque in his potissimum  
 delectis, consecratisque diebus gratiarum Deo agendarum, & excolendi spiritus præ-  
 cipue sunt debitores, idque nullo domi detrimento tuto agere possunt. Aut ex eo sunt  
 genere, quod manibus sibi uictum, & labore corporis quærit, quibus cum damnosa  
 omnis cessatio, operaque uacatio sit, conueniret certe multorum pauperum, atque egen-  
 tium comodo & necessitatibus prospici. Quod si omnes, qui à diurnis operis, & opi-  
 ficij interdictione dierum festorum prohibentur, homines essent spirituales, menti,  
 & contemplationi rerum diuinarum dediti, conduceret forsitan magis, utiliusque esset  
 uacare, quam operari: quando maior semper utilitas minori præponenda est, Nihil  
 autem omnium rerum est utilius, quam in Deo, & in Dei beneficiorum memoria perpe-  
 tuo defixum esse. Sed cum tales uulgo homines sint cœlestium rudes rerum, terraque  
 addicti, & sensibus magis, quam ratione uiuentes, non ne patet, manifestumque est, hanc  
 illos cessationem, quam sacri indicunt dies, non ad meditationem rerum diuinarum,  
 sed ad delectationem humanarum cõuertet: cum matutinis exceptis horis dies illis  
 ferè in cantibus & lusibus, & in comestationibus, uinoque agantur: Sed ut abeamus  
 à festis diebus, atque sacris, in quibus non tam onus nobis impositum, quam nimia li-  
 centia esse tradita uidetur, ad illa ueniamus, quæ uere, & proprie sunt onera, quorum  
 longe maximum, & ut plerisque uidetur, durum, ac perdifficile ieiunium est, quod in  
 ueteri lege uno tantum singulis annis die Israëlitico populo indictum, qui dies festum  
 tabernaculorum antecedit, nos in omne tempus anni ita diffudimus, & sparsimus, ut  
 totum penè annum in seruitute uiuere, & nunquam uacuo animo esse posse uideamur.  
 Ac Iudæi quidem præter illum diem ieiunij statum, atque solennem, qui illis uni-



cus in toto annuo orbe ab Deo seruandus propositus est, quatuor sibi præterea ieiuniorum adsciuerunt dies, quos quasi atros ipsi obseruant in luctum uidelicet, & in priscaurum memoriam calamitatum institutos. Nos uero & triduana quater in anno ieiunia, & omnium festorum dierum pridianos dies, & quadragenarium præcipue dierum numerum coactum, & cumulatam in unum ieiunare sumus iussi: quibus quidem quadraginta diebus, quasi exiguus iste dierum numerus esset, sex postea alij etiam adiecti sunt, ut dierum sex & quadraginta perpes, & continuatum ieiunium nobis existeret. Atque cum hæc, quæ ad ieiunium pertinent grauiora nobis multo, quam populo quondam Iudaico sunt imposita; tum uero Iudæis licitum est seruato ad usque solis occasum ieiunio, eos demum cibos adhibere, quos illis libuerit. Nobis uero in ieiunando etiam illa lex est posita, ut ab esu omnium carniū penitus abstineamus, semelque tantum cibum sumamus, idque circiter meridiem. Qui autem fecerit secus, cum ceterisque legibus ieiuniorum, dierumque festorum, sextæ quoque, & septimæ in hebdomadibus diei, quarum utraq; si minus se uero illo, strictoque ieiunio, carniū tamen abstinentia, & interdictione ab Ecclesia ipsa notata est; qui inquam, omnibus his legibus ad unguem non paruerit, non poena adiecta est aliqua moderata, atque mitis, ut prouidentia pastorum nobiscum agi uideatur, aut lenitate, indulgentiaque parentum; sed perinde ac nostrarum iactura animarum apud rectores nostros parui momenti sit, capitalis peccati poena, & ademptione regni cœlestis qui contrauerit, punitur. In quo quanto lex Iudæorum fuit tolerabilior, quæ præuaricatoribus legis non animæ mortem, sed corporis præstituit? Quendam in Græcia sapientem ferunt cum leges conderet ciuibus suis, etiam mediocrium, & leuium peccatorum mortem poenam constituisse. Ex quo cum quaereretur, quid ita æquaret parua errata magnis, ut omnia iuxta mortis supplicio plectenda esse censeret: dicitur respondisse, quia tenuia etiam peccata morte digna esse existimaret, maioribus delictis grauius supplicium non inueniret. Quæ dura imprimis, & aspera uisa est sententia, itaque increbruit hominum illorum prouerbio, leges illas non atramento, sed sanguine fuisse scriptas. Quanto nostri legum latores acerbius? qui cum id, quod per se, & suapte sponte non est improbum, ipsi uetando, ut uitaretur effecissent, eam insuper poenam non obtemperantibus addiderunt, qua nulla esse possit durior, neque asperior; siquidem æterna morte damnari deterius multo est, quam hanc mortalem uitam amittere. Hæc, ut dico, disputant isti sæpenumero, qui hoc ab sese iugum nimium asperæ seruitutis, ut ipsi prædicant, cuperent excutere; non hi solum, qui iam excusserunt, quorum quidem scelus, & arrogantiæ nulla unquam satis digna poena ulcisci posse uideatur. Non enim ratione, sed libidine, nec ut spiritum ab onere seruitutis subleuaret, sed ut cupiditatibus obsequerentur, ad id faciendum sunt adducti. Verum nos, qui Ecclesiæ decretis facile obediunt, semperque illi parendum, non semper flagitandam eorum, quæ ab ea decernuntur, rationem existimamus; possumus tamen causas harum rerum & rationes, & petere inter nos, & dare; non ut nouum ipsi consilium aliquod capiamus, sed uel ut reperta ratione hæreticis respondeamus, qui & imperantem Ecclesiam, & nos parentes ludibrio, & irrisui habere non desinunt; uel siquid fortasse ratio nobis monstrauerit esse corrigendum, ad summi Pontificis iudicium, & ad Ecclesiæ auctoritatem omnia referamus. Quod item si tibi uidebitur, de hac religionum & ordinum, ut appellant, multitudine, atque turba, quæ habitu amictuque uestium uario, nouis, & inter se dissimilibus institutis in unitate fidei, & simplicitate CHRISTI locum habere non debuisse uidebatur, estque item ab his improbis illusa, atque reiecta, faciendum erit, ut aliquid dicas, ut posthac instructiores ad respondendum contradicentibus, & magis parati esse possimus. T V M I V L I V S; Sanè mihi uideris Langee, inquit, tempestiue admodum harum mentionem rerum intulisse, cum de his modo à Paulo ipso agatur, qui præsertim uideatur in ea esse sententia, ut robustiorem fidem, & uirtutem existimet eorum, qui nullo ciborum, neque temporum delectu habito, neque animi sui cura sub hæc res subiecta magis in ipso cogitando, & amplectendo Deo omnibus mentis sensibus semper sunt intenti, quibus quicquid ad uescendum offeratur, sine discrimine accipitur, euangelicumque in eo conseruatur præceptum, quo dominus discipulos missos ad prædicandum admonuit,



admonuit, ut comessent, quæcūq; sibi essent apposita. Et nimirum hoc magis uideretur conuenire euangelicæ, apostolicæq; doctrinæ, nulla ut omnino uarietatis in saporibus, neq; delectus in cibis, aut discriminis in tēporibus ab hominibus deditis Deo cura duceretur, qui in cōtemplatione diuinarum rerum politi, cum cibos non ad uoluptatem, sed tantum ad necessitatem uitæ soliti sint accipere, illa distinguēdi, & uariandi sollicitudine interpellari non debuissent, nisi horum talium summa esset paucitas; aliorū uero, qui uoluptati, atq; uentri plus æquo indulgeant, maxima multitudo. Qua etiam ratione cum Romanos pontifices, tum conuentus eos fidelium, quos cōcilia uocamus, adductos fuisse puto, ut talium & ciborum, & dierum differentias, obseruationesq; instituerent. Quorum quidem consilium, ut tu rectissime ais, debemus potius nos uenerari, q̄ reprehendere. Quod si aliqua tamen harum rerū ratio reddenda est, hac lege inter nos queramus, ac disceptemus, ut quicquid nobis rectius uisum fuerit, id si forte à maiorum institutis discrepauerit, nostrum semper consilium illorū sapientia iudicemus inferius. Equidem memini cum essem apud collegas tuos Triulti, eos ipsos, qui pauloante à fratre meo nominati sunt, Aegidiū Viterbiensem, & Thomam Caietanū homines eruditissimos, ibidemq; unā adesset Laurentius Campegius collega item uester, uir ea sapientia, & grauitate uitæ, necnon in gerendis rebus consilio, magnitudineq; animi, qua uos scitis, & cui in pontificio iure, ac ciuili primas prope partes nostræ ætatis homines soliti sunt cōcedere, incidisse de his rebus acrem disputationem, cū hanc Thomas sentētiā defenderet, probareq; adniteretur omīssionem ieiunij, quæ in cōtumeliam modo præcepti non fieret, ad capitale peccatum nemini ualere, quando solum illud crimen statuendum esset, quod aut de honore summi Dei detraheret, aut de commodo proximū; id est, quod Christianam charitatē, quæ & ad Deum, & ad proximum intenta est, uiolaret, aut frangeret, quorum neutrum cum in prætermittendo ieiunio accideret, non esse id peccatum exitiabile habēdum, quod charitati ipsi nequaquā offenderet. Huic opinioni Campegius adstipulabatur, hoc ab legum interpretibus defensitatum esse memorans, cum ieiuniū ad eam rem indictum esset, ut per abstinentiam quorundā esculentorū fractis cupiditatibus facilis unicuiq; fieret uirtutis, continentiaq; exercitatio, si quis eam ipsam continentiam iam obtineret, cuius assequendæ causa fuissent ieiunia instituta, cupiditatesq; suas haberet in potestate; non tantopere eum ad obseruationem ieiuniorū, nec tanto cū animæ periculo adstrictum esse. Repugnabat acriter ex aduerso Aegidius, & Campegio quidē respōdebat, si ieiunij indictio, suasio tantum esset, & non præceptum legis seuerum ac diligens, uim habituram utiq; esse eius rationem, quoniam quicquid alterius rei adipiscendæ gratia suadeatur, aut consulatur, si ea ipsa res alia quadam uia & ratione obtenta sit, recte id, quod suafum sit, prætermitti posse uideatur; ubi uero præceptum in imperando, & non suasio sit, sine peccato graui præteriri id nō posse. Ad Thomam uero dicebat eodem modo posse concludi de binis hebdomadam diebus, quibus esus carniū interdictus esset, ac de cæteris festis solennibusq; diebus, qui cum essent ad Dei cultū instituti, atq; dicati, dum coleretur Deus, qui quidē pura imprimis mēte, & religione colitur, licitū fore sine peccato ad suum cuiq; diurnū munus, suaq; opificia redire. Ac multa tum quidē in omnem partē dicta & disputata sunt, quæ hominibus doctissimis erāt in promptu; ex quibus Thomas plura, & præclara ingenij sui, & doctrinæ monumenta iam in scriptis edidit, reliqui autē duo idē existimantur esse facturi. In summa ab illis in eam sentētiā cōueniebatur, æquum fore, ut summus Pontifex, cuius uersa esset potestas, hunc scrupulum ex animis fidelium eriperet, ieiunijq; hanc legē, & conditionem ediceret, ut qui seruassent illud, magnis à Deo indulgentiarum, quas appellant, premijs afficerentur; qui uerò non seruassent, dum iidem abessent à cōtempu, & contumacia, nō propterea tamen capitalis peccati scelere intelligerentur obstricti. Distinguebatur porrò ab illis aliud ieiunium esse, aliud abstinentiam. Ac abstinentiam quidem in eo intelligi, cum statis temporibus, & diebus à quodā esculentorum genere, utpote carnibus abstineretur. In ieiunio autem præter abstinentiam id etiam adiungi, ut semel in die tantum cibus caperetur. Quod quidem posterius illi arbitrabant recte, & tuto posse corrigi, si summi autoritas Pontificis intercederet, ea qui-



dem ratione, quoniam & qui illam legē ieiunij retinerent, cum darent hoc legi, ut *semel tantum* in die uelcerentur, suæ mox dabant intemperatiæ & uoluptati, ut se effu-  
 sius, atq; immoderatus in epulando explerent; quos uerò illa lex ieiunij nō contine-  
 ret, quominus in die plus q̄; semel comessent, eos in graue suarum animarum pericu-  
 lum incidere; cui detrimēto præberi occasionem, & sterni quodammodo ab ipsa lege  
 uiam, longe alienum à mansuetudine Christiana esse optimis illis uiris, & dignitate  
 omni præstantibus uidebatur. *TVM TRIVLTIVS*; Mihi accidit, inquit, qua  
 primū tempestate in hanc urbem admodum adolescens ueni, ut ad salutandum *Oli-*  
*uerium* Carapham Cardinalem Neapolitanū accederem, cuius tu Iacobe in domo &  
 disciplina aliquot annis educatus es. Etenim eius ego uisendi & alloquendi mirō des-  
 siderio tenebar, de quo tot, tantaq; absens uirtutis & sapiētiae, & singularis cuiusdam  
 integritatis testimonia cognoueram. Atq; is ut erat humanissimus, summamq; gra-  
 uitatē cum illa humanitate coniunctam obtinebat, accepit me quidem iucunde, atq;  
 amanter, cum ita diceret, neminem sibi dari potuisse, cuius libentius aspectu, q̄; meo  
 frueretur, id adeo & mea causa, & familiæ nostræ nobilissimæ (sic enim loquebatur)  
 in qua lumen adhuc residere priscae fortitudinis affirmabat. Erat enim, ut sciunt, qui  
 eum norunt, Ioanni Iacobo patruo meo, qui tūc præstantissimus rei militaris author  
 & dux habebatur, amore, officijsq; coniunctus. Sed ego summi illius uiri aspectu, &  
 sermonibus tum perfruens, cum esset cum eo unā Nicolaus Fliscus eiusdē ordinis uir  
 egregia doctrina, & autoritate, quem nuper ut scitis mortuum, cū gemitu, & lachry-  
 mis profecuti sumus omnes; sensi hac de re inter eos agitari, utrum istas religiosorum  
 hominum societates, quas fratrum religiones uulgo nominamus, tot iam præsertim,  
 & tam uarias, habitu, institutis, appellationibusq; differentes, sic permitti, & tolerari  
 expediret Christiano nomini, an eas certum ad numerū, eumq; exiguum redigi uti-  
 lius esset. Et manarat fortē illis diebus rumor in populo prospici huic rei à summo  
 Pontifice, & de hac redactione in senatu actū iri. Atq; illi quidem leuiter inter se dis-  
 sidebant; cū Oliuerius fortissimus semper antiquitatis defensor diceret, non fuisse bo-  
 norū pontificum eos, qui sese nouis quotidie legibus obligare, ac supponere ad carnis  
 motus magis coercendos, deumq; liberius cōtemplandum sponte sua uellent, non in  
 illorū optima uoluntate cōfirmare, necesseq; item fuisse dari illis potestātē proprios  
 quosdā cœtus, conuenticulaq; constituendi, habituq; & nominibus à cæteris se distin-  
 guendi, quo & ipsi inter ipsos nosse se possent, & à reliquis internoscerentur. Cōtra  
 dicebat Nicolaus, exitū rei declarare hanc uarietatē religionum Christiano nomini  
 parum cōmodam esse, q̄; & qui eorū ad maximas diuitias peruenissent, his ferē illi iam  
 ad alenda corpora diuitijs, non ad misericordiam, neq; ad bonitatē uterentur, & quæ  
 professæ inopiam ac paupertatē religiones uictum sibi ostiatim, aut à prætereuntibus  
 mēdicarent, genus in Christianos mores inducerēt minime ingenuum, neq; liberalet;  
 quippe cū quotidiana illa flagitatio & pudorē in hominibus extingueret, & authori-  
 tati religionis detraheret, & impediret etiā studia de Deo cogitādi, atq; in eius unius  
 cōtemplatione acquiescendi. Quod si cōtractis, & imminutis dissimilitudinibus una  
 tantum monachorū, quos uocamus, religio linqueretur, qui in solitudine, & silentio,  
 à turba, & fluctibus huius seculi semoti in inuestigando Deo præcipue insisterēt, dum  
 illi tamen id, quod minime faciunt, optimis literis, & studijs dare operam cogerētur;  
 duæ uerò reliquæ darentur religiones, quibus uersari inter homines docendo, atque  
 hortando, annūciare pœnitentiam, insinuare in populo sensum scripturarum, laborare,  
 insudare, seruire publicæ utilitati necesse esset, se iudicare multo cōmodius cum po-  
 pulo Christiano actum fore, q̄; quomodo nunc agitur in tanta tot ordinum dissimili-  
 morum differētia, & uarietate. Duas autē illas idcirco se uelle esse religiones aiebat,  
 quæ negociosam, & laboriosam perferrent uitam, ut sancta & pia æmulatione inter se  
 alterni ordines cōtenderent, uter eorū maiorum, & plurium bonorum author Chris-  
 tiano populo existeret. Hæc tum duorum amplissimorū hominū, & in ecclesia prin-  
 cipum disputatio cū insucto mihi auditionum talium ad aures prima accidisset, ac u-  
 leos quosdam mihi in animo reliquit, qui me postea crebro admonuerunt, ut de hisce  
 rebus mihi meditandum, & aliquāto diligentius cōsiderandum putarem. Itaq; re sæ-  
 pius ex



pius excussa, atq; examinata possum uobis liquidò de meo sensu pronuciare: Harum  
 tot religionum, & tam uariarum cõsilium si ad rationẽ eorum referatur, qui aut peti-  
 uerunt primi institui, aut qui indulerunt petentibus, & instituerũt, sanctum illud, &  
 iustum, & imprimis graue, ac sapiens extitisse. Non enim alium ad finem tam multæ  
 istæ fraternitates inductæ sunt, nisi ut homines illi, quos leges istæ communes, & iam  
 usu cõtrita minus in officio continerent, arctioribus quibusdam uinculis in pietatis  
 studio, & cõtinentiæ tenerentur, nouasq; propterea leges sibi adsciscerent, in quas uo-  
 luntaria primo inductione animi cum iurassent, earũ mox seruandarum necessitate  
 cõstringerentur. Consulebatur igitur hac ratione uel maxime hominum uirtuti, &  
 integritati, si humana infirmitas perpetuò manere in robore animi, & cõstanter, quod  
 susceperat, nauare potuisset. Sed cum pleraq; uideamus nostris temporibus cõmuta-  
 ta esse, atq; inuersa, equidẽ dicerem sententiã, si liceret, & si licebit unquã dicam, uideri  
 mihi nostræ religioni, ac Christianæ Reip. melius consultum fore, si triplex illa ordi-  
 num institutio induceretur, quæ nõ tam quidẽ de numero religiosorum diminueret,  
 q̃ uarietatem, & dissimilitudinẽ religionum prohiberet. Quòd si explanatius, de hac  
 re aliquid dicendũ est, placeret admodum mihi, & mendicitatẽ tolli, quæ speculatio-  
 ni, & pudori, & opum affluentia, quæ integritati est aduersaria. Quid ergo est potissi-  
 mum, quod ego de hac re recte statui arbitrer? Illud nimirum, si habito censu huius-  
 modi honorũ, & facultatum, dimidiã totius summæ partem, duabus illis sodalitati-  
 bus assignari uiderem, quas in opere, & in negotio docendi homines, ac cohortandi  
 uersari assidue, ac laborare cõueniret. Alteram uero partem dimidiã ei religioni res-  
 seruari, quã tranquillam, & tacitã, Deoq; & sibi seorsum uitam agentem Græco uoca-  
 bulo monasticam appellamus. Atq; huius tamen silentis, atq; pacatę fratrum, religio-  
 sorumq; hominum coitionis eas uellem esse leges, primum, ut literis bonis in ea, & li-  
 beralibus studijs ab omnibus opera daretur, quorum studiorũ, atq; eruditionis exor-  
 dia ducta à grãmatica, & deinde in rhetoricis, dialecticisq; instructa ad extremum ter-  
 minarentur in philosophia, theologiaq;. Deinde ut liceret ex quolibet hominum ge-  
 nere parentibus liberos eò mittere in disciplinam, qui acutiores natura, & ad literas  
 perdiscendas apti essent, indolemq; ingenij bonam præ se ferrent, qui si ab ipsis præ-  
 sidibus, & collegiorũ rectoribus, qui recipi deberent idonei iudicarentur, cum aleren-  
 tur sumptibus religionis cõmunibus; tum autem industriè, diligenterq; institueren-  
 tur ad omnem exercitationem, & studium adipiscendæ doctrinæ, atq; uirtutis, quan-  
 diũq; manerent in conuentu illo, quod illis ad certum tempus esset licitũ, quoad uita  
 delictet in literis & moribus probè instructi essent, eodem omnes uestitu, eodẽ uictu,  
 eademq; prorsus uitæ regula uterẽtur: post uero tempore exacto liberum foret unius-  
 cuiq; & leges sibi uitæ recte degendæ, quas uellet, & quibus uellet in locis domiciliũ  
 eligere. Etenim siquid est humani, quod præstari à nobis possit, audacter uobis con-  
 firmo hoc huiusmodi more inducto in consuetudinẽ, quemadmodum ex seminario  
 acceptas arbores, & per sua deinde spatia dispositas hortos uidemus, & uiridia orna-  
 re, atq; illustrare: sic hos ex optima disciplina educationeq; profectos, & in diuersas  
 missos uitæ functiones, eas regiones orbis terrarũ, in quibus insedissent, optimis esse  
 moribus, & præstantibus uirtutibus illustraturos. Quòd si id quoq; accederet, ut à  
 principibus, & à maximis regibus, summisq; imprimis pontificibus prouidentia, cura  
 raq; adhiberetur, ut ex horum numero potissimum eligerẽtur, qui præficerentur ec-  
 clesijs, & sacerdotijs, & qui ad magnas res gerendas adhiberentur: nã ego pro certo  
 ausim polliceri statum orbis terræ, qui nunc perturbatione legum, atq; morum, om-  
 niũq; concursu propemodum calamitatum collabascere uidetur, estq; ruina, & con-  
 fusioni proximus, firmitatem ac stabilitatem, decusq; & ordinem bene agendæ uitæ  
 facile recuperaturum. Sed quoniam nos hoc tempore leges non scribimus, tantumq;  
 innuimus, quid nostræ sententiæ, & opinioni sit, concludamus illud Langee, quod  
 in tua oratione positum fuit extremum, hos, qui hasce religionum sectas accusant,  
 si consilium reprehendant instituendarum, falsa illos ratione duci, atq; aberrare: Si mo-  
 res, uitæq; quorundam infectentur, iam hoc esse hominibus, non rei ipsi detrahare, in  
 quo ego cum illis unã cõsentio, fateorq; non pauca esse in abusionem his temporibus  
 inducta



inducta, atq; prolapsa, quod quidem ad religiones attinet, quæ prudentiū iudicio minime possint probari. Illud dico, neminem, qui sanus sit, æquo ferre animo, ac pati inuentos esse homines perditos, qui annis permultis in religione cū fuissent, legibusq; illis, quibus uolūtate sua primo se obligauerant, diutius paruissent, repēte mox nulla idonea de causa, neq; expectata auctoritate maiorū ipsi inde se proripuerint, à ueterē req; religionis instituto ipsi se abdicauerint. Quancūq; hactenus fortassis fuerit illis cōcessum, sed ut appareret, quæ eos ratio, aut quæ amentia potius impulisset, nō modo ad prophanam deintegrō uitam, sed ad omne genus intemperantiæ fuerint relapsi; quorū alij nefarijs nuptijs se obligauerunt, alij dierum, & ciborum obseruantias sustulerunt, mandataq; omnia ecclesie irrisui habuere; cuncti uerò superbas, & impias aduersus Deum, ipsaq; Dei præcepta, quæ in humilitate animi, & erga proximū charitate præcipue cōsistunt, extulerunt mentes. **HIC EGO:** lute istis talibus irascēris Triulti, & hominum damnas temeritatem, Sed quod ad obseruantiam ieiuniorum attinet, haud ita quaquam dies multi sunt, cum me appellauit Clemens VII, Pont. Max. quæsiuitq; ex me, quid mihi uideretur de ieiunijs; num ego ea populis recte relaxari censerem. Quærebat autem hactenus, non ut percontaretur, liceret ne passim uesci cibus omnibus, id enim incontrouersum est, nec dubium nō licere; sed an semel tantum ieiunijs uesci id necessarium esse existimarem. Cui cum dixissem ieiunium eiusmodi, quod temperatis hominibus detrimento esset, helluonibus causam grauioris intemperantiæ afferret, quodq; nō minus læderet prætermisum, quam prodesset seruatum, cum præsertim in tam dissolutis moribus paruam ad continendum homines uim id iam haberet, recte mihi uideri, remitti posse; aperuit mihi sententiā suam, seq; in eo uelle prospicere cōmuni **CHRISTI** gregis salutē affirmauit. Cuius ego laudata probitate, & clementia (est enim, ut scitis, omni prorsus humanitate, & bonitate lenissimus, eamq; populorum sibi creditorum curam gerit, quam filiorū optimus pater) tamen dixi expectandum mihi uideri, quoad peteretur ista remissio, non ut ultro illa, & inopinantibus deferretur. Quo ille respōso usq; adhuc retardatus est. Itaq; quod ad unicam istam in die sumptionem cibi pertinet, potestis iam intelligere sententiā meam nequaquam à Thomæ Caietani sententiā discrepare, qui etiam sui dicti rationem hanc reddidit, non se arbitrari priscos illos patres prætermissione ieiuniorū uoluisse homines ad capitale crimen obligare, qui præsertim paterna quadam charitate cūctis prodesse, & consulere studuissent; sed hoc illorum ieiunandi præceptum, modo absit contemptus, in eam potius partem accipi conuenire, ut doceantur homines, quid recti moris sit, conuocantq; ad uitæ cōtinentiam, non ut cogantur; quæ mihi imprimis bona uisa est sententiā, nili ego hoc fortasse meæ imbecillitati tribuo, qui cū malo stomacho sim, soleo equidem interdū semel tantū cibo uti, cum id meæ ualetudinis ratio à me postulat. In ieiunijs autē ipsis, si accadat, ut appetam cibū, diuidere libentius in duo tempora soleo, ita ut in utroq; tēpore me geram q̄ moderate, præsertim cum mihi necesse sit ob corporis periculū à leguminibus omnino, & à salsamētis, maxima quoq; ex parte oleribus, & piscibus abstinere, quod hæc esculentorum genera perniciosiora mihi sint. Ac sic quidem agendi ueniam sum, & facultatē nominatim à Pontifice adeptus, Sed quoad auctoritate ecclesie, atq; Pontificis uinculū istud ieiunandi retinetur, legibus parendum censeo. De cibus autē ipsis, decq; eorū dierum peculiari abstinentia, qui bini semper in singulis hebdomadibus interpositi sunt, necnon de alijs uigiliarum, & temporū, & quadragesimæ (sic enim appellamus) diebus uix quicquā ego putem utilius, ac sanctius constitutū ab ecclesia fuisse. Quid enim aiunt isti qui cōtra pugnant; legem improbatam fuisse Iudæorum, quæ tanta superstitione cibos distingueret, ut alios reijceret, alios uero admitteret. lute ego improbatā patefacta ueritate confiteor, nullaq; nobis cibos superstitione inter se differre. Itaq; omnibus passim utimur. Cur ergo aliquos aliquando repudiamus? quia rationum & temporum discrimē est, non ciborum. At hoc est, quod Paulus reprehendit, Ne quis nos iudicet in cibo, aut potu, in quiens, aut in parte diei festi, aut nouilunij, aut sabbatorū. Et rursus abiiciens decreta legis, Ne tetigeris, ne gustaris, ne contrectaris, quæ ipso pereunt abusu, inquit, Alioq; item loco sub elementis mundi in seruitutem adactos nos mini



nos minime esse uult. Quæ ego omnia ita esse cõcedo, nullamq; confiteor in escis, & potationibus ad inquinandũ esse, & ad commaculandum inſitam uim. Sed neq; item in temporibus, quatenus ipſa per ſe tempora ſpectentur. Verũ ſi agitur in illis memoria aliqua geſtarum rerũ: ſi & pro illis, quæ nobis lata, & ſalutaria diuinitus tributa ſunt, in agendis Deo gratijs dies nonnullos ponimus, quod feſtorũ, & ſolemnium dierum proprium eſt; & recordatione rerũ triſtium, quæ obuenerunt, aliquam ſpeciem præ nobis mœroris ferimus, quam maxime ciborũ quorundam indicat abſtinentia, quis hunc optimũ, & ſanctiſſimum morem in Chriſtiano populo indiſtum, indicem gratæ aduerſus Deum uoluntatis, coarguere iure poſſit? niſi ſit is, qui redarguerit, ab omni ipſe hominis ſenſu, & humanitate remotiſſimus? Nulla unquam gens fuit, neq; tam corrupta, & proſtigata moribus, neq; natura tam immanis, ac barbara, quæ non aliquas dierum quorundam religiones haberet, quos dies partim atros cuſtodiret, partim celebraret lætos. Sed ſit hic humanus mos, non tamen à bona ratione abhorrens, neq; ijs non concedendus, qui ſua laboris, & quietis tempora cum honore Dei immortalis diſperſiunt. Nos ut longius rem aliquanto repetamus, dicimus totam iſtam rationem feſtorũ, ſolemniumq; dierum idcirco inuentam fuiſſe primò, in cõſuetudinẽq; adductam, ut mortalis fragilitas, quæ continenter ferre corporis laborem, & contentionem animi non poteſt, feſtos huiuſcemodi dies haberet, tanquam interualla, & ſpiramenta occupationum, atq; curarum: quod neceſſitati primò datum, hominum deinde ſapientum prouidentia ad honorem deorum contulit. In quo orbis terræ communis propè fuit error, ut in opinione olim deorum homines fallerentur, quos cõmentitios, & falſos pro ueris accipiebant. Eum porrò errorem uerus Deus genti ab ſe delectæ ludæorũ cum eripiſſet, feſtosq; agi ab illis dies in honorẽ ſui præcepſſet, remiſſionem illam animorum à terrenis curis humanæ infirmitati attribuit, honorem & celebritatem lætitiæ ſibi; quod in noſtros mores, ritusq; relatũ, quis iure queat reprehendere, aut cõdemnare? at cur ieiunamus pridiani feſtorum diebus? quia decet, rectumq; eſt, quem diem tribuere debemus laudibus, & cõmemorationibus beneficiorũ ſummi Dei, quæ ab eo in nos beneficia, uel in ipſomet, uel in ſanctis eius collata ſunt, ad eam nos diẽ imprimis caſtos, ſobriosq; accedere, ut ex perrectiore & uigilantiore animo cogitemus, quantũ ipſe de nobis meritus ſit, quarũ illi agendarum, & ferendarum gratiarũ ſumus debitores. Sexti uero quicq; & ſeptimi in hebdomadibus dies idcirco à cibis lautioribus, eſuq; carniũ dirempti ſunt, quò ſpeciem habeant mœrentiũ, atq; lugubrium, quò illorum dierum altero in crucem ſublatus ſeruator noſter eſt, altero iacuit ſepultus: quanquam & in utroq; altera præterea ſpectata ratio eſt. Quoniam enim ſextum illum diem tanquam Veneris ſacrum in ludis, & epulis, nequitijsq; omnibus gentes conſumebant, ſabbatũ autem ludæi præcipue in honore, & in obſeruantia gerebant, ſapienter, & pie maiores noſtri eõdem ipſos dies, quos illi hilares, lætosq; ducerent, nobis tanquam atros habendos conſtituerũt, ne quos à ritibus illis, & ſuperſtitionibus auocare cuperent, eos uiderentur, ſi eſſent in dierum cultu imitati, non tam auocare, quam in ſuis priſtinis erroribus confirmare. Verum & in ſabbato eadem illa concurrat, quæ in diebus feſtas celebritates antecedentibus ratio. Eſt enim hic dies diei dominico pridianus, qui imprimis ſtatus apud nos, celeberrũ eſt. Quadraginta autem dierum ieiunium Dei omnipotentis honori ita datum eſt, ut quaſi decimas in eo annui temporis Deo pendere inſtituamus. Verum id potuit diebus ſex, & triginta conſici: quatuor porrò reliqui adiecti ſunt, ad imitationem quadragenarij ieiunij, quod Dominus I E S U S Chriſtus in ſolitudine continens, & perpetuum ſeruauit legitur: quod etiam antea in monte Syna à Moſe tanquam ſimulacrum rerum futurarum uſurpatum eſt. Demptis enim dominicis diebus dies integros quadraginta in ieiunio iſto numeramus, additi trini præterea in ſingulorum trium menſium ſpatia dies, ueluti indices quaternorum temporum, quæ aut accedens ſol, aut recedens anno ipſo uoluendo diſtinguit, & uariat, quaſi ſas rectumq; ſit auſpicari à Dei immortalis honore, & nomine temporum cunctorum initia. Verum ut à reddendis dierum rationibus abeamus, quæ ſunt omnes à maioribus noſtris cum inuentæ ſapienter, tum imprimis ſanctè conſtitutæ,

ſi oppo



si opponatur nobis in differentijs nos insistere ciborum, & temporum, atque eo pacto Iudaicam superstitionem referre; negabimus planè utrunque, atque id profitebitur, habere nos, & ducere in obseruationibus nostris non dierum, neq; ciborum, sed sobrietatis nostræ, ac temperantiæ, & erga summū Deum honoris rationem. Nam di-  
 scrimina illa Iudæorū ad abstinentiam minime pertinebant; hanc dico sanctam, & spiri-  
 ritualem. Quid enim aut solidis animantiū unguis, aut etiā multifidis, auibus quoq;  
 rapacibus, & piscibus squamma nō contectis, cū spiritu, cum sanctitate, cum abstin-  
 tia negocij est; quæ si Iudæis uetita sunt, ut in moribus illi erudirentur, humanā redo-  
 lent philosophiam, non diuinam. Sin quoniam sunt insalubria, iccirco illis fuerunt in-  
 terdicta, quis est, qui nō intelligat Moysem Aegyptiorū artibus imbutum extitisse.  
 Quod si, id quod uerius est, simulacra quædam, illæ res fuerūt, & ueluti argumēta futu-  
 ræ ueritatis: inducta iam ueritate, simulacris amplius nō indigemus. Iudæi ergo in  
 cibis, & in temporibus inhærebāt. Nos ad Deum, & ad spiritū omnia referimus, neq;  
 in hoc genere abstinenti, aut obseruandi aliud quid sequimur, nisi & ut nostrorū labo-  
 rum interualla consecremus cōmemorationi diuinorum beneficiorum, & nos ipsi ad  
 recolenda illa eadem Dei beneficia uigilantiores, ac paratiores per abstinentiam red-  
 damur. At enim uis (inquiūt) nō debuit afferri, sed cunctos suo ipsorū arbitrio oportuit  
 permitti, quando fides CHRISTI libertatē omnibus dat, neq; uult quenquam  
 ueteris legis uinculo, aut eiusmodi necessitate aliqua astrictum esse. Quibus ego res-  
 spondeo, ut se ita habeat res, quemadmodū exponunt ipsi, utrum tamen fuit æquius,  
 & Christianæ mansuetudini cōuenientius his de rebus modeste exoptulare, & con-  
 queri, causamq; ad caput, & ad principes Ecclesiæ deferre, an ipsosmet per temeritatē,  
 & arrogantiam nouum sibi capere consilium, seq; à communi more fidelium absce-  
 dere? Nam quod dicunt non se concedere, ut Ecclesiæ caput Romanus pontifex  
 sit, omnes semper concesserunt, quicumque antè in Christiano nomine fuere, exceptis  
 paucis quibusdam, qui eo ipso nomine apud maiores nostros condemnati sunt. At  
 illi stolidi, excordesq; fuerunt, omnesq; errore opinionis sunt lapsi. Vos ergo soli in  
 omnibus seculis, in omnibus hominibus, uestra prædicatione estis sapientes. Quid  
 ergo ait Salomon? Vidistis hominem, qui sibi ipse sapiens uidetur? Ipse est de stulto,  
 quàm de eo longe maior. Certe hanc uobis sapientiam, quam assumitis ipsi, ne-  
 mo facile concedit. Quid potius sentiant de uobis cæteræ nationes, ego non dicam,  
 uaria est enim, & multiplex uituperatio, tametsi sub hæreticorum nomen, atque ap-  
 pellationem omnia crimina subire, & succedere uideantur, uosq; penitus amentis-  
 simi estis, si hoc non intelligitis. Sed ut ueniam ad libertatem fidei, quæ à uobis pro-  
 posita est, fateor CHRISTI fidem esse libertatis magistram, nullisq; eiusmodi le-  
 gibus, nec seruitutibus eam nos astringere, quæ ad corporum cultum, curam ue-  
 pertineant; sed tamen ut Apostolus Petrus inquit, non debet illa libertas mantela-  
 lum malitiæ esse. Quicumq; enim spiritu intentus in Deum est, huic omnia corpora  
 rea, & terrea minimi momenti sunt, neq; ille diem operosum à festo, nec escas ab escis,  
 potiones ue discernit, quippe qui alijs curis, alijs studijs, contemplationibusq; ducatur,  
 semperq; in sobrietate sit, & in Deo corde, cogitationeq; inhæreat. Atque illud  
 quoq; adiicio, si tales CHRISTI fideles, quales quidem esse debuerunt, extitissent,  
 non hanc futuram fuisse necessariam legum cōdendarum sollicitudinem, & curam, per  
 quam in officio homines, & in sobrietate continerentur, fuisset enim sibi tum unus  
 quisq; lex, neq; in se solum, sed in cæteris quoq; exemplo, & doctrina moderandis hæ-  
 buisset auctoritatem. Sed si perquam sane pauci isti sunt, qui spiritum sequantur, qui  
 CHRISTI fidem, quemadmodū quidem oportet, teneant, si maxima longe multitu-  
 tudo ad carnem, corpusq; delabitur, & ab his, quæ fidei sunt, nō solū usu, sed etiam in-  
 telligentia est remota, quid tandem decuit fieri? Quæro enim abs te Luthere, qui præ-  
 mus hæc leges, & obseruantias damnare ausus es; Cum peccarent homines, cū labe-  
 rentur, cum ad libidines, & ad facinora procliuēs essent, cum epulis, uino, luxuriæ se-  
 dederent, cum uerbis tantum, & uoce CHRISTVM confiterentur, cætera gen-  
 tium similes existerent, quid fieri fuit necesse? Sinere eos, & suo arbitratu ferri, sua  
 libidine permittere? qui ergo non male, & perperam leges imperatoris lætæ sunt,  
 quæ delin-



quæ delinquentibus pœnas, & summum sæpe supplicium proponunt? quas te auctore antiquari oportet, & imperatorum consilium condemnari. Astringunt enim homines seruitute leges istæ, quos CHRISTVS liberos esse omnes uoluit. Quam igitur uitæ spem, aut quem ordinem rerum, aut publicarum, aut etiam priuatarum hominibus relinquis? Quod si in his, quæ ad societatem pertinent ciuilem, coetusq; hominum, quas ciuitates uocamus in officijs mutuis, & in concordia continent, necessario fuit prouidendum, legesq; ponendæ, quæ delicta hominum pœnis comprimerent, ne facinorosis, & audacibus Respub. prædæ aut ludibrio esset, fideiq; Christi in eo, quo minus ita fieret, non est spectata, neq; animaduersa libertas, tibi ne minus iusta, aut minus idonea uidebatur ratio homines ad abstinentiam, & sobrietatem legibus adigendi, quo nomen omnipotentis Dei, & ratio uera fidei nostræ, quæ in spiritus libertate, non quæ in carnis licentia posita est, etiam ab inuitis quoquo pacto conleretur? Equidem uideo monumentis esse traditum, primo illo inductu fidei nostræ, cum increbresceret quotidie CHRISTI nomen, hominesq; ardore quodam amoris ad Deum se adiungerent, nullas huiuscemodi leges, neq; conditiones rerum necessario seruandarum impositas hominibus fuisse, cum ipsum studium fidei, atq; Dei sat ualida per se lex esset omnes à corporeis studijs ad spiritualia reuocandi. Itaq; & quæ dragesimam legimus nulla indicta lege, quæ communiter teneret omnes, tantum suo cuiq; arbitrato, & sua sponte obseruatam tunc fuisse. Qua de re in antiquis historijs est scriptum, quod in ipsis quadragesimæ ieiunijs aliæ apud alios obseruationes uigebant. Romani treis ante pascha hebdomadas continuato ieiunio obseruabant: Illyriam, & Græcia, necnon Alexandria, totaq; Aegyptus hebdomadas sex, quod ieiunij tempus uocabant quadragesimam. Alij uero septem ante pascha hebdomadibus ieiunium inchoantes, primis tribus confectis duas intermittebant; deinde in duas reliquas hebdomadas resumebant ieiunium, quos dierum numerum non tenentes, quadragesimam tamen id tempus appellare parum congruum etiam temporibus illis uidebatur. Ciborum quoq; mos, & abstinentia non omnibus par. Nam alij omnino ab animatis abstinebant, alij ex animantibus pisces solos recipiebant, addebant alij & uolucres, tanquam aëreum id genus à Moysè, non terrestre fuisset iudicatum; quidam ne oleribus quidem utebantur, sed arido tantum uescebantur pane. Nonnulli panem quoque ipsum reijciebant, olera duntaxat adhibebant. Alij ad nonam usque horam ieiunantes, quocunq; cibo post indifferentem reficiebantur. Ita uariæ apud diuersos uigebant consuetudines. Et quoniam huius rei (est enim hoc quoq; in historia ascriptum) nullum uetus præceptum inueniebatur, credibile fuit Apostolos hoc uniuscuiusq; arbitrio liberum reliquisse, ut timore nemo, nec necessitate, sed uoluntate, & libero corde sibi id præscriberet, quod salutare, & bonum ipse iudicasset. Videmus igitur hoc uetustatis testimonio, quod circiter Constantini tēpora, aut paulo infra literis mandatum est, quoad uis fidei in cordibus hominum fortiter uersata sit, nullum tale præceptum abstinentiæ, aut ieiunandi hominibus datum, neq; uim impositam legibus latis fuisse. Non enim tum erat causa præcipiendi, cum æqualiter omnes uoluntariam moderationem, abstinentiamq; præstarent. Quod si præcipere tunc opus non fuit, in communi illo more, & hominum bonorum, & temporum, cōcede postea necessarium fuisse, quàm homines sensim illo timore Dei, & cœlestiū rerum cura soluti indulgere flagitijs, & in omne genus intemperantiæ dedere se cœperūt. Quibus si aliqua ratione obuiam non fuisset itum, non ne ignoratio Dei, & gētilitas penè ipsa in Christianum nomē reuertisset? Sanctū igitur & salutare fuit Ecclesiæ institutū talibus immoderationem legibus, & licentiæ coercendi, quibus etiā qui nollent, ad curā aliquam tamen & ad cogitationem colendi Dei adigerentur. Quod si altior quoque horum ieiuniorum ratio reddenda est, & cum CHRISTI, fideiq; mysterio coniunctior, sic intelligendum est, accessum, atq; aditum ad regnum Dei, & ad honorem beatæ immortalitatis in eo maxime constare, si qui illò ingredi conantur, omne imprimis onus, & carnalem sarcinam mundanarū curarum, uoluptatumq; deponant, & dimissis terræ impedimentis ad Deum se conferant expediti, atq; alacres. Quod si gula, & palatum, & ciborum omnium suauiorū uoluptas corporea maxime est, nec solum ipsa per se uituperanda



peranda, sed quæ pluribus præterea indecoris, & maculosis uoluptatibus præbeat ortum, ut plurimarum turpitudinum sit mater, tum autem eadem in amore mundi præcipue nos contineat, spiritualiumque uirtutum & operationum sit inimica, necesse fuit nimirum ad Deum, & ad spiritum nos inuitantibus huic errori hominum, & corporeæ labi, culpæque obfistere. Itaque & CHRISTVS ipse suo primus exemplo à baptismo Ioannis, tanquam ab ipsis foribus, adituque fidei, in cognationem Dei, & regni spem intromissus, ut cæteris iter ostenderet, quæ transituri essent, qui idem regnum appetere, euestigio in desertum, & ad ieiunium translatus est. Et populus Hebræorum, cum Aegyptum tanquam mundum, & regnum carnis relinqueret, atque in promissam terram, quæ figura, & simulacro cœlestem patriam referebat, iter esset facturus, antè eò quàm perueniret, atque in illis speratis, atque exoptatis sedibus collocaretur, per annos quadraginta in deserto, & retentus, & instructus, & omnibus patientiæ operibus examinatus est. Moyses quoque neque congregari Deo, neque tabulas accipere diuinæ legis potuit, nisi quadraginta dierum præeunte ieiunio: quem eundem numerum dierum Helias ieiunauit, ut ad montem Dei posset se conferre. Ac denique si & documenta uetustatis, & scripturæ sacræ testimonia diligentius inspiciantur, facile apparebit intuentibus, atque intelligetur hanc esse ieiunij, & abstinentiæ uim, ut ea homines maxime, & in spiritualibus uirtutibus confirmet, & ad regnum cœlestis obtinendum faciat aptos: quod etiam in illo genere malorum dæmonum difficiliore ad expellendum ostendit nobis CHRISTVS, cum illud tantum eijci posse dixit in oratione, & ieiunio. Cur autem quadragenarius iste numerus potissimum spectatus sit, qui à quaternario ducitur, qui & ipse est in quaternis temporibus anni ieiunio consecratus, ut nesciam, aut ut illud dicam, quod à plerisque dicitur, hunc numerum imprimis corporeum esse, uel ex quaternario elementorum numero, uel quod quaternarius primus plures accipit sectiones in paria membra diuisas, quæ natura corporum propria uidetur esse; uerum ut magis istud nesciam, neque enim omnia scire nobis est fas, illud quidem scio, quod uideo hunc semper fere numerum in tristitia, & mœroribus à scriptura adhiberi. Itaque & in ieiunio CHRISTI, & Helias, & Moyses is numerus ponitur, & in commoratione populi in deserto, & quadraginta, in terris, diebus post exurrectionem Christus, & totidem Niniuitis ad pœnitendum præscripti dies, & XL. annis desertam fore Aegyptum Ezechiel testatus est, idemque tot dierum somnum in dextrum latus pro tribu Iuda obdormiit, pluuia quoque diluuij diebus XL. in terram se effudere, ut cum tot exemplis, & monumentis antiquarum rerum uideamus hunc præcipue numerum comprimenda corporis, carnisque luxuria diuino consilio imprimis consecratum quasi fuisse, iure is in ieiunium quadragesimale relatus, & summa cum ratione indictus esse uideatur. In quo sanè pudor, & moderatio ueterum Romanorum pontificum iure laudanda est, qui non domesticum quadragesimæ ieiunium, quod ipsi obseruabant, ne nimium sibi tribuere, & ad suam autoritatem omnia retrahere uiderentur, sed illud Aegyptiacum, & Alexandrinum Christiano populo indixere, secus ea lege primum, tum cæteros deinde omnes uoluere esse constrictos: quæ ad luxuriam, intemperantiamque collabentem necessaria quadam obseruatione uinceret. Nam quod sancti quoque & spirituales uiri his legibus comprehensi sunt, non fuit hoc quidem consilium legis hos taleis comprehendere: neque enim hi præcepti, aut admonitionis indigebant. Sed cum lex in uniuersum posita sit, nec fieri commode queat ista distinctio, æquius multo fuit paucos subijci legi, quàm uniuersos sine lege uiuere. Quid autem, num hi legibus tenebuntur, quibus super uacanea est præceptio legis tenebuntur enim uero. Etenim præclarum est bono exemplo continere in officio ceteros, neque minus necessaria probis, & rectis exercitatio uirtutis, quàm lubricis, & incōstantibus uitij interdictio. Atque ego istos recte si noui, qui spiritum, non carnem diligenter excolunt, nequaquam uereor, quin se libenter hi sub præceptum subiecturi, & imperium legis non grauate accepturi sint. Non enim illi elatione animi, & arrogantiâ, sed humilitate, & sobrietate sunt sapientes. Quod si qui sunt, qui aut ualitudine infirma sint, aut à pristinis moribus ægre dimoueantur, aut etiâ qui sibi indulgeri aliquantulum plus



plus uelint, causasq; dicant quaslibet, non solum graues & necessarias, uerum etiam leuiore, ut itineru, ut studiorum, ut laborum, Deniq; qui quoquo modo remitti sibi hanc necessitatem postulent, quid est ad indulgendum his, morem q; gerendum Ecclesia Romana, & hac apostolica benignitate propensius: quæ non modo hanc ueniã poscentes, nunquam nõ audit, sed sæpe etiã ultro nil postulantibus offert. Cuius auctoritatem infringere, & clemẽtiam aspernari hominum est non libertatis ius, nec ueritatem fidei tutantum, sed totos se superbiam, maleuolentiamq; permittentiũ. Verũ de his quoniam satis dictum est, ad Apostoli uerba, si placet, redeamus. REDEAMVS, inquit, Langeus, quando sedato iam incipio esse animo, scrupulosq; mihi eos disputatio tua extraxit, qui me antè & crebro, & ualde stimulabant. Facile enim nunc intelligo optimo ista consilio, & à catholica Ecclesia indicta, & à populis fidelibus suscepta, obseruataq; fuisse, nempe quæ uiris temperatis, & sponte sua spiritum excolentibus, ingrata esse non possunt. Intemperantes uero, & carnos ad aliquam habendam modestiam, & sobrietatis rationem compellunt, ut compressis per abstinentiam effusis illis animorum motibus castus in hominibus mos, & probus insinuetur. Deniq; quod caput est, homines à terrenis, & carnis uoluptatibus ad illa diuina, & spiritualia gaudia per hæc abstinenti præcepta uideo reuocari. Quamobrem istos plane non probo, qui tam proiecte, & petulanter aduersus principes, auctoresq; Ecclesie, & contra abstinentie decreta non uerbis irruunt modò, uerum etiam factis, cum præsertim, ut dicis, nemini cupienti his se legibus exolui suam ecclesiastica mansuetudo benignitatem intercludat. Et sanè ita est, ut non sint leges consilio, & sapientia latæ, temere atque ad arbitrium cuiuslibet infringendæ, hæc ipsæ minime, quæ diuturno usu uetustatis comprobatae sunt; sed earum moderatio, si quid fortè incidat nouæ rationis, & temporum inclinatio sic postulet, ut mutandum aliquid in eis, aut corrigendum esse uideatur, ab illis ipsis petenda, qui earum condendarum habuerint potestatem. A quibus equidem id postulare, ut saluis præceptionibus ceteris, cibum tamen ieiunij semel tantum in die suscipi non foret necesse: cum, ut tute respondisti, id temperatis hominibus sit detrimento, intemperantibus uero nullam utilitatem afferat: neque enim præterea hi fiunt continentiores. Quadragesimæ autem tempora, quæ dominicis quoq; diebus in eandem abstinentiam coniectis ad dierum sex & quadraginta numerum excreuere, sic putarem moderanda, ut maneret quidem ieiunium uetus Romanum illud, quod tribus hebdomadibus ante pascha religiosissime seruabatur, idq; ita præcepto, & lege sanciretur, ut graue esset crimen, & spiritualis multa illud uiolantibus: reliquos autem quinque, & uiginti dies non tam metus criminis, quam meriti apud Deum spes faceret religiosos: quos ut qui possent, libentius retinerent dierum illorum abstinentiam, spiritualibus donis indulgentiarum prouocari, & populis commendari putarem conuenire: hoc quidem etiam magis, quod in hac uulgo hominum insolentia, & temeritate, hisq; contaminatis moribus cum contra leges & loqui, & facere iam populare esse uideatur, quæ ad continendos in uirtute, & religione homines sanctissimo consilio reperta sunt, ea non tam nunc continere, quam ad delinquendum grauius illicium, & causam subiicere uidentur. DE ISTHOC uidebitur, inquam, alio tempore, si accidet, ut ista res ueniat in disceptationem. Nunc quidem illud constare nobis est necesse, si uolumus esse hi, qui debemus, hoc est, si in Christiana humilitate, & modestia constituimus uiuere, leges maiorum nostrorum à nobis diligenter esse retinendas, quas præsertim optima ab illis mente, & salutari consilio latas constet fuisse. Etenim post fidei, & charitatis erga Deum, proximumq; præcepta, quid magis nobis præscriptum, indictumq; est, & in Euangelij, & in Paulo, quam repressio carnis, ususq; ieiunij, & oratio ad Deum continens: Qui enim corpus suum in seruitutem redigebat, ne, cum alijs prædicasset, ipse incontinens reperiretur, non ne leges abstinentiæ, ieiunijq; prædicabat: quanquam illas tunc uoluntarias, quas postea in legem scriptam, necessitatemq; relatas, si temporum nunc ratio ex parte aliqua peruelit, ac duriores, quam antea, facit uideri, non id est uitio legis, sed nostro attribuendum, qui si in ea cura intenti mansissemus, ut spiritu uiueremus, non corpore, hoc est, ut cum Deo, non cum mundo rationes nostras duceremus, ne animaduertendi quidem,



& distinguendi spatium haberemus, quo quisq; ex genere cibus, aut quota diei hora sumendus esset. Sed tantum cum flagitaret corporis necessitas, ad ea, quæ prima nobis oblata essent, edenda prouocati, ut primum naturæ, & fami satisfacissemus, ad beatas statim cœlestium rerum curas reuerteremur. Atqui hoc fortioris est, & constantioris fidei proprium, nullum facere discrimen in escis, & potionibus, omniaq; ista paria, atq; uniusmodi ducere. Quod si cibus, qui distinguunt, ut lautioribus abstineant, ueluti infirmiores habendi sunt, quanto magis, qui eos discernunt, ut exquisitissimis utantur, hi sunt reprehendendi: Quanquam Paulo hic quidē nō de intemperantibus & luxuriosis est oratio: sed de his, qui partim in cibus, & temporibus discrimen nullum faciēbant ea fiducia, quod nihil fidei firmæ perniciosum in illis, neq; aduersarium uirtuti esse arbitrabantur: partim, qui carnis motum sentientes ad ipsam retundendam, & debilitandam carnem, temporum, & ciborum obseruantias adhibebant: quos tanquam diffidentis, & imbecillos suscipi à fortioribus, & foueri, ac sustentari indicat debere. Hoc enim est, quod ait, Assumite ne fiat sectio, id est, ne dissimilitudo opinionum, ac morum dissidium aliquod gignat, ac pariat, aggregate uobis illos, & si illi se erigere, atque attollere ad parem uobiscum fiduciam non possunt, inclinamini ad illos, uosq; demittite, ut coeat in unum fraterna uestra consensio. Eis uero reprehensionibus, ac disceptationibus, quæ inimicæ pacis sunt, exasperantq; animos, non placant, penitus superfedete. Non enim litigando, neque arguendo, sed pariter agendo, cumq; illis unā abstinendo multo eos facilius in uestrum sensum, iudiciumq; pertrahetis. Et qui ergo fidit posse absq; periculo omnibus uesci, diffidentem is ne spernat. Et qui diffidit, ne iudicet fidentem, hoc est, illam in cibus communiter admittendis animi libertatem, ac fiduciam male ne interpretetur. Qui enim confidit, à Deo assumptus est, hoc est per fidem, & professionem Christianā homo iam Dei factus, ad eumq; aggregatus, qui uidetur in eo hæere etiam constantius, quando illius amore tectus, atq; munitus, carnis lapsus, & pericula haud ita pertimescit: cuius quidem Deo iam mancipati, & traditi serui ad te ne utiquam pertinet iudicatio. Siue enim steterit ille seu cadet, Dominum suum habet iudicē, cui & stat, & cadit, & à quo si ceciderit, etiam restituetur. Iudicare porrò diem, ad diem, inter dies & tempora discernere est: iudicare omnem diem, est dies omnes pares, & eorum nullum eximium habere, quod responderet illi, quod sequitur, Qui non considerat diem, domino non considerat. Siue enim abstinetur, siue non, siue tempora discernantur, siue paria ducantur, dum utrunq; in Dei honorem fiat, & in utroq; Deo gratia habeatur, in neutro est quicquam, quod iure possit reprehendi. Nam quod interponit Paulus, Vnusquisq; in his animo suo satisfaciat, minime certe interposuisset, si de obseruantijs, & ritibus Mosaicæ legis, ac non de priuatis legibus abstinendi, quas sibi quisq; fert, fuisset dicendum. Illæ enim semper Christiano homini interdicitæ sunt, propterq; earum obseruantiam grauiter à Paulo Petrus fuit increpitus. Nec uero ex eo sunt genere, quod ad comprimendam carnis petulantiam ualeat, sed quod ad superstitionem animis afferendam. Qui enim adhibet illas, ut in epistola ad Galatas est scriptum, is à CHRISTI gratia, & præmio crucis deseritur, neque simul potest idem & operum, & fidei iustitiam exhibere, considerēq; sibi ipsi, & in Deo spem suæ salutis ponere,

Nemo enim nostrum sibi ipsi uiuit, & nemo sibi ipsi moritur. Siue enim uiuimus, Domino uiuimus: siue morimur, Domino morimur. Siue ergo uiuimus, siue morimur, Domini sumus. Ad hoc enim Christus & mortuus est, & surrexit, ac reuixit, ut & mortuorum, & uiuentium sit Dominus. Tu uero quid iudicas fratrem tuū? Et tu quid aspernaris fratrem tuum? Omnes enim assistemus ad tribunal Christi. Scriptū est enim, *Viuo ego dicit dominus: Mihi curuabitur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Itaq; unusquisq; nostrū de seipso rationē dabit Deo. Ne amplius igitur inter nos iudicemus, Sed hoc iudicate potius, ne ponatis offendiculū fratri, uel scādalum.

Deterret



DETERRET semper Paulus à iudicando proximo, & ab eo iudicio, quod sit in deteriore partem. Nam bene sentire de altero, commodèq; opinari, atque in melius interpretando accipere omnia, non solum Christianæ est charitatis, sed communis etiam humanitatis officium, cuiusmodi quidem iudicia de proximo facere recte possumus. Capere autem ea, quæ fiunt, quæq; dicuntur, in non bonam partem, & iudicium illis nostræ peruersæ existimationis adfungere, animi est non alienam prauitatem coarguentis, sed suam potius indicantis. Quid ita enim si ad te nihil eiusmodi quicquam pertineat, de alieno facto fers sententiam: in qua ferenda non dolore, & misericordia commoueris, quasi alterius damnum ægre patiare. Nam id quidem forsitan tolerabile sit, aut ascribendum etiam charitati. Sed tuam malevolentiam cura illa oblectas, perinde ac tibi accedat, quicquid bonæ de altero opinionis detrahitur. Hoc genus iudicandi de altero, maleq; sentiendi cum de principio huius epistolæ grauius ter confutauit Paulus, tum nullo loco, cum incidit, omittit, quin infectetur. Nec Paulus tamen magis, quam ipsemet CHRISTVS. Illam enim sinceritatem Christiani animi, sanctamq; simplicitatem, quæ pura semper, & integra nititur conscientia, iste curiositatis, & malevolentiae liuor tanquam fuligine quadam sic infuscat, ut non amplius queat Deus in illa, tanquam in domicilio mundo residere. Ad nostrum igitur neminem spectat iudicium tale facere de eo, qui seruus CHRISTI sit effectus. Est enim is non nostra, sed aliena possessio, habetq; à quo iudicetur, & cuius uel lucro stet, uel detrimento concidat. Quanquam nequit Deus quidem ullum in se ex iactura nostra detrimentum accipere, sed ad amplificationem tamen gloriæ illius pertinet, plurimos esse, qui ei cum fide, & cum honore deseruiant: quorum salus, & uita lucrum est gloriæ Dei, damnumq; e contrario eorum mors, atque interitus. Est enim propria hæc seruorum, quatenus serui sunt, conditio, ut nemo eorum sibi ipsi uiuat, aut moriatur, sed utrumque agat domino suo. Nec uero quisquam ulla pecunia emptus tam sui domini seruus fuit, quam nos sumus serui IESU Christi. Empti enim sumus precio magno, ut Apostolus inquit, & uitam, quam uiuimus, totam debemus Deo. Etenim ipse Christus ob hoc ipsum & mortuus est, & surrexit, ac reuixit, quod fieret dominus mortuorum, ac uiuentium. Mortuorum porro hoc loco intelligendum est, eorum, qui in hac uita stantes, ac spirantes, Deo tamen summo nõ spirabant, neq; uidebant: quorum ipse Christus mortuorum suscitator secum unà factus est. Nam & mortuus ipse est, ut isti cum eo simul comorerentur: & reuixit, ut iidem isti in nouam & incorruptam uitam restituerentur. Quod uero ad iudicandū hominū consilia, atq; facta uel proba, uel secus pertinet, nemo sibi assumat hanc curam, sollicitudinemq; iudicandi. Non deerit enim iudicium, cum sistendi simus omnes in nouissimo die ante tribunal Christi, neq; fideles tantū qui fuimus, & erimus: uerū omnes prorsus. Sic enim dominus per Esaiã: *Viuo ego*, inquit, quæ est iurisiurandi formula uulgata apud Hebræos, ut cum aiebant: *Viuit dominus*, quoniã sic fiet: quod erat idem, ac si iuraret ille, & diceret, per Deum uiuentē. Ita uiuo ego est, cū per semetipsum iurat Deus. Sed quid ait dominus in Esaiã: *Viuo ego*, quod mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Reddet quoq; unusquisq; tunc nostrum suorum factorum rationem: quamobrem nequaq; inter nos nunc quidē iudicemus. Illud potius agendum, & iudicandum est à quocq; nostrū, ne creet quis offendiculū fratri suo, ne ue eum in duram suspicionē inducat. Habere uidemini, in quo uos alter alterū coarguatis. Hic quidem illum, ut imbecillū, & diffidentē spernit. Ille hunc, quod nimis eum fidere, longiusq; progredi suspicatur. Amputet uestrū unusquisq; ansam, qua occasionē alteri dat male sentiendi: Tu qui cōfidis, de ista tua fiducia aliquid remittito, non in opinione quidem, & fide, sed in opere, ne quod cunctis sic passim & libere uteris, id tam uideare facere, quia ipse firmus es, quam ut proximi tui infirmitas contemnatur. Tu autē e contrario, qui alterius fiduciã cōdemnas, plus statue in fide illius roboris, & uirtutis esse ad consistendū, quam in tuis ad labefactandū, ut & tu quoq; addiscas melius tibi in domino, & in spiritalibus operibus fidere. Sic enim agēdo, & remittēdo uterq; ordo aliquid in accommodationē alterius, stabit, & cohærebit domus Dei, ac ædificatio, quæ fidelium est societas, in uno mutua charitatis spiritu iuncta, & coagmētata. Et cū ad



omnes quidem pertinet sic facere, tum multo magis ad robustiores; hi sunt enim qui se inclinare debent, ac summittere, ut debiles subleuent, & secum deinde attollant, quando illi sua vi attollere se non possunt.

Scio, & confisus sum in domino Iesu, quòd nihil commune est per se: nisi reputanti aliquid còmune esse, illi est còmune. Si autè propter edulium fratris tuus còtristatur, non iam secundum charitatè ambulat. Ne esu tuo illum interimas, pro quo Christus mortuus est. Ne accusetur igitur uestrum bonum. Non enim est regnum Dei esca, & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in spiritu sancto. Qui enim in his seruit Christo, gratus Deo est, & probatus hominibus. Proinde ea, quæ pacis sunt sectemur, & quæ sunt ædificationis mutua. Ne propter escam dissolvas opus Dei.

HÆC est remotio scrupuli cuiusdam, & suspicionis, quam uidebatur ingenerare Paulus in animis eorum, quos ad summittendum se debiliorum fratrum opinioni hortabatur, cum moneret, & obsecraret, ut desisteret potius ab illo libero usu omnium ciborum, quam fratrem imbecilliorum offensum illa libertate, in culpam, & crimen male opinandi conijcerent. Nam etsi illos quoque infirmiores est hortatus, ut ne facerent iudicium de alieno seruo, quandoquidem omnes serui iam Christi essent, ne uel alienum ab se, & ad Deum pertinens sibi usurparent iudicandi officium: tamen cum robustioribus hoc agit diligentius, quòd eos intelligit dociles magis existere. Nam illi quidem imbecilli imprudentia labebantur, usum esculentorum, non ut erat, sed ex animi, & ingenij sui imbecillitate metientes. Vult autem hos fortiores inducere ad sese demittendum, quando hoc ipsis facilius est, quam illis infirmioribus nitri ad se erigendum. Remo promiscuo ciborum deterrere, eò quòd aliqua genera esculentorum immunda, & sordida sint: quod erat in prima illa ecclesia paulo ante ab Iudaismo egrediente uehementer suspiciosum. Non enim se inquit ea de causa facere, nam nec se arbitrari quicquam esse inquinatum, sed ut seruetur Dei ædificatio, quæ est fratrum pax inter se, & còcordia spiritu sancto conflata atque conspirans. Scio equidem, inquit, & fidem habeo in Christo Iesu, qui has ciborum differentias exæquauit, quòd nihil est commune ex se, id est, sua ui, sua natura còmune. Est autem còmune usitato scripturæ uocabulo idem, quod immundum, quòd gentes communia omnia, Iudæi sua selecta genera escarum, eduliorumque habebant, quorum obseruatio non erat cum gentibus còmunis. Ita in Actis Petrus, demisso è coelo linteo, in quo cuncta animantium genera continebantur, iussus mactare uulgo, & uesci; Minime, inquit, domine. Non enim quicquam còmune, aut immundum ingreditur in os meum. Cui uox est reddita: Quod Deus mundauit, tu ne còmune dixeris. Nihil igitur per se commune est. Vidit enim Deus omnia, quæ fecerat, & erant ualde bona. Sed sit còmune opinione sua cuique, si quis uidelicet, quòd còmune, & immundum esse arbitratur, eo nihilominus uescatur. Hic enim sibi còparat inquinamentum, non ab esca quidem, sed ab opinione sua. Facit enim id, quòd minime existimat esse faciendum, estque ipsemet suæ còscientiæ aduersarius. Ne ergo Paulus quod illos dehortatur ab illis sumendis cibis, qui debilioribus fratribus iniiciunt scrupulum, facere id uideatur ipsa ciborum ratione, tanquam còmunium, ac inquinantium, negat se quicquam existimare commune eorum, quæ in escam accipiuntur, nec reuera esse còmune, nisi ei, qui reputet aliquid esse commune. Sed etsi omnia recte edulia sumi possunt, non est tamen cibi, & epularum causa frater in tristitia, & suspicionem conijciendus, qui in eo, quòd spernitur, doleat necesse est, in quo uero alterum intuetur, sine delectu cibis omnibus uescentem, suspicatur aliquid grauius, illamque libertatem edendi non ad fidem, sed ad intemperantiam putat pertinere. Est ergo hæc illi causa sic suspicandi auferenda, alioquin non secundum charitatem ambulat. Porro hoc uult charitas, ut frater tibi tuus, quam cibus charior sit, quem si in animi hæsitacionem esu tuo inducis, abstine potius ab edendo, ne uel eum perime, pro quo Christus mortuus est: hoc est, ne



est, ne illi tribuitor peccandi occasionem, qui à peccatis, ut extergeretur, Christus pro eo mortuus est. Et simul hic admonet, quantum fratris causa nos uelle debeamus, cui ipse etiã Christus uitæ, & sanguinis sui putauerit se debitorẽ. Ac bonum quidem est nullum adhibere delectum ad cibos: sed hoc bonum ex altera parte noxium esse non debet, ut obsit fratri. Plus enim mali est charitate uiolanda, quam boni in eo, si illud ciborum discrimen sustuleris. Neq; enim regnum Dei esca, aut potus est, inquit, quæ magna per se non sunt, neq; habent uim in pietate, & religione admodum animaduertendam, sed regnum Dei iustitia, paxq; est, & gaudium spirituale. Id enim est in spiritu sancto ne hoc gaudium, quod regnum Dei est, ullo pacto ad corpus, & ad carnem referatur. Nã qui in his, inquit, seruit Christo, ille & Deo acceptus est, & hominibus probatus. Quapropter cedant minora maioribus, si occasio ferat, ut simul stare non possint. Bonum est ciborum tollere differentias, nec habere animum occupatum in discernendo: bonum nimirũ, habemus enim potiora in quibus melius, & sanctius curam animi ponamus. Sed si frater tuus ex tua ista libertate offenditur, melius multo est prospicere, & consulere fratri ac charitatem retinere fraternam. Namq; distinctio illa ciborum, atq; adeo etiã exæquatio parum admodum pertinet ad regnum Dei. Pax autem, & charitas ipsum est Dei regnum. Abstine ergo & tu, ne tua indistinctio, ciborumq; coæquatio sanctum hoc charitatis uinculũ interrumpat, ne pacem uiolet, ne ue illam humanitatem, quam debemus fratri, quæ quidem germana, & propria iustitiæ est, ac bonitatis summi Dei imitatio, inficiat, ac turbet: ex quo spirituale gaudium illud corrumpatur, quod non ex cibo nascitur, sed ex cõcordia inter fratres, & ex charitate: quod quidẽ gaudiũ ex spiritu sancto regnũ etiã Dei à Christo est appellatum, cum dixit: Regnũ Dei intra uos est, in hoc gaudio, in hac bonitate, & pace, qui Christo seruiunt, illi & Deo probati sunt, & hominibus. Quapropter quæ pacis sunt, præcipue sectemur, retineamusq; ædificationẽ mutuam qua inuicem nos adiutamur, ut alter alteri uicissim demus causam lætandi de nobis, beneq; suspicandi: quam ædificationem cõcordiæ, & consensionis exemplis mutuis iustitiæ, humanitatisq; constructionem, proprium Dei opus, minime debet quisquam escarum causa dissoluere,

Omnia quidem pura, sed malum homini est, qui per offensionem uescitur. Bonum est non esse carnes, neq; bibere uinum, neq; in quo frater tuus offenditur, aut perturbatur, aut imbecillus fit. Tu fiduciam habes per te ipsum. Habe in conspectu Dei. Beatus qui non iudicat semetipsum in eo, quod probat. Qui autem ambigit, si comedat, condemnatus est, quia non ex fide. Omne autem, quod non ex fide, peccatum est,

QVÆ PER se munda sunt, inquit, qualia quidem sunt omnia facta, & creata à summo Deo, sunt immunda tamen si gignant, & excitent in fratris animo scrupulũ, & offensionem. Nam quod ex se bonum alioquin est, illo modo fit malum, cum ex eo frater perturbatur. Itaq; idem ipse ad Corinthios scribẽs, inquit, Si esca perturbat fratrem meum, non edam ullo tempore carnes, ne perturbem fratrem. Quare etiã e contrario, quod per se est malum abominari, & euitare esculentorum genera quædam uide licet propter ipsa, tanquam ea suapte natura, & insita labe immunda sint, efficitur bonum, si propter eam causam uitentur, ut inde oriatur ædificatio fratris. Ac quod de illis legis inquinamentis, quæ sunt certis generibus eduliorum attributa, nequæquam loquatur Paulus, satis ex eo perspicuum est, quod etiã uino differit bonum abstinere, à quo frater abstinet imbecillus, ratus ex eo luxurię fomentũ subijci. Quare mens Pauli tota est, ut ostendat, & doceat in rebus quidem ipsis, quantum ad discriminationem discernantur, aut recta, & libera animi fiducia exæquentur: sed hoc bonũ, malum ue, quod in æquando, aut discernendo est, non tanti tamen momenti ipsum esse, ut cum maiore bono, malo ue collatum non immutet naturam suam, atq; in naturam illius maioris transeat, ut superstitio discernendi, & deligendi, etiamsi nõ bona sit, quia & inanis, & cura inutili occupata: si tamen fratris contineat ædificationem, ueluti bona



bona adsciscenda sit, cōtractq; exæquatio bona ex sese, si lædatur ex ea, & turbetur animus fratris, pro mala habenda sit, & reiicienda. Siquidem paci, & charitati, cōmodoq; prius proximi, q̄ esca, & uino consulere obligati sumus. Ex quo fit, ut quod non bonum ex sese est, abstinere uidelicet uino, atq; carnibus, efficiatur bonū, si in eo fratris salutis, & tranquillitati animi consulatur. Et si enim tu, qui tua ipsius causa non abstinens, recte confidis, & persuasus es, nihil in carniū, uiniq; usu uitij, labisq; inesse: istā tamen tui animi fiduciam tecū habe, & aduersus Deum: in actum autem eā proferre, si tuus frater offenditur, abliste, & desine. Ac beatus quidem ille est, qui expertus in semetipso, & usu iam edoctus nullum sibi genus cibi officere, neq; ad luxuriam, neq; ad distractionem animi à summo Deo, neq; ad fratris damnum, aut offensionem, in eo quod probat, esseq; rectum existimat, sine conscientia scrupulo ullo uersatur. Qui uero conscius sibi ipse est, si esculentis quibusuis libere uescatur, aliquod sibi unum horum incommodorum euenturum esse, si comedit is nihilominus, & uescitur, incidit in crimen, atq; ea re incidit, quod non ex fide comedit, hoc est, nō ex fiducia interiore, non ex libera conscientia, quæ cum reclamet, admoneatq; periculū esse nisi abstinence, in non abstinendo commissum iam peccatū est. Quicquid enim contra iudicium conscientia committitur, in criminis, & uitij parte id numeratur, peccatumq; iudicatur. Si ergo iudicat quis non se posse absq; proximi offensione carnibus, & uino uti, & tamen utitur, quod non per se malum est, illi efficitur malum, quia suæ conscientia iudicio ille condemnatur. Etenim illa intima cordis approbatio, atque consensio in omnibus spectanda est, quæ si non reclamet solum, ac dissentiat, uerum hereat modo, & titubet, quod non de illius sententia, & suasionē factum sit, uim nanciscitur criminis, ut non nequicquam antiquo prouerbio usurpatum sit, non esse faciendum, quod dubites. Sancte quoq; & recte Iob, Nunquam me in uita cor meum adhuc reprehendit, inquit, tanquam omnis cognitio, animaduersioneq; peccati ab illo intestino mentis, conscientiaeq; oculo sit ducenda: qui cum solus finem intueatur, quod tenditur, solus habet etiam uerū, falsiq; necnon rectū, prauiq; iudicium.

Debemus autem nos fortes imbecillitates impotentium subleuare, & nō placere nobis ipsis. Quilibet enim nostrum proximo placeat in bonum ad ædificationem. Etenim Christus non sibi ipsi placuit, sed sicut scriptum est: **Opprobria opprobrantium tibi inciderunt in me.** Quæcunq; enim antea scripta sunt, in nostram doctrinam sunt scripta, ut per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus.

**H A E C E S T** charitas uera, atq; plena, ut summittamus nos ad utilitatem fratris, quod illum paulatim parem nobis in uirtute, & fidei firmitate faciamus. Tu potis es uino abstinere, habes autem fratrem, qui te uult quidem, sed nequit imitari, ideoq; in periculum uitæ se dimittit, aut stomacho languente à pietatis reliquis operibus abducitur: declina, & subueni fratri tuo, uinoq; & tu utere, ut illum ab illa opinione dimoueas. Aut e contrario, tibi uinum non obest, obest autem fratri tuo: atq; ille putans luxuriā esse in uino, quod & Paulus alibi admonuit, suadens ne inebriemur uino, quod in eo est luxuria, ipse abstinet sibi cauens, te uero, qui nō abstinence, miratur, & tacita sua suspitione de te male iudicat: demitte te ad fratris opinionē, ut ne causam illi praeue suspicandi afferas. Deniq; piorum est, & prudentū, & cum ratione bona, consilioq; charitatem sectantium, non sua tantum niti sententia, nec suo ipsorum solum iudicio uiuere, sed accommodare sese, atq; inflectere ad aliorum quoq; sententiam, & iudiciū: siquidem illa inflexio, ad bonum illorum, quorum uoluntati te dedas, & ad illos in fide & charitate, omnibusq; Christianæ uirtutis operibus construendos intēta, aptaq; est. Atq; ex hoc illi meliores, & fortiores futuri sunt, posteaq; tecū unā ad sublimiorē gradum uirtutis ascensuri, ut cum eos, quasi manu traxeris in locum stabilem, atque tutum, ipse quidem nihil de firmitate tua constantiaq; perdideris: proximo autē tuo pacatoris animi, & conscientia sedatoris fueris author. Faciendū igitur nobis semper est, ut uitæ nostræ actiones, & consilia ad utilitatem, ac salutem proximi dirigamus



mus; nec tam studeamus nobis ipsis, quàm fratribus satisfacere. Atque ut omnia Paulus sua consilia inde maxime cōprobet, unde omnis ueritas, & sapientiæ lumen omne est exortum, Christum exemplo inducit, quē hoc modo operatum nos imitari cūcti debeamus. Ille enim cū haberet, quare sibi merito, maximeque placeret, quod Dei filius cum esset, pari cum patre gloria, potentiaque fruebatur; demisit tamen sese, & tradidit in conditionem longe inferiorem, factusque homo est, ut eos qui humanæ erant conditionis, posset ad suam gloriam, regnumque perducere; descenditque ex alto, ut nos deinde attolleret in altum. Et sanè usitatum admodum Paulo est, cū suadere aliquid, aut dissuadere uult, exemplū ducere à Christo. Ad misericordiam ubi nos hortatur, Agnosce, inquit, gratiam domini, qui diues cum esset, pauper propter nos est effectus. Et rursus, cum ad mutuam charitatem hortatur, Sicut Christus nos dilexit, ait, Tolerantiam quoque cōtumeliarum, & insectationum, cruce, & ignominia domini nostri sæpe confirmat. Hoc quidem in loco testimonium Psalmi adducit, in quo Dauid cecinit ex persona Christi, Opprobria opprobrantium tibi ceciderunt in me. Quibus in uerbis duplex Christi humilitas cernitur. Et quod cum esset Deus, cui nulla ex hominibus digna potest reddi gloria, factus est is, qui probris esset, despiciationibusque subiectus, hocque hominum causa. Et quod patris quoque sui omnipotentis Dei uicem subiit, cum submisit sese Iudæorum insolentiæ, & prauitati, qua illi patrem Deum & in solitudine à principio, ut primum egressi ex Aegypto, & postea terra iam parta, atque possessa diuinis sæpe mandatis obtrectantes, falsosque sibi Deos in cōtumeliam ueri Dei adsciscerent, omnibus modis exasperare conati fuerant. Namque omnia illa gentis præposteræ conuitia, & exprobramēta, quibus aduersus Deum uis sæpe fuerant, in Christū sunt collata. Scripta porro hæc, quorum uetus, & constans tot prius seculis autoritas, in Christo Iesu postea, & in eius uita, doctrina, factisque declarata est; propter hæc causam iam diu scripta sunt, ut nos illis edocti, & cōfirmati in patientia & spe uitam nostram traducamus. Nam idcirco prophetæ prædixerunt, ut postea euentus rerum, illorum prædictiones cū probasset, nos constans, & perpetuū consilium Dei duobus præclaris testimonijs cognosceremus: quorum alterum futura nobis indicaret, alterū iam facta, quæ prænunciabantur, ostenderet, nosque ex utroque solatium ingens in hisce mundi agitationibus adepti, & pateremur fortiter aduersa, & sperare felicitia. Felicitia uero eiusmodi, in quibus nō dolor, nō mortis timor, nō incerti casus rerum humanarum partem aut locum ullum haberent; sed quæ futura essent summa, & immortalia, qualia apud unum Deum in altera illa uita tantū consequi licitum est. Et sanè, ut alio loco dictum est, spes & patientia ita se inuicē fulciunt, ut altera alterā & augeat, & sustineat. Quāto enim duriora & difficiliora propter Deū patimur, hoc meliore in spe sumus; & quo speramus alacrius, hoc sumus in perferendis rebus aduersis magis fortes.

Deus autem patientiæ, & consolationis det uobis idem sapere in uobis mutuò secundum Christum Iesum, ut unanimiter in uno ore glorificetis Deum, & patrem domini nostri Iesu Christi. Ideo suscipite inuicē uos, sicut & Christus suscepit nos in gloriam Dei. Dico autem Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis pro ueritate Dei, ad cōfirmandum promissiones patrum. Gentes autem ut pro misericordia glorificarent Deum, sicut scriptum est: Propter hoc confitebor tibi in gentibus, & nomini tuo psallam. Et rursus dicit: Lætamini gentes cum populo eius. Et rursus: Laudate dominū omnes gentes, & collaudate eū omnes populi. Et item Esaias inquit: Erit radix Iesse, & erectus ad imperandum gentibus, in eo gentes sperabunt.

SCRIPTA sunt omnia, inquit, ad doctrinam nostram, ut per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus. Verum hanc patientiam, & cōsolationem plenā habere ut possimus, tribuat nobis Deus, ut simus inter nos cōcordes, eademque sentiamus; quod idem sæpe ad Corinthios scribens illos admonet: Id ipsum dicatis omnes, inquiens. Et alio loco: Idem sentite, pacem habete. Quem tamen unanims cō-



cordiæ consensum secundum **C H R I S T V M** Iesum esse uult. Est enim cōsensus eorundem uoluntatum etiā mundanæ inter homines amicitia præceptum primum. Sed nos diuina quærimus, & ad unum Deum omnipotentem omnia referimus. In cuius honorem, & uenerationē, & gloriā consentire proprium est cœlestis, perfectæq; amicitia: consentire autem per Iesum Christum in Christo Iesu, inq; ea fide, quæ à Christo nobis præcepta est. Et est ad eum finē dictum, ut & Iudæi, & gentes in eo unā consentiant, quando inter se alioquin sint dissidentes. Nam siue legē attendas, illa unī soli Iudæorū nationi, non cæteris gentibus lata est: siue Dei cultum, in eo gētes longe aberrauerunt. Quod si dicatur ad legem licitum fuisse accedere etiā gētib; profelytosq; ex eo numero fuisse, qui se ex alienis ritibus, & gentibus legi Mosaicæ seruādæ addixissent, idcirco ne id illi faciebant, ut esset populo Israëlítico illa superbia, qua in construendo templo solos se liberos, seruilia autem opera per huiusmodi profelytos fieri debere omnia cōmemorabant. Nō est idoneum profecto uinculum cōmunis cōcordiæ superbia, cui quidem superbiæ lex causam præbebat. Vera est, & sola cunctoꝝ rum exæquatio Christus Iesus, apud quē non est diues, nec pauper: dominus, uel seruus; homo, aut foemina: sed omnes in honore pari, & gratia sunt locati. Fidei enim mysterium humilitas tota est: atq; ubi de humanis agitur necessitatibus, maior pro alio, quam pro seipso sollicitudo, si aeternæ salutis ratio ducatur, par certe de alijs, ac de se metipso cura ac diligētia. Quo in genere dūtaxat, uitaq; instituto fides erga Deum, & charitas perfecta inest. Est enim ipsa charitas alteri uelle, ac studere illud idē, quod sibi, neq; sua quocq; causa seorsum laborare, sed curare, ut eodem æque labore fratri consulatur, quod aliter fieri, quam in Christo non potest. Qui uero inuicem se sic fovent, & amplectuntur, quiq; inter se hoc pacto diligunt, ut in Deo omnes unū, idemq; sentiant, hi Dei ministri ueri sunt, & unanimes cuncti, unoq; ore glorificant Deū. Ab uno enim spiritu, unaq; & eadem omnes uoluntate ad prædicandam Deo gloriā gratiamq; adducuntur. Atq; ut dico, hoc in solo Christo Iesu fas est fieri. Non enim inuita Christus ad patrem opem ab eo discipulis suis, & præsidium deprecans. In hoc cōgnoscent omnes, inquit, quod tu me misisti, si fuerint unum. Ac nemo quidē potest, nisi à Deo missus, uel potius ipse Deus, hanc conspirantem in cordibus hominū mutuatam inter ipsos uoluntatem creare, in unumq; sic conflare, ut nemo alius alijs in ea omnino antecellere uelit, sed omnes studeant esse pares; uel etiā qui præstantiores uirtute, prudentiaq; sunt, inferiorem hi locum, & conditionem appetant. Nāq; in humanis societatibus, & conuenticulis, cum illud imprimis quærat, ut aut unus præcipua potētia sit, aut certe ciuitas, genusq; hominum certum cæteris gentibus, nationibusq; dominetur, in quo unius aut paucorū emineat potestas, cæteri ducantur serui, Christus unus & omnibus esse ipse par, & reliquos inter se æquales uoluit esse. In hoc ergo iugo cōiuncti in unum cū gentibus Iudæi, omissis proprijs uite prioris insignibus, in cōmunem habitum, & uoluntatis, & fidei ad Dei omnipotentis gloriā cū cæteris cōueniant, & in angulari lapide **C H R I S T O** coagmententur. Quod hoc modo optime facturi sunt, si quemadmodū Christus summisit, inflexitq; se ad eorū gradū, & cōditionem, quos erat seruaturus, sic nos inter nos ad eorū captum deflexerimus, qui fortasse nobis fuerint infirmiores, ut cum illis primo nos cōstituamus pares, quō deinde illos nobiscū ad altiora opera uirtutis, & fidei subleuemus. In quo est animorū consensus, & cōciliatio, quā maxime Deus à nobis postulat, & quæ per Iesum Christū nobis est demonstrata, & tradita. Etenim ille, ut compleat ueritatē Dei, Iudæos ad se adducit, gentes autem in eundem cœtum uocat, ut eiusdem Dei misericordiam demonstraret. Nam cum Iudæis in Abraam fuisset promissum ex eorum semine uenturum, in quo gentes omnes benedicerentur, idcirco sub circuncisione **C H R I S T V S** nasci uoluit, ut seruaretur ueritas factarum posteritati Abraæ à Deo promissionum. Ut uero gentes ad cognitionem ueritatis eiusdem, & ad præmium cœlestis regni uocarentur, non promissio amplius extitit, sed Dei misericordia. Non enim ad illas, sed de illis facta fuerat olim semini Abraæ promissio: sic unanimi corde prorsus omnes Deum glorificaturi sunt. Iudæi, quod ueritatem illius in seruando, quæ promisit, Populi gentium, quod eiusdem erga se misericordiam sunt laudaturi. Atq; hæc tamen gentium



gentium uocatio non minus ipsa ferè prophetarum uaticinijs denunciata, eorumq; uocibus tanto antè prædicta, quàm expectatio Iudæorum promissionis Dei extitit. Nam & Dauid in persona **CHRISTI** Deum patrem alloquens: Constitues me in caput gentium, inquit. Et paulo infra: Propter hoc confitebor tibi in gentibus, & psallam nomini tuo. Et alibi scriptura: Laetamini gentes cum populo eius. In quo cōfessio gentium cum Iudæis in laude, & lætitia unius Dei nunciata est. Itemq; Dauid: Laudate Deum omnes gentes, & ut cum Iudæis concors sit laudatio, addit: Et collaudate eū omnes populi. Rursus Esaias: Erit radix Iesse, & qui exurget ut imperet gentibus, in eo gētes sperabunt. quod apertissime de **CHRISTO** fuisse dictum rerum exitus comprobat. Nec est tergiuersandi, aut calumniandi cuiquam locus. Vt ergo hic concentus concordis hymni, & ab uno ore, animoq; cunctorum conspirans, cōfentiensq; procedat Dei laudatio, quoniam & huius charitatis inter nos, iucundissimæq; concordia, & omnium bonorum nostrorum unus author nobis Deus est, ad eum ipsum orandum, ac precandum Deum conuertitur Paulus.

Deus autem spei impleat uos omni lætitia, & pace in credendo, ut abundetis in spe, in potentia spiritus sancti.

**DEVS** spei, inquit, in quo spes nostras figimus, qui finis est noster, & extremum bonorum omnium, uel unicum ipse bonum potius, quò aspiramus atq; cōtendimus, quiq; nobis extitit author missione **CHRISTI** Iesu filij sui, ut in eo uno locaremus spes nostras, impleat uos omni lætitia, & pace. hoc est, quod dixit supra, Deus cōsolationis. Et uere lætitiā, pacemq; in hac uita, nisi spei huius in Deum munere habere nō possumus. Nam nec læti esse illo sancto, spiritaliq; gaudio sine spe possumus futurorum bonorum: neq; habere stabilem pacem, si non à mundi huius bonis spem nostram dimoueamus, & in cœlum totam transferamus. Quapropter ista in Deo spes omnis nobis est lætitiæ, pacisq; firmamentum. Porro autem spes absq; fide haberi nequit. Deus ergo spei impleat uos omni lætitia, & pace in credendo, ut tanto magis abundet in uobis spes, quò firmiore fide fuerit nixa. Quorum utrunq; in uobis sit à spiritu sancto. Est enim hæc quasi functio propria spiritus sancti inlinuandi in nos fidem, spem, amorem. In quo quidē amore præcipue est lætitiā, atq; his tribus tota Christiana religionis extractio cōtinetur. Pater enim filiū misit, ut doceremur ab eo: eumq; ipse uoce è cœlo edita, ut audiremus, hortatus est. Filius accessit ad nos, uerboq; & exemplo nos erudit. Vim autē doctrina, & monitionis spiritus sanctus ad cor nostrū, & ad intestinos animi sensus influendo accōmodat, idcircoq; est dictū, Qui peccauerint in spiritum sanctū: hoc est, qui eum excluderint, qui fores animi illi non patefecerint, ueniam illos nō reperturos. Et reuera parum prodest crucis, & mortis domini nostri **IESU** Christi audisse mysterium, eiusq; fidē, & nomen professum fuisse, si intro ad animum non allabatur uis, & potentia spiritus sancti, quæ molliat corda nostra, illaq; Deo prompta, parataq; exhibeat, ut ea cum præceptis Dei fingi, iustitiæq; imitatione formari, tum diuino amore incendi facile possint.

Persuasus sum porrò, fratres mei, & ipse ego de uobis, quòd & ipsi pleni estis bonitatis, referti omni cognitione, ualentes & alijs præcipere. Audacius autem scripsi uobis fratres in aliqua parte, ut cōmonefaciens uos propter gratiam datam mihi à Deo, ut sim minister **IESU** Christi erga gētes, sacrum gerens ministerium Euangelij Dei, ut sit oblatio gentium bene acceptabilis, sanctificata in spiritu sancto.

**PRVDENS** Paulus & humilis, cum & doctoris officium, & præceptoris curā, diligentiamq; præstitisset, partimq; docuisset fidei **CHRISTI** mysteria, nimirū ex diuinis hausta illa consilijs, partim etiam quæ ad mores pertinent, & ad communem pacem, concordiamq; sunt idonea, admonuisset, fecissetq; utrunq; ob eam rem, quòd egebant illi utroq; declinans nunc offensionem, excusat audaciam suam, quasi non ignorans quidem & doctos illos quoq; & probos eximie esse, sed ut impleret munus à Deo sibi commissum, idcirco pro parte sua illos commonefecisset. Porro suum esse



munus datum sibi à Deo per gratiam, non ob meritum, ut foret ipse minister IESU Christi, erga gentes, delectus qui illud Dei Euangelium, quod à CHRISTO Iesu è cœlo deportatum, & hominibus communicatum fuisset, disseminaret ubiq; & spargeret, ueluti sacerdos sacram curationem gerens, & diuinam rem inter homines tractans, ut quæ ex gentibus Deo futura esset oblatio, illa eidem Deo grata, optabilisq; existeret, tanquam sanctificata, non in sanguine, neq; in aspersione cineris, aut aquæ, sed in spiritu sancto, quæ quidem propria est, & peculiaris in fide CHRISTI munitio. Atq; ut consilium Dei de se ostendat, tanquã diploma officij, & muneris sui, breuiter narrare ingreditur, quã late CHRISTI Euangelium prædicauerit.

Habeo igitur gloriationem in CHRISTO Iesu in his, quæ ad Deum pertinent. Non enim audebo loqui quicquam eorum, quæ nõ operatus sit CHRISTVS per me ad credulitatem gentium, sermone, & opere in potẽtia signorum, & miraculorum, in potentia spiritus Dei, ut ab Hierusalem, & circum illam regionibus, usq; ad Illyrium referferim Euangelium CHRISTI, sic contendens Euangelizare, nõ ubi nominatus erat CHRISTVS, ne in alienum fundamentum ponerem ædificium: sed quemadmodũ scriptum est, Quibus non nunciatum fuit, de eo uidebunt: & qui non audiuerunt, intelligent. Ideoq; interruptus fui sæpe, quominus uenirem ad uos. Nunc autem non amplius locum habens in regionibus his, desiderium uero habens ueniendi ad uos à multis iam annis, cum iter faciam in Hispaniam, accedam ad uos. Spero enim præteriens uidere uos, & quòd prosequemini me euntem illuc, cum uobis prius aliqua ex parte fuero saturatus. Nunc autem proficiscor in Hierusalem, ministrans sanctis. Placuit enim Macedonia, & Achaia communionem quandam facere in pauperes sanctos, qui sunt in Hierusalem. Placuit ipsis: Et sanè illis debitores sunt. Etenim si spiritualibus illorum communicatae sunt gentes, debent hæc & in carnalibus suppeditare eis. Hoc igitur ubi perfecero, & consignauero illis fructum hunc, decedam per uos in Hispaniam. Scio autem, quòd ueniens ad uos, in complemento benedictionis Euangelij CHRISTI ueniam.

HÆC DE suis factis prædicatio quoniam uidetur præferre quandam gloriam, idcirco Paulus quicquid gloriæ est, ad Deum totum conuertit, nihil sibi, neque uirtuti suæ, sed omnia Deo, Christoq; tribuens, à quibus ipse minister adhibitus fuerit. Gloria, inquit, mea in CHRISTO Iesu est, & de eis rebus duntaxat, quæ pertinent ad Deum. Nihil enim meum proloquor, sed quæ per me operatus est CHRISTVS, ex quibus fides, & credulitas gentium, sermone, & opere, meo quidem ut ministrantis, sed Dei ut operantis, in potestate signorum, & miraculorum, & in uirtute spiritus sancti excitata est. Et sanè ista opera eiusmodi sunt, ut humana sibi uirtus illa non queat adsciscere. Diuina enim planè sunt, & potentiam indicant immensam, omniaq; ualentem, quæ sunt per Paulum ab Deo ad hominum salutem gentibus administrata, & tradita. Quibus ego Deo fretus, inquit, ab Hierusalem ambiens regiones usque ad Illyrium inferi passim Euangelium CHRISTI, non ibi contendens prædicare ubi iam nominatus fuisset CHRISTVS, ne super alienum ædificarem fundamentum: sed apud eos populos, & nationes, de quibus scripsit Esaias: Quibus non nunciatum fuit de ipso, hi uidebunt: & qui nõ audiuerunt intelligēt. Quod ab illo propheta prædictum est futurum, quoniam inter gentes per CHRISTVM celebrandus esset Deus: ideoq; inquit Paulus, hoc Euangelizandi negotio sæpius retardatus sum, quo minus cum cuperem, proficisci possem ad uos. Et respondet huius epistolæ conclusio procerij etiam sententiæ, quatenus & excusationem quandam affert libertatis suæ in docendo, monendoq; & desiderium eos uisendi præfert: Sed nunc, inquit, cum non amplius locum habeam in his regionibus, cum quod per



per me fuit faciendum, effectum sit, iamque hoc negotio sim uacuus, obsequar desiderio annorum iam multorum meo, ut ueniam ad uos tum, cum iter in Hispaniam faciam. Quid est autem, Locum non habeo: Num omnes ad fidem iam conuersi in tantis terrarum spatijs, & salutaribus documētis plene erant instructi? Nequaquam omnes; sed quos per Paulum Deus uoluit conuerti, hi conuersi iam, & eruditi in fidei doctrina fuerant. Sic & Dominus Paulo Corinthi multum sibi esse in illa ciuitate populum dixit. Sed quod in Hispaniam profecturus, & quasi corollarium itineris sui diuersionem ad urbem Romam facturum eos se inuisurum pollicetur, non ne illis futurum erat hoc molestum tanquam exigui amoris id signum esset? Erat fortasse, uerum id ueretur Paulus, ne grauius accipiant, si ad eos ipse tanquam magister, & censor uideatur accedere. Huic ergo suspicioni, quæ est acrior, medetur, quod eum tanquam hospitem pergentem in alias terras, non ut assiduum doctorem essent accepturi. Et tamen illa amoris uerba affert, se tunc ad suum iter in Hispaniam egressurum ipsis etiam prosequentibus, cum eorum usu, & familiaritate, quando omnino non poterit, in quo est significatio uehemens cum amoris sui, & desiderij, tum illorum quoque uirtutis, atque humanitatis, aliqua tamen ex parte fuerit ipse saturatus. Nunc autem inquit, proficiscor Hierusalem subsidium pauperibus sanctis, qui sunt illic, à Macedonibus, & Achaïis defrens; quod subsidium communionem uocat ipse, siue ut communiter munus sanctis collatum, siue ut denotetur alterna quædam permutatio inter utrosque facta, cum isti suppeditet carnalia, & suppeditati sint spiritualibus; quod & ipse paulopost quasi interpretatur, iustum, & debitum esse demonstrans, ut sic ab istis fiat, quando ipsi adiuti in spiritualibus, uicissim debent in carnalibus suppetias sanctis ferre. Hanc communionem cum illuc tulerò, & consignauerò sanctis, inquit, tum decedam per uos in Hispaniam, quod deinde & fecit, ad urbem uti accederet, neque tam accederet tamen, quam traheretur. Vincit enim in Hierusalem, & ad Cæsarem, ad quem prouocauerat reiectus, Romam sub custodia perductus est, in qua per biennium ex Actis Lucae mansit, neque de eius post in Hispaniam profectio, sed de morte, & martyrio in eadem urbe plurimorum literis, & uetustatis memoria est traditum. Scio enim, inquit, cum accessero ad uos, quod in complemēto benedictionis Euangelij CHRISTI accedam, hoc est, si quid deerit, siquid erit faciendum, aut intelligendum amplius, noster congressus, & aliquot dierum consuetudo, ac communicatio sermonis, & consiliorum explebit id ac perficiet, uel fortasse melius, quod eos offendet ita cumulatò benedictione ea, quæ per Euangelium CHRISTI hominibus allata est: quæ quidem est in fide posita, & in uirtutibus illis, quæ ueram fidem sequuntur, ut non sit operæ precium futurum diuitius apud eos cōmorari: quæ quasi quædam sit facti sui defensio, & ratio consilij in initio, quod eos in transitu, & non data opera sit inuisurus.

Obsecro autem uos fratres per Dominum nostrum IESUM Christum, & per dilectionem spiritus, ut collaboretis mecum in deprecationibus pro me, ad Deum, quo liberer à non credentibus in Iudæa, & ut ministratio hæc mea in Hierusalem grata sit sanctis, ut in gaudio ueniam ad uos per uoluntatem Dei, & requiescam uobiscum. Deus autem pacis cum omnibus uobis. Amen.

R V R S V S eleuat seueritatem superiorum monitionum, ac præceptorum tanquam non ea scripserit indigentibus, sed ut officij sui munus impleret. Itaque & modo excusauit audaciam, & nunc optimam suam de illis indicat opinionem, quando eorum ad Deum orationibus se iuuari cupit. Per dilectionem autem spiritus ait, quia cum ex uultu & facie Paulum nondum nossent, spiritu eum amabant, non sensu, quasi dicat, per amorem illum quo me incognitum, & non uisum, mentibus tamen uestris amatis. Petiit autem supplicari per eos Deo, ut ipse ab infidelibus Iudæis liberetur, quorum intelligebat acerbis, & implacabilibus contra caput suum atque uitam flagrare inimicitias, cum illi odio inexpiabili Paulum insequerentur. Quos illorum impetus, & quas acerbitates ut gentis iniquissimæ iramque & inimicitiam nulla lege moderantis, quibus in



Paulum postea grassati, atq; incitati sunt, qui nosse uult, ex Apostolorum discat actis: non ab re quidem, neq; inani metu ab illis Paulus se liberari optat, cunctorumq; sibi auxilio apud Deum aduocat preces, itemq; ab eodem Deo, & per se, & per alios obsecrādo postulat, ut sedulitatē suam, & subsidiū, quod ipse fert sanctis, illi, quibus id defertur, æqui boniq; consulant, gratumq; sibi habeant Pauli ministeriū. Eo enim opere confecto latū se reuersurū ad eos, qui sunt Romæ, pollicetur, si Deo uolente fuerit datum, ut cū illis conquiescat, nō solum reficiendo ex labore itineris corpore, sed multo magis mēte spiritualibus epulis, & gaudio fraternæ pacis, charitatisq; recreanda. Atq; ut mos ei est, post obtestationes, & monita, ut Deū semper aduocet, propitiumq; precetur, illis, quos est obtestatus, Deus pacis, inquit, sit cum omnibus uobis. Amen.

Commendo autem uobis Phæben sororem nostram, quæ est ministra Ecclesiæ in Cenchreis, ut eam excipiat in Domino, sicut decet sanctos, & adsit ei in quocunq; uobis eguerit negotio: nam & ipsa affuit multis, ac mihi ipsi. Salutate Priscam, & Aquilam, cooperarios meos in CHRISTO Iesu, qui pro uita mea suummet iugulum supposuerunt, quibus non ego solus gratiam habeo, sed & omnes Ecclesiæ gentium: et quæ domi est apud illos congregationem. Salutate Epenetum dilectum meum, qui est primitiæ Achaïæ in CHRISTO. Salutate Mariam, quæ multum laborauit erga nos. Salutate Andronicum, & Iuniam cognatos meos, & cōcaptiuos meos, qui sunt insignes in Apostolis, qui & ante me fuerunt in CHRISTO. Salutate Ampliam dilectum meum in Domino. Salutate Urbanum cooperarium nostrum in CHRISTO, & Stachyn dilectum meum. Salutate Apellem probatū in CHRISTO. Salutate eos, qui sunt ex Aristobuli familia. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos, qui sunt ex Narcissi familia in Domino. Salutate Triphenam, & Triphosam, quæ laborant in Domino. Salutate Persiden dilectam, quæ multum laborauit in Domino. Salutate Ruffum electum in Domino, matremq; ipsius, & meam. Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Mercurium, & qui cum his sunt fratres. Salutate Philologum, & Iuliam, Nereum, & sororem eius, & Olympam, & qui cum his sunt omnes sanctos. Salutate inuicem uos in osculo sancto. Salutant uos Ecclesiæ CHRISTI.

HÆC saluatio nominatim multis missa cum humanitatem ostendit Pauli, uirtutemq; illorum, quibus salus missa est: tum uero nobis lumen præfert, ut intelligamus, quo pacto CHRISTI nomen fuerat Romam allatum. Multi enim ex hoc numero Iudæi sunt, quos in illo furore persecutionis, quo Iudæi CHRISTI discipulos ex Iudæa expulerunt, nouaq; fidei surgenti, & crebescēti illa exterminatione interitum & obliuionem posse afferi rati, illam per orbem magis terrarum disseminauerunt, feceruntq; iniquitate suæ iniuriæ clarā inter gentes, ac illustrem. Vrbs Roma ad se uenientes excepit, illorumq; uocibus erudiri cœpta, paulatim nomen Domini IESU Christi didicit non aspernari. Atque hi quidem primo cum suæ gentis hominibus collocuti, quorum semper erat in urbe magna copia, quibusdam eorum persuaserunt, ut ad fidem CHRISTI se conferrent. Deinde etiam inter natiuos Italos, aliarumq; nationum homines sanctum CHRISTI Iesu nomē uulgari, & adorari est cœptum. Cumq; conuentus cunctorum gregatim fierent, coirentq; in unum Iudæi cum gentibus, lenibus à principijs exortæ erāt discordiæ, quod Iudæi præsertim recens conuersi, legis nomen, & auctoritatem relinquere non poterant; gentes uero cum se faciles CHRISTO, docilesq; præberent, legi obligari, & se addicere recusabant. Ita paulatim crescente dissensione, animi illorum inter se mutuo exasperabantur; nec tantum poterant



poterant habere autoritatis Priscilla, & Aquila, Andronicus, & Iunius, ceterique ex Iudæa noui hospites, & aduenæ, ut comprimere penitus, & sedare ualerent lites, contentionesque inter fratres commotas. Proinde alium quoque fructum illis affert ista saluatio, quod Apostoli testimonio, quod graue & sanctum apud omnes habebatur, propter sapientiam quidem etiam & celebres uirtutes Pauli, sed multo etiam magis propter conuersionis modum commemoratum apud omnes, quo à CHRISTO ipse fuerat uocatus atque compulsum, illi qui recte de fide sentiebant, ceterorum opinionibus, & mentibus commendantur, quò plus in eorum sententia ponderis, & momenti apud fratres existeret. Sunt autem omnes ferè non sine aliqua insigni laude nominati. Ac Phæbe quidem fuit, quæ pertulit hanc epistolam, Priscillæ autem, & Aquilæ etiam Lucas perhibet testimonium non solum religionis, atque uirtutis, uerum etiam cum Paulo familiaritatis, & amicitia, qui etiam cum illis necessitudine hospitij coniunctus fuit. Nam quòd se illi pro eo morti, & periculo obiecerint, non est quidem nominatum in historia scriptum, sed argumento sunt hæc Pauli uerba eos in Iudæa, cum efferuisceret Iudæorum in ecclesiam CHRISTI crudelitas, præcipueque Paulum illa uis furoris appeteret, hos causam fortassis Pauli, & sententiam defendentes, in discrimen capitis fuisse ipsos adductos. Magnam certe se illis gratiam debere testatur Paulus, & propter se cæteras quoque gentium Ecclesias, quæ ueritatis à Paulo habere notionem nequiuissent, nisi istorum duorum opera incolumis ipse illis seruatus fuisset. Andronicus autem, & Iuliam quis afficere honore, & laude maiore possit, quam eos insignes inter Apostolos uocare? Domus porro Narcissi, illius ut opinor, qui Claudij Caesaris libertus imprimis gratiosus, & potens, principio imperij Neronis Agrippinæ opera est interfectus, uel mortuo iam tunc Domino aliqua adhuc ex parte coharebat, uel tempus, quo scripta est hæc epistola, non exiguum ante aduentum Pauli ad urbem significat. Sed nos de his, quæ incerta nobis sunt, nihil diffinimus. Illud tenemus certò, iam tum conflata ex Iudæis, & gentibus Ecclesiam Romæ constituisse, quæ à fugientibus ex Iudæa discipulis CHRISTI congregata primò esset. Illi enim narrandis rebus gestis Domini, & miris illius operibus prædicandis, quæ præsertim etiam ipsi signis, & uirtutibus comprobarent, illexerant complurium animos, ut sanctissimam illam, omniumque saluberrimam acciperent doctrinam, quæ est Deo per CHRISTVM Iesum in sola spe, & cupiditate cælestium præmiorum, mundanis rebus contemptis, uelle & adherere, & credere. Illa in his salutationibus subiuncta est hortatio, ut saluent inuicem se in osculo sancto, quod tanquam pignus sit reconciliatæ inter omnes gratiæ, discordiæque pacatæ, & animarum in unum spiritum, uoluntatemque conuenientium pius consensus. Salutem illis postremo ab Ecclesijs CHRISTI, quas ipse constituerat, uel per eum CHRISTVS, uerbis impartit. Atque ut non humano more terminet epistolam, sed ad Christianum reuertatur institutum, subiungit rursus salubre præceptum, ut deuitent eorum consuetudinem, qui per præposteram, peruersamque doctrinam lites, & seditiones inter ipsos disseminant.

Adhortor autem uos fratres animaduertere eos, qui dissidia, & offensiones præter doctrinam, quam uos didicistis faciunt, & declinate ab eis. Hi enim tales Domino IESV Christo non seruiunt, sed suo sibi uentri, & per bonum, benedicuntque sermonem decipiunt corda minime malorum. Nam obedientia uestra in omnes permeauit. Gaudeo igitur de eo quod in uobis est. Volo autem uos sapientes quidem esse in bonum, simplices uero in malum. Deus autem pacis conteret Satanam, sub pedibus uestris cito. Gratia Domini nostri IESV Christi uobiscum sit.

SOLENT enim qui sunt fraudulentiores, & uafri prætexere honestos, probosque sermones prauitati suæ, ut cum autoritatem sibi, nomēque comparauerint, tum demum effundant uenenum suæ impietatis, sibique commoda comparent, non illis consulant, quorum se profitentur doctores, ac magistros. Atque hi hoc se facilius agere posse



posse confidunt, cum sunt, & uersantur inter simplices, hoc est inter eos, qui audiunt quidem libenter omnia, quæ ad fidem, & pietatem existimant pertinere, animū autem eorum, qui docent, & cōsiliū exitum haud ita perspiciunt, sed quo ipsi animo simplici, rectoq; sunt, eodem doctores suos esse præditos arbitrantur, suntq; ad auscultandum, & ad parendum imprimis faciles. Quales nimirum isti erant, quibus Paulus annūciat obedientiæ, & humilitatis ab omnibus gentibus dari testimonium. Igitur leni eos, & sancta monitione corrigit, ut hanc quidem bonitatem cordisq; puritatem adhibeāt ad ea, quæ mala sunt, quali totius generis eius, quod in fraude, & malitiā, & nimio amore suimet consistit, expertes penitus, rudesq; sint; ad discernendum autē, & distinguendum, quæ sunt bona, prudentiam sibi, & calliditatem retineāt, ut sciant segregare mala, & deuitare. Quī autem poterunt, dixerit aliquis, si ipsi malarum artium ignari omnino fuerint, illa in alijs uitiā ad declinandum pernoscere? Quia inquam, quod bonum est, cum tenuerint, & scierint, omnem à bono, & recto declinationem facillime intelligunt malum esse, nec se ab arce boni cōsiliū, ullius malo cōsilio patientur deijci. Satis est enim contrarijs in duobus illud experiri, & nosse, quod est præstantius, quam quidem alterum, quod est inferius huius præstantioris ueluti discessus, & defectio quædā est. Itaq; & Dominus discipulos suos monuit, ut prudētes essent, sicut serpētes, simplices uero ut columbæ. Et reuera nosse malū, ut malum est, præclara est imprimis, utilisq; scientiā. Fugitur enim ab omnibus omnino malum, cū cognoscitur. Boni autē ignorantia maximū est malorum omniū. Hæc enim facit, ut sæpe pro bonis mala accipiamus, uitamq; nostrā propterea acerbis, & uarijs mœroribus, & curis infestam habeamus. Quod si fuerimus ad intelligenda bona experrecti, & callidi, scientiā malī cognoscemus illius esse fugam, & deuitationem: Deus autē pacis, inquit, cōteret Sathānam sub pedibus uestris, ut non perturbet pacem uestram, quam & inter uos tueri, & erga Deū ipsum præcipue debetis. Pax enim erga Deum sanctitas est uitæ, per quam etiam cū hominibus dissidia, dissensionescq; excluduntur. Gratia autē Domini I E S V Christi fidei donum est, perfectæ illius uidelicet, quæ uiuida spe, charitateq; munita, & in hac uita solidam lætitiā præbet hominibus, & in altera æternam beatitudinem.

Salutant uos Timotheus cooperarius meus, & Lucius, & Iason, & Sostipater cognati mei. Saluto uos ego Terentius, qui scripsi hanc epistolam in Domino. Salutat uos Caius hospes meus, & Ecclesiæ totius. Salutat uos Erastus gubernator ciuitatis, & Quartus frater, Gratia domini nostri I E S V Christi sit cum omnibus uobis. Amen.

HÆ INTERPOSITÆ relatæq; salutationes simplicitatem illam cordium declarant, quæ Christianorum debet esse propria. Non enim ordinem lautum illum seruant, & elegantem, sed tanquam undis quibusdam amoris feruntur, & referuntur: idq; imprimis præferunt, quod mos amantium continet, ut ne uideantur posse à scribendo, quasi à colloquio charissimorum discedere. Atque ut omnis bonorum operum inceptio ab Deo oriatur, & item ad Dei gloriam terminetur, subiungit tanquam basim epistolæ Christiani mysterij breuem commemorationem ad summū Dei honorem, gloriamq; relatam, sic inquit;

Ei autem, qui potens est nos firmare secundum Euangelium meum, & præconium I E S V Christi per reuelationem mysterij, temporibus æternis taciti, patefacti autem nunc, & per scripturas propheticas secundum præceptum æterni Dei in obedientiam fidei in omnes gentes notificati, soli sapienti Deo per I E S V M Christum, cui gloria in secula. Amen.

HÆC alio quodam huius epistolæ loco uerba à doctoribus Græcis posita leguntur, quæ nobis uisā sunt in hoc finī scripitionis sat commode quadrare. Est autem breuis commemoratio ferè cunctorum, quæ antè dicta sunt. De hoc enim mysterio fidei potissimum est disputatum. Quod à nobis quoque strictim hic repetendum est. Etenim



Etenim æternum Dei altissimi consilium iam inde à principio extitit, hominē imprimis nobilem creationem suam uelle sibi adiungere, & participem facere liberalitatis suæ. Verum ita hoc uoluit, ut tanti honoris præmium non ignauia, desidia ue proponeret: sed industria, & fortitudini. Itaq; illum in mundum hunc inferiorem induxit, præfecitq; rebus omnibus, & comitatu locuplete sensuū honestauit, quorum ductu, atq; subsidio appeteret, & compararet sibi ipse ea, quæ utilia, ac salutaria esse cognouisset, deuitaretq; contraria. Mentem autem in eo, & rationē natam ad dominandum, principem totius animi inseruit, quæ in ipso ortus principio ignara quodammodo sui, & uim suam non sentiens, mox processu temporis, & rerū usu condocefacta agnosceret semetipsam, illudq; primum intelligeret se id potissimum in homine existere, quod colendum esset, & omnibus modis in honore habendum, quod tum quidem ipsi merito cōtingeret, si nosset ipsa præcipue, & modis omnibus ueneretur authorem, & principem, & conditorem sui Deum. Hac conditione, & natura primus homo factus & in possessionem præclarissimæ uirtutis ab Deo statim inductus, cum sua culpa, & crimine haud ita multo post, defecisset, menti q; imperium quod in regendis sensibus habebat, conseruare propriū neglexisset, præterito imperio omnipotentis Dei, ipse quoq; est æternam in seditionem, & continens bellum cum semetipso datus, atq; repulsus, sedibusq; cōmutatis, cum è requie in laborē, è paradiso incultam in terram immigrasset, curis, sollicitudinibus, operum labore, cupiditatibus quoq; uarijs, & turbulentis, falsis ut plurimum gaudijs, ueris doloribus implicatus est, atq; ita implicatus, ut exoluere se ipse, subleuareq; deinceps, aut erigere ad Deum, nisi illo opem sibi afferente non posset. Non desistebat quidem Deus, quāuis rebeli hominī, & ad deteriora semper procliuī atq; prono, humanitatem tamen, & misericordiā, & clementiam suam ostentare, nunc docendo illum, nunc adiuuando, nunc somnijs, uisis, oraculisq; deterrendo, multa quoq; ignoscebat, alia dissimulabat, quæ quanquam crimina essent, tamen quod à summi sceleris culpa aberant, nequaquam hominī tunc exprobrabantur. Sed cum corrupta hominis natura longius sese ab Deo semper abduceret, cumq; bonitatem omnipotentis Dei, memoriāq; accepti ab eo beneficij non obliuione solum, uerum contemptu etiam, & impietate obrueret, ad obruendum ipse uicissim genus nostrum illuione aquarum est adductus, quasi nouam de integro orationem instituens. Atq; ut experiretur, num genus humanū, quod flecti beneficio ad colendum imprimis creatorem suum non potuisset, compressum pœna, atq; supplicio ad meliorem aliquando mentem se conuerteret, cui etiam consilio, & rationi summi Dei cum improbitas hominum aduersaretur, omnesq; ferē cōmuni quasi constituto, atq; pacto ad ementitos, & falsos pro spei quisq; suæ errore colendos Deos se conferrent, nō amplius ratus hominē temeritati suæ permitti penitus oportere, aliquot sibi ipse electioribus suæ beneuolentiæ signis in sui nominis honore, & cultu retineret, quod potissimum Dei occulto, inscrutabiliq; iudicio parenti fidei nostræ Abraam cōtigat, ex quo gens deinde nata, profecta q; est, quæ lege per Moysen à Deo lata, à nationibus reliquis hac una re distincta est, quod sola perstitit, atq; mansit in ueneratione, & cultu unius Dei, anceps illa quidem sæpe etiam, & lubrica, sed tamen quæ diuinis fulta subsidijs hoc in orbe terrarum exemplum intermori non sineret, unum esse solum in cœlo, & in terra hominibus colendum, & adorandum Deū. Huic porro genti ita electæ à Deo, atq; adscitæ eiusmodi erat tradita lex, quæ eos quidem in terra spes suas, & suorum optata bonorū collocare nō prohiberet, sed illos ea ipsa bona expetere, & possidere, à summo tamen Deo, atq; illi accepta referre cōsuefaceret, ut si ex una parte natio illa mundana esset, ex altera tamen parte existeret cœlestis. Non enim ab uno extremorum ad contrarium extremum alterum illico transitus est, sed oportet per interiecta, & mediā ad finē optimum peruenire. Hac igitur lege diuturnis manēte temporibus, cum illius quoq; sensim diminui uis, & obsolescere authoritas cœpisset, aut si qui constantius eam retinuisent, omnia illi iam nō ad ueritatem, neq; ad intestinam animi uirtutem, sed ad superstitionis cultum magis conuerterent, essentq; peccata & facinora inter homines hoc grauiora, quod obicibus maioribus uictis, atq; prostratis, &



tis, & tanquã repagulis continentia refractis, uniuersa improbitas cateruatim se effuderat: tum uero statuit Deus bonitatis semper suae, & misericordiae memor maximo, & ultimo suo beneficio cunctum hominum genus sibi obligare, & adiungere, missoq; filio suo in carne, naturaq; hominis nõ solum ueniam nobis ab sese atq; pacem, sed patrum etiam nomen, illamq; charitatem, quae in patris affectu erga filios est innata obtulit, & pollicitus est, si nos uicissim infidos illos & turbidos mundi amores deponentes in ipsum Deum amorem omnem nostrum, omne animi studium contulissemus, neq; in his, quae mundi sunt, sed in ijs, quae ab ipso maiora nobis multo ac praestantiora proponuntur, figere spes nostras, & cupiditate illor; flagrare instituissemus. Hic mihi nemo obiiciat, quid ita per hosce gradus Deus tam consiliorũ suorum, quam temporum, ac non de principio statim hac opitulandi ratione usus sit, ut benignitate magis, quam poena nos uinceret. Nescit enim qui talia opponit, profecto cogitare, quae sint curricula, & processus diuinæ prouidentiae, quae in seipsa stabilis, unaq; semper, habet in creatis rebus interualla, neq; se aliter ostenderet, si nõ distincta foret spatijs, & operibus. Quid enim dixerim ego fructibus terrae habendis, cur annum tempus datum est, ac nõ protinus sata continuo demessa sunt: Quod si his ad pubem, frugemq; perducendis ortus, & auctio, & maturitas est attributa, alioquin si progressus isti nõ fiant, & ueluti gradus, neq; tempora distingui, neq; caelum conuerti sit necessarium, & motus rerum, & uarietas, & differentia fuerit sublata: si inquam, omnibus in rebus, quae sub motu naturae sunt, quaedam primum ingressiones, deinde morae, mox reprehensiones instituti conatus, & aduersus impediencia luctationes, cursus deinde liberior, appropiationesq; ad potiendum finem suum existunt, quae omnes interuallis quibusdam, & uelut passibus paulatim productae, curriculum tandem omne emeruntur, cuius stultitiae est quaerere, & sciscitari hoc in ipso Deo, cuius consilia arcanis ponderata rationibus ad opportunitates temporũ dimensa, effectibus dispersita, uno tamen, atq; eodẽ fini ad salutem hominũ gradatim ab eo deprompta, & patefacta sunt. Voluit igitur Deus in extremo tempore, aeterno suo ex consilio nouũ, & inexpectatum beneficium hominibus asserre, ut unigenum filium suum pro nobis uitae mortali, & uitam illam consequentibus arumnis, necnon ludibrijs, ignominijs, morti, cruciatibus addiceret, ad eum finem, ut nos praclaro illo, admirabiliq; exemplo e mundo penitus euelleret, sibiq; coniungeret. Et quoniam durius esse hoc uidebatur, tam multarũ rerũ iucundissimarũ, quae e terra nobis blandiuntur, tanta uarietate diuelli, in CHRISTI suscitatione ascensuq; in caelum ostenderet, quanto maiora contemptoribus terrenorum honorũ, & in caelo mentes suas collocantibus, ac diuiniora apud Deum praemia essent proposita. Vt enim heri, & nudius tertius disputauimus, CHRISTVS ipse oratio est, & sermo Dei patris habitus ad homines, per quem ueram doctrinam nacti sumus adipiscendae salutis, & immortalitatis, si Deo ipsi credere, & fidem illi habere summi, & aeterni boni nostri in animũ induxerimus: quod quonia sine CHRISTO facere non possumus, ipse enim Dei ueritas est, & Dei consilium; & in ipso generis humani cum Deo reconciliatio, cuius unus ipse potuit esse author: in ipso mors carnis nostrae peccati, & propterea uera totius hominis uita, quod ipsius morte & sanguine salui facti sumus. Idemq; ipse uia nostra, atq; iter, quo ad Deum perueniamus, totum in CHRISTO situm est salutis hominũ mysterium. De quo quãdo satis hoc biduo dictum est, illaq; a nobis, quae inspirante Deo prolata de eo expositaq; sunt, omnia luterius frater habere se dixit in cõmentario relata, peretis ab eo, cũ uobis libuerit: quod quidem ad hæc pertinet Pauli uerba, patere uobis iam arbitror hoc mysteriũ aeterno ex tempore absconditũ omnibus, & occultum fuisse; neq; hominibus solũ, uerum etiã angelis, non quin partẽ eius aliquam aliqui aliquando prospexerint, tum angeli, tum etiam homines, sed quod totum planẽ nunquam cuiquã est patefactum. Vidit Hieremias uim nouae legis, quae in cordibus hominũ uocem suam, non autem in litera amplius expressura esset: Vidit Esaias ducẽ melioris seculi deformatum, & contemptũ, suo moerore & luctu lætitiã ceteris, gaudiumq; afferentem: Videre multi prophetarũ, & patriarcharũ de CHRISTO multa, neq; enim omnia hic referri est necesse: sed ut plures complura uiderint, illud tamen scõdus inenarrabileq; coniugium diuinitatis



nitatis cum humanitate nemo satis uidere, aut perspicere potuit unquam. Qui uero  
 præpotenti Deo propiores semper sunt, assidueq; astant in eius conspectu angelis, po-  
 testates, & cœlestes mentes reliquæ facile quidem illi noscebant collegam prope suū,  
 & socium eiusdem naturæ hominem in errore ideo lapsum, auersumq; plane ab Deo,  
 quod nimis magnam rationem terrenorum bonorum duceret, huicq; malo, quod lex  
 non fecerat, datum iri remedium à Deo præuidebant; tantam illam tamen humanita-  
 tem, tam inauditam, inusitatamq; clementiam, tam incredibilem Dei erga homines  
 amorem ne potuerunt quidem suspicari, ut filium is mitteret ueluti legatum suæ uo-  
 luntatis. Primum hoc quanti? Deinde ut ad mortem, & ad ignominiam mitteret, hoc  
 uero est, quod cum attendere, & considerare incipimus, si nō sumus plane ferrei, in la-  
 chrymas, & gemitus erumpamus oportet, tantum ne amorē, tantum ne de nobis stu-  
 dium, tantam cupiditatem, & curam salutis incolumitatisq; nostræ suscepit Deus, nos  
 ut iudicari dignos, quorum gratia æqualem sibi filium, nō minorem solum angelis,  
 sed ne potentibus quidē & ciaris inter homines uiris parem efficeret? cum & antea  
 sæpe patriarchis, & prophetis, ipsiq; ad nos angelorum ministerio docendos, & adiu-  
 uandos usus esset. Verum hoc, quod postea factum, ipsa cœlestis exercitus multitu-  
 do nato in paupere tugurio **CHRISTO** admirata uoce sua imprimis, cantuq; cele-  
 brauit, pastores mox cognouerunt, nos mortales reliqui maximo nostro cum bono,  
 incōparabili erga nos omnipotentis Dei beneficio sensimus, ante aliquot secula pro-  
 phetarum uaticinijs, & prædictionibus significatum, annunciātū, promulgatum; non  
 tamen quantum nec cuiusmodi futurū esset, potuit plane intelligi, quo quidem diuina  
 no suo munere, & filij sui exemplo nos instituit Deus, ut illi, quoad homini fas est, fie-  
 ri uelimus similes, unamq; in hac Dei imitatione, & similitudine, quæ ex fide iustifica-  
 tio sæpe dicta Paulo est, uirtutis ueræ, & constantis rationem cōstituamus. Nam cæ-  
 tera quidem, quæ ex mundanis honoribus, atq; laudibus, uel ex ipsa etiam traduntur  
 philosophia uirtutum curricula, atq; inuitamenta, neq; soliditatem habent stabilem,  
 neq; ad immortalitatis præmium nos deducunt. Hæc similitudo Dei ex imitatione  
**IESV** Christi una sola est crepido stabilitatis nostræ, eadem inuicta seculis, immota  
 cupiditatibus, quæ cum ueluti procellæ quædam & tempestates uitam nostram affli-  
 due quatiant, hac fide **CHRISTI** sola frangi, & propulsari queunt. Firmati enim à  
 Deo per fidem ac iustitiam, in eaq; statuti, cum **CHRISTVM** habeamus uerbū pa-  
 tris, uiam nobis per aspera, & ardua aperientem, principemq; ipsum subeuntem, atq;  
 excipientem durissimos mundi casus, quo illi leuiore deinde, & tolerabiliore in nos  
 incidant, præeuntem quoq; nobis in cœlum, & suo illuc ascensu eodem nos uocantē,  
 nos spe illorum cœlestium bonorū incitati, neq; abducimur postea mundi blanditijs,  
 nec asperitatibus deterremur, quin certi, atq; constantes etiam si offendimus interdū  
 in uia, & labimur, mente tamen, atq; animo in Deo hæreamus. Hæc itaq; firmitas nos  
 bis ab Deo ex Euangelio Pauli est, quod est totum præconiū **IESV** Christi, in quo  
 mysterium nostræ salutis nunc demum reuelatū est, quod ex æternis seculis delituit,  
 obscurumq; permansit, tametsi Deus per pphetas suos aliquas eius partes in omnes  
 mundi oras uoluit promulgari, idcircoq; effecit, ut late diffusum Iudæorū nomen, &  
 in omnibus ferè prouincijs, ac ciuitatibus disseminata illa natio legis suæ uim, & no-  
 tionē hominibus proponeret, quo **IESV** Christi futuri seruatoris testimonio prædi-  
 cato ubiq; inter homines, & publicato, cum ipse postea **CHRISTVS** aduentasset,  
 facilius à gentibus, planiusq; agnosceretur, fidesq; eius, tanq; unici filij Dei accipere-  
 tur. Huic igitur sic nos firmanti, & curanti, & tantopere nos amanti soli sapienti Deo  
 honor à nobis, & gloria per **IESVM** Christum dominū nostrum in seculorū sempit-  
 ternas ætates. Amen. **HIC TRIVLTIVS**: Iure sanè, inquit, atq; addecet ita fie-  
 ri. Solus enim & sapiens, & laudabilis est Deus, qui si etiā non alio nobis iudicio suam  
 beneuolentiam ostendisset, q̄ quod mūdo inferiori nos præfecit, cæterorumq; animā-  
 tum cunctorū cōstituit dominos; esset tamen eius liberalitas & sapientia cum amore  
 nobis, & cum ueneratione omni recolenda. Cum uero humanis beneficijs, nō conten-  
 tus, diuinæ etiam hæreditatis præmium nobis proposuerit, atq; id nos facilius, ut adi-  
 pisci possemus post multa, uariāq; suæ prouidētæ, doctrinæq; indicia, filiū suum unī-



cum postremo legauerit ad terras, moriꝫ cum pro nobis, & in crucem tolli permiserit, quod nos cum eo unã in terrenis nostris affectibus mudo crucifixi, nihil nisi cœlestia, & alta cogitaremus, qd possumus queso amoris, & gratiæ Deo, quod tanto illius, & tam singulari beneficio respõdeat, à nostra parte exhibere: Equidem angor animo non hæc ubiq; gentiũ cognita, & diuulgata esse, quæ disputata heri à te, & nudius tertius, nos hodiẽ tantum quasi delibando tractauimus, & ea tamen breui ipsa cõmemoratio perspicuam ostendunt sui luminis ueritatem. Quid enim potest esse illustrius q̃ esse unicum hunc æternæ, & ueræ assequendæ beatitudinis modum, si ab Deo prius egressi, ad Deum item nos recipiamus: quod nostræ perpetuæ salutis mysteriũ totum abstrusum olim gentibus, Iudæis dimidia ex parte datum, nos integrũ, & plenum in omnem partem accepimus. Dux porro, & monstrator huius mysterij solus **C H R I S T V S**. Neq; hoc tantũ, sed & ipse mysterium, sic enim te exponente cognoui, id quod magis, magisq; deinceps animo uolutans intelligo esse uerissimũ, **C H R I S T V M** ipsum doctrinam, & uerbum existerẽ patris nos monentis, & condocerentis, si cœlestium bonorũ compotes esse uelimus, orationem suam nobis perdiscendam, hoc est, **C H R I S T V M** induendũ, & præ nobis ferendum esse, hoc est, iterũ ut interpretemur, mundanis amoribus deserendis, & cœlestibus capeffendis solam Dei gratiam, & cum eo cognationẽ nobis appetendam. Cuius rei documẽtum nobis est ipse **C H R I S T V S**, missus ob hoc ipsum è cœlo, & quatenus homo ad hanc ipsam rem creatus totus, atq; factus, nomen ut nobis filiorũ Dei, & paternam secũ cœli hæreditatem tanq; charissimis fratribus cõmunicaret. Hoc igitur ut dico, tam p̃spiciuæ sapientiæ, & ueritatis lumen, quod ueluti fulgur è medijs olim regionibus terræ in omnes circũcirca rerum fines emicuit, uoceq; ea insonuit, ut nõ illa ab homine prolata uox, sed è cœlo edita planẽ intelligeretur: quo quidem tempore cunctæ propemodũ gentes & nationes quantumuis teræ & barbaræ ad Deũ sese facillẽ, & ad **C H R I S T V M** contulerunt: hoc, inquam, lumen nunc relanguisse usq; adeo, ut nõ iam firmo, & recto intuentibus oculo, sed quali hallucinãtibus apparere uideatur. De his loquor, qui illud quoquo modo tamen accipiunt, & se id præferre suis actionibus p̃sentunt: à multo maxima uerò parte aut ignorari idem illud, aut etiam contemni, quis p̃ij hominis sensu præditus grauissimẽ potest nõ dolere: Cernimus Christianum nomen eò deductum esse, primũ ut qui illud tenent, & norunt, uerbo quidem usurpent, re autem, atq; factis omnia alia potius consecrentur, q̃ quæ sunt huic professioni, & nomini consentanea. Nolim equidẽ integris, probisq; hominibus, quicũq; illi sunt, & ubicunq; terrarum cõstitutĩ, ullam meis uerbis labem, maculamq; afferre. Non enim hos reprehendere, aut uiolare intendo: sed de cõmuni hominum, qui se ostendunt, & offerunt more, & de usitato genere uiuendi loquor, quod in eo positũ nunc est, ut uideamus omnes ferẽ quærere, quæ sua sunt, ut Apostolus ait, nõ quæ **I E S V** Christi. Atq; utinam tantum quæ sua essent, quærerent, neq; in alienis uano labore uersarẽtur, dum sollicitudines suas ad eas res conferunt, quarũ propria, & certa nuncq; est possessio. Etenim quid magis propriũ, magisq; copulatum, atq; hærens: q̃ sibi unusquisq;? Et tamen qui hoc cogitet, & sapiat, suamq; imprimis integritatẽ, & suimet curet incolumitatẽ quorũ iste reperiat: Imminemus foras penẽ omnes, & nostrimet obliti ad illa externa propendimus, quæ sonitu, & rumoribus complent aures nostras, falsoq; splẽdore oculos perstringunt, quibus dum potiamur, & compotes eorum simus, exinanimus nosmet ipsos ueritate priorum bonorũ, iustitiæq; & fidei, & ipsius sæpenuero Dei, qui solus salus nostra est, cum possessione fallacium bonorum facimus commutationem. Nam quod uita plena est simulationis, insidiarũ, mendaciũ, quod adulamur, quod uultus fingimus, quod assentamur præsentibus, absentes laceramus, quod dũ ad optata nostra perueniamus, non æquitatis, non concordia, non publici commodi, non pietatis, aut charitatis, aut religionis ducimus rationem, quis nõ intelligat causas omnium malorum, quæ Christianam iam diu depopulata Remp. sunt, hodiẽq; maxime & uastant, & depopulantur, in hoc errore hominum, & communis uitæ confusione confisterẽ: Eò enim adducti his moribus sumus, ut nõ amplius uideamur, neq; nostro cõsilio salui fieri posse, neq; Dei ope, atq; auxilio, propterea quod alterũ iniustus cæcatus cupidita



cupiditatibus nō uidemus, altero sumus indigni. Itaq; præter bella, & seditiones inte-  
 stinas, quibus longo iam tempore laborat Christiana Resp. accessit paucis his annis  
 grauis ista hæresis, quæ & concordiam publicam, & religionis auctoritatem aliquot  
 in locis uehementer cōminuit, metuq; legum sublato, suapte sponte homines ad car-  
 nis licentiam, & ad cupiditatum studia proiectos, non solum exoluit timore, franoq;  
 conscientia: sed animauit etiam ultro, atq; ad explēdos improbos animorum affectus  
 hortata est. Nam quid de nostro, & fidei nostræ ac religionis perpetuo hoste principe  
 Turcarum dicam; cuius admirabiles & inauditi fortunæ cursus non ne indicant ma-  
 nifesto alienatum à nobis Dei animum, & abhorrentem ab utilitatibus nostris illius  
 uolūtatem esse: ut quoniā nos, quod debemus, id minime agimus, hostis noster quic-  
 quid ipse agit, facile sibi id factu, & quasi paratum inueniat. Atq; ut appareat magis,  
 quæ sit in hac re uolūtās, & quod iudicium summi Dei, potest ne esse certius quicq;  
 quam si uelimus nos, hoc est, si principes nostri in unum consentiant, facile illum re-  
 pressum ab his, in quæ imminet, quæ nobis ex amplo, & uetere Christiani nominis  
 imperio pauca iam reliqua sunt facta; neq; hoc solū, uerum etiam ex illis, quæ iam diu  
 occupat, quæ ex damnis nostris possidet, non maximo negotio eum expulsū iri:  
 Nihil est profecto, quod patere possit magis. Quid igitur est causæ, quod non prouis-  
 detur, quod non occurritur, quod impendens cunctis exitium nō attenditur? Cæci,  
 cæci, inquam, sumus, neq; conspiciamus, quid timere oporteat, quid cauere rectum sit,  
 desertiq; à Deo, & derelicti, nec cōsiliū capiendū, nec bonæ rationis ineundæ ullā habes-  
 mus facultatem. Atq; ille quidē aucto suo in immensum, amplificatoq; imperio, quod  
 ex ruinis totum nostris coagmētauit, atq; extruxit, nō contentus Syriā, Aegyptoq;  
 quā paucis his annis, armis est adeptus, cum Asiam cunctam nobis antea abtulisset,  
 Græciam occupauisset, Illyriū esset uniuersam depopulatus, munitissima recens nūc  
 quoq; Pannoniæ oppida expugnauit, imminetq; regno illi, quod si ceperit, ac posse-  
 derit, quanq; quo minus accipiat, nihil à nobis remedij paratū esse uideo, non posthac  
 mari discretū quoquo modo hostem, sed in faucibus Italiæ habituri sumus. Recitan-  
 tur quotidie in senatu ex Pannonia literæ, etenim illic legatione, ut scitis, pro summo  
 Pontifice fungitur uir nobilissimus Sicularum, idemq; sine omni controuersia pru-  
 dentissimus Antonius Pulleo Burgius, tuus Sadolete uetus amicus, atq; hospes, de  
 quo tibi maxime debet esse notum, tua enim istæc est curatio, tuū munus de his, quæ  
 ad regnum illud, & legationem pertinent, Pontificem quotidie cōsulendi, literisq; ac-  
 cipiendis, & mittendis rerum, ac temporum consilia cōmunicandā. Sed ut dicere insti-  
 tueram, leguntur in senatu crebrò literæ summum illarum nationū periculum signi-  
 ficantes, nec tamē spem ullam ostendentes salutis; nisi forte tale quid eueniat, quo ho-  
 stis ab instituto, & uoluntate huiusmodi deducatur: ira illi uolenti in manibus uicto-  
 riæ esse legati nostri renūtiant. Qua in re maxime notare, & animaduertere soleo Cle-  
 mentis septimi Pontificis maximi pietatē, bonitatemq;, qui cum & tanto pondere au-  
 ri, quantum ab ipso effici potuit, regno illi subuenerit, & labore, cura, uigilijsq; nihil  
 prætermittat, quin omnia tentet, atq; experiatur, si quid bonæ salutis collabentibus  
 illis rebus queat afferre: tum autē uultu, aspectuq; denunciatur dolore animi se cōtabe-  
 scere, neq; ullam diurnæ, aut nocturnæ partem capere quietis; dignus profecto, cuius  
 & assiduas preces ex alto Deus, & quotidiana monita, atq; consilia Christiani in ter-  
 ris principes exaudiant. Sed uidetis, quæ impedimenta sunt, flagramus in Italia bello  
 acerbo, ac diuturno, duobus potentissimis regibus inter se decertantibus, qui totū ro-  
 bur Christiani nominis secū deferunt; quorū non meum quidem est dijudicare cōtro-  
 uersias. Illud meū, ut de FRANCISCO Rege Christianissimo id dicam, quod aut  
 meus in illū amor, aut meum perpetuū, & contans de ipsius uirtute, & magnitudine  
 animi iudiciū me cogit dicere. Sic enim mihi persuasum habeo, si illi aliquando contig-  
 erit liberū esse ab his socialibus bellis, quæ dum res repetit suas, necessariò suscipere  
 coactus est, hanc eum prouinciā, expeditionemq; liberandæ ab hostibus Christianæ  
 Reipublicæ, & suscepturū maximo animo, & nauaturū fortiter esse, quod ut sperem  
 adducor, non solum ex eis, quas conspicio in eo esse, uirtutibus, quod honoris, quod  
 laudis, quod eius gloriæ præcipue cupidus est, quæ sit ad Deum ipsum, & ad Reipu-



blicæ commodum conuersa, sed eò etiam magis, quòd ipse in sermonibus, quotidianis colloquijs singulare quoddam semper eius rei studium, & insignem cupiditatē præferret. Etenim eo est animo præditus, ut se à nemine suorum proauorum, atq; maiorum, qui plures multa, & magna pro Christiana Republica egerunt, in hac præclara laude passurus sit superari; utinam modo acerba istæ discordiæ, exitiabilesq; contentiones, quæ tanto publico officiant bono, Dei primum ope, ac beneficio, tum deinde Clementis pontificis nostri consilio, qui nihil aliud dies, noctesq; cogitat, ad tolerabilem aliquam conditionem finiantur, paceq; & compositione quandoq; terminentur. In qua quidem cura, & labore pacificandi uideo te Sadolete, cum in intimis rerum deliberationibus Pontifici assidue adsis, laborare præcipue, & præter cæteros sollicitum esse. **S Y M E N I M V E R O**, inquam, nec mihi quicquam est optatius, quam intueri aliquando quiescentem Italiam, & ista ipsa arma, quæ tam facile uibrantur inter nos, pro propugnatione fidei **C H R I S T I** aduersus impios hostes cõuersa aspicere. Habeo autem mecum eiusdem muneris, animiq; collegam, hunc, qui ætate quidem adhuc pene adolescens, ingenio, uirtute, eloquentia, cum summis uiris est comparandus, Benedictum Accoltum Archiepiscopum Rauennæ. Sed quàm facile sit in medijs ipsis ardoribus inimicitiarum animis contentione, iraq; exasperatis sanum, & salubre ualere posse cõsiliu, existimare ipsi per uosmetipsos potestis. Pontifex quidem optimo animo, & incredibili urget studio, ut molliantur corda, pacisq; aliquacogitatio suscipiatur. Sed nihil adhuc profectum est, Deo, ut ego suspicor, nostris rationibus suorū perfugia auxiliorum obstruente; qui quoniam unde ipse abest, nihil ibi omnino recti, nec cõmodi capi potest consilij, à nobis Triulti orandus, atq; obsecrandus est, ut populos aliquando suos benigniore oculo aspicere dignetur. **F A C I V N D V M** id quidem est, inquit, & fuit his aliquot annis etiam factum, cum Leone decimo pontifice maximo quinquennales illæ induciæ in omni Christiano nomine indictæ fuerunt, quo quidem tempore constare inter homines usu rerum edoctos, & sapientes intelligebã uno illo in consilio, & in illa una saltem ad tempus suscepta Christianorum principum concordia, salutem Christianæ Reipublicæ consistere. Sed ut reuertar ad Deum, cum essemus tunc in senatu, literasq; omnium penè principum haberemus significantes animi mœrorem, quem ex felicitate, & uictoria hostis nostri Turcæ eorum quisq; cepisset (etenim tempore illo Turcarū rex Syriam, atq; Aegyptum armis occuparat, uidebaturq; nouis imperijs auctus, & maiore multo quam prius, ac propè duplicata cumulatū potentia ad inferendum nobis detrimenta, atq; clades futuris paratior) recordor inquit fuisse nobis repente id cõsiliu, ut in quinque quæniū foedus, & amicitiam Christianis principibus indiceremus, decerneremusq; omnipotenti Deo aliquot dierum ad omnia templa, & puluinaria supplicationes, ut quando nos nostris operibus nil mereremur, sua is misericordia, & bonitate opem ferret Christianæ Reipublicæ, eosq; qui ipsius sanctum nomen colerent tamen, atq; adorerent, à potestate, & libidine crudelissimorū hostium redderet saluos, quas tum supplicationes omnibus in locis, à cunctis qui Christianam Rempublicam saluam curarent, cum coniugibus, & liberis iussimus celebrari. Dixit sententiam in senatu homo omni grauitate, sapientia, authoritateq; amplissimus Antonius à Monte, qui iam diu in principibus est nostri ordinis, cui ad unum omnes fuimus assensi, nec potuit meo quidem iudicio sapientius tum agi, quam actum fuit. Et sanè in tantis mœroris, & tristitiæ tenebris, quantæ animos cunctorum tunc occupauerant, lux quædam spei bonæ, salutisq; communis cœperat apparere, nisi illud lumen optimi consilij familiaris ista nostrarum caligo cupiditatum cito extinxisset. **A S T E G O**, inquit, Julius cum in Gallia tunc essem, fui enim illis in locis, ut meminisse potestis, bienniu, cum Bernardus Diuitius Bibienna summi ingenij, & magni consilij uir, ex uestro Triulti ordine cardinalis legatus ibidem summi pontificis existeret, egoq; omnibus illis in rebus, & consilijs semper interesset, dicam quod uidi egomet, affuissq; præfens, cum fieret, neque hunc clarissimum, & præstantissimum regem suæ uirtutis, & gloriæ testimonio fraudabo, qui cum hac ipsa de re, inducijsq; edictis, causaq; quam obrem edictæ illæ fuissent, literas, & nuncios ab urbe accepisset, itemq; de eadem re

à nobis



à nobis fuisset edoctus, uehementer cōmotus animo, & Christianæ detrimentum religionis grauius ferens, quam amplificata hostium potentia proximā esse periculo intelligebat, non cōtinuo respondit, diemq; sibi potius sumplit ad deliberandum, quæcum uenisset dies, essetq; frequens coactum nobilissimorū procerum, & grauissimorum hominum, ornatissimorumq; conciliū, pro suggestu instituit respondere: credo, ut quod erat Deo, & fidei CHRISTI oblaturus, id in cōuentu illustriū, grauiumq; uirorum & testatū magis, & maiore firmitate ratum esset, Atq; ibi cōmemoratis maximis beneficijs, quæ sibi tam in se ipso, quam in maioribus suis diuinitus collata fuissent, suaq; exposita cupiditate referendæ, quoad liceret, Deo gratiæ, obtulit ad extremum, pollicitusq; est, si Christiani cæteri principes inducjs assensu essent, causamq; Dei priuatis dissensionibus prauertendam esse constituisent, sese cum quadraginta millibus peditum, duobus millibus cataphractorum equitum ad bellum, atq; in expeditionem aduersus Turcas iturum, neq; antè finem facturum, quam profligato bello, atq; confecto, aut uitam suā quam deuoueret Deo, aut ueteres prouincias, quas Christianæ iam pridem Reipublicæ impij hostes eripuissent, eidem Deo restituisset. Quo ego spectaculo nullum unquā me arbitror maius uisurū, neq; magnificentius. Etenim cum uirtus regis, atq; animus, illaq; mentis magnitudo, qua insigni præditus est, totā se in illo facto tunc ostendit, ac patefecit: tum uero nos in eam spem, atq; opinionem omnes discessimus, ut non amplius de metu, aut periculo, sed de uictorijs, ac triumphis cogitari à nobis putaremus oportere: quæ tamen spes, ut dixi, celeriter nobis è manibus elapsa est, quorū culpa non dico, est enim uobis positū ante oculos. Illud meo reo, grauiq; ex eo dolore animi afficior, q; iam ad omniū nostrum perniciem, & certe ad perspicuā infamiam nominis Christiani pertinet, quòd ex his nostris importunissimis dissensionibus principem Turcarum imperium orbis terræ affectantē uagandiquæ uelit impune, omniaq; corripienti intelligere uideo facultatē sibi esse cōcessam.

**TVM LANGEVS:** Quæ tu Iulii de rege nostro palam ab eo facta, atq; dicta uisidisse te ais, ego qui illius consilijs intimus sum, totamq; eius uitam speculor, quippe qui in cubiculo semper illi sum pximus, facile asseuerare tibi possum eo animo fuisse dicta, ut non consilium repentino captum, sed perpetuæ in eo uoluntatis testis oratio illa extiterit. Atq; utinā uidere interius possetis domesticas illius actiones, & priuata studia, amaretis profectò humanitatē, liberalitatem, bonitatem, quæ etsi extrā quoq; & in publicum proferuntur, domi tamen, atq; intus expressiora sunt. Nam quod ad hanc in fidei hostes expeditionē pertinet, noui ego illius motus animi, & conatus, nisi de laude, & de gloria cogitantes, scioq; quanta is rerum magnarum flagret cupiditate gerendarū, utq; totus ad Deum, & ad studiū tutandæ religionis sit conuersus. Quod quidem in hac nouarum hæresum, atq; opinionum labe à suis populis propulsa, & stabili uoluntate occasionē ipsi Deus, & ab his ciuilibus penè, ut ita dicam, quæ inter Christianos agitantur, disidijs pacē, ociumq; præbuerit, futurum eum Christiani nominis in ueterem potentiam, amplitudinēq; uindicandū, & authorem, & principem.

**V TINAM,** inquam, Langee hoc ita fiat, sicq; iubeat ille, qui omnium potens est Deus, quē rogamus supplices, ut in cōstituenda quando illi cunq; fuerit uisum salute nominis nostri, quod certe externis, intestinisq; hostibus, sed multo etiam magis uita hominum corrupta, & cōtaminatis moribus grauius laborat, hanc uelit propriā esse gloriā **FRANCISCI** Regis nostri Christianissimi, ut ipse electus præcipue à Deo ad hoc præclarū munus uirtute, & uictoria, & felicitate Christianam Rempub. stabiliat, cuius deinde gloria beneficij in uniuersa posteritate perpetua, illustrisq; sit. Cui à nobis Deo soli potenti, & sapienti, & optima semper uolenti iterum ac sæpius, atq; adeo semper honor sit, & gloria in sempiterna secula. Amen. **HIC** idem omnes cum precati essent, Deumq; supplices cum pietate adorauissent, iamq; in Vaticanum nos ad suas quencq; de Republica curas diei tempus reuocaret, soluto coetu discessimus.



Faint, mostly illegible Latin text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text appears to be a commentary or translation of the Epistle to the Romans.

